UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est, Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718

Visual Library



Th. 292.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex legato Celmi Principis Ferdinandi Epi Paderb ad Mon. Anno 1693

STEPHANI BALUZII

MISCELLANEORUM

LIBER TERTIUS,

Hoc est,

COLLECTIO VETERUM

monumentorum quæ hactenus latuerant in variis codicibus ac bibliothecis.



Collegij Soc. Jesu Paderb.

PARISIIS

Excudebat FRANCISCUS MUGUET Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographus.

MDCLXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





EMINENTISSIMO

DOMINO

HIERONYMO CASANATTÆ

S.R.E. CARDINALI.

ILLVSTRIVM *virorum dicta factaque posteris tradere & semper rei publicæ bono visum est expedire*, EMINENTISSIME

DOMINE, *& probis eruditisque omnibus pergratum perque jucundum semper fuit, quòd ita imaginem quandam antiquitatis intueri sibi viderentur, exempla verò ad imitandum hinc acciperent. Quod cùm ego verum esse intelligerem, & inter schedas meas reperissem vitas aliquot insignium virorum quæ hactenus latuerant, constitui illas emittere in publicum tibique eam editionem dedicare, qui & natalibus & dignitate illustris, illustrior tamen es pietate in Deum, humanitate, doctrina, eruditione, ac ceteris virtutibus quæ cum istis consociantur. Ac laudes quidem tuas jam multi celebrarunt,* EMINENTISSIME CARDINALIS, *& deinceps alii celebrabunt; eruntque illæ semper gratæ, quia veræ. At ego in id tantùm incumbam ut*

& huic noſtræ ætati & venturæ teſtatum faciam quantus ſit affectus tuus in literas, quantus amor eorum qui illas profitentur; quorum conatus ita juvas pro ea qua plurimùm vales auctoritate ut nullus aut rarus ſit qui non tibi multum debere ſe ſciat & profiteatur. Nam quod ad me attinet, quum nondum tibi notus eſſem ullo officio meo, tantùm quia nomen aliquod habere videbar in rep. literaria, palam te fautorem ac defenſorem ſtudiorum meorum oſtendiſti; & cùm tibi pro hoc inſigni beneficio gratias egiſſem, eodemque tempore nonnihil à te petiiſſem pro illuſtranda nova, quam meditor, Conciliorum editione, humaniſſimas ad me literas dediſti, in quibus tuam mihi benevolentiam totam integram pollicebaris, ſimulque miſiſti id quod à te poſtulave-

ram. Deinde cùm ex continuatione mearum literarum factum fuisset ut plures quoque à te acciperem, non dicam illas, quod est verissimum, fuisse semper humanissimas, sed nullam ex his fuisse quæ non novam promissionem contineret tuæ amicitiæ tuique auxilii ad promovenda studia mea; nonnullæ etiam ita fuerunt doctæ & eruditæ ut hinc præclara accessio facta fuerit iisdem studiis meis. Immo cùm nescio quo fato intermissum fuisset literarum inter nos commercium, sic de eo renovato gaudere te professus es (lubet enim heic gloriari) ut scriberes amare te literas meas earumque frequentia summopere delectari, jusseris porrò verbis amantissimis ne deinceps ullis casibus interrumpi paterer illud literarum commercium, sed subcisivarum horarum otio, ut

tua verba repètam, te quoque participem facerem ſtudiorum meorum. Quod quàm mihi honorificum ſit, quàm præclarum, quanta memoriæ vi retinendum ac conſervandum, faciliùs intelligi quàm explanari datur; præſertim ſi quis accuratè conſideret à quo iſta ſcripta ſint, ab ampliſſimo nimirum Cardinale, à viro nobiliſſimo, eodemque doctiſſimo. Quæ cùm ita ſint, EMINENTISSIME DOMINE, *tuque præterea me monueris ut editionem Miſcellaneorum meorum continuarem, tuamque mihi operam etiam ad hanc ſtudiorum meorum partem ſis peramanter pollicitus, miſeris inſuper præſtantiſſimi ſanctiſſimique viri Dominici Capranicæ Cardinalis vitam à Baptiſta Poggio ſcriptam, officii mei eſſe putavi ut hoc qualecunque publicum meæ in*

te reverentiæ tuorumque in me beneficiorum monumentum extaret; quod ære perennius fore opto, ut pia posteritas sciat & me tibi plurimum debere & dum spiritus hos regeret artus, tibi prorsùs devinctum fuisse.

Lutetiæ Parisiorum
Kalend. Martiis
MDCLXXX.

STEPH. BALUZIUS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

TErtius iſte Miſcellaneorum liber deſtinatus eſt memoriæ virorum quorundam illuſtrium veteris ævi, quorum geſta damus ex fide ſcriptorum coætaneorum. Neque verò neceſſe eſt multa præfari de hoc conſilio meo, cùm ſatis ſit oſtendiſſe quid in hoc libro contineatur.

Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi geſta, digniſſima profectò quæ veniant in manus eruditorum, extant in veteri codice MS. Eccleſiæ Cenomanenſis, unde apographum ad nos miſſum eſt mendoſiſſimum. Sed nos menda bene multa ſuſtulimus ope quorundam frag-

mentorum ex iisdem gestis ab erudita manu excerptorum, quæ ante hos annos in manus nostras inciderunt. Vnum illic in primis notatu dignum occurrit, nullam mentionem fieri epistolæ illius generalis quam Gregorius IV. in gratiam Aldrici scripsisse dicitur, cujus etiam fragmenta reperiuntur apud Ivonem & Gratianum. Et tamen horum gestorum auctores mentionem faciunt in capite XLIV. cujusdam epistolæ ab eodem Gregorio scriptæ ab Aldricum. Qua occasione poterant etiam istam generalem, quæ magni momenti erat, recensere.

Memorabile etiam est decretum synodi habitæ anno DCCCXXXVIII. apud Carisiacum, quod refertur in capite quinquagesimo eorundem gestorum, & quo secundùm canonem octavum Chalcedonensem ceteraque regulas ecclesiasticas monasterium Anisolense sive sancti Carilephi declaratur debere esse subjectum Episcopo Cenomanensi, in cujus diœcesi situm est.

Verùm ea omnia in diversum ferme mutata postea sunt regnante Karolo Calvo, primùm quidem anno DCCCLVI. in synodo quinque provinciarum apud Bonoilum, dein apud Pistas post sexennium, postremò in Vermeria palatio anno DCCCLXIV. Vtrarumque istarum synodorum decreta vulgabimus in nova nostra collectione Conciliorum.

Vitam optimi doctissimique Cardinalis Dominici Capranicæ à Baptista Poggio scriptam debere me lubens profiteor Eminentissimo doctissimoque Cardinali Casanattæ, qui illam describi curavit ex veteri codice collegii Romani vulgò Capranicensis dicti. Fuit autem iste Poggius celeberrimi illius Poggii Florentini filius, ac, nisi conjectura fallit, auctor ac fundator Augustinianorum discalceatorum. Narrat enim Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis in libro quinto annalium Genuensium fol. CCXXVI. floruisse anno MCCCCLXXII.

Baptiſtam Poggium virum doctiſſimum, ut apertè demonſtrant varia ejus opera, illumque initium dediſſe congregationi Auguſtinianorum quos diximus, fuiſſeque valde amatum à Carolo Rege Francorum & à Galeacio Duce Mediolanenſi. Extat in veteri codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ oratio ad Romanum Pontificem Nicolaum V. habita per alterum ex filiis Poggii, ſanè eleganter ſcripta, ac fortaſſis ab iſto Baptiſta. Porrò vir clariſſimus Odoricus Raynaldus aliquot iſtius vitæ fragmenta ſuis annalibus inſeruit, deſcripta, ut res ipſa loquitur, ex eodem veteri codice ex quo nos habuimus.

Vitæ clariſſimi Cardinalis ſubjunxi tractatum adversùs eum illo tempore editum à quodam Iordano Bricio Iuriſconſulto Aquiſextienſi, non quòd illum magni faciam, ſed ut hinc etiam colligant boni doctique omnes etiam ſummos ſanctoſque viros vitare interdum non poſſe dentes malignitatis.

Nam hic Iordanus peſſimè loquitur de viro quem ceteri omnes illius ætatis homines, & inter hos ſanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ſummis laudibus efferunt.

Itinerarium Adriani VI. editum quidem fuit Toleti anno MDXLVI. per Ioannem ab Ayala typographum, curante Blaſio Garaio. Verùm cùm ea editio ſit rariſſima, ac multa contineat notatu digna, & vix aliquis literatorum ſit qui illam viderit, rem univerſo huic ordini gratam me facturum putavi ſi illam recuderem.

Porrò cùm in hoc libro ediderim vitam ſancti Geraldi Archiepiſcopi Bracarenſis, cujus ſocius, amicus, ac ſucceſſor fuit Mauritius Burdinus, uſus ſum hac occaſione ut vitam quoque iſtius darem à me elaboratam. Videbam enim virum clariſſimum, bene olim de Eccleſia meritum, indigniſſimè tractari à vulgo hiſtoricorum, cùm interim certiſſimum ſit ea omnia falſa eſſe quæ ab illis afferuntur ad ob-

ſcurandam gloriam tot illuſtrium ejus bene factorum. Debebam primùm hanc curam veritati, cujus amatores eſſe debemus omnes, tum patriæ meæ, quæ ſummum hunc virum genuit. Spero autem eos qui nihilo minùs malè ſentire ac ſcribere de Burdino voluerint, mihi condonaturos hunc affectum. Tu certè, lector erudite, condonabis, ſcio; atque id mihi ſatis eſt. Vale.



ELENCHVS

EORVM QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

GESTA Domni Aldrici Episcopi Cenomanensis, à discipulis ejus scripta. Pag. 1.

Ex veteri codice MS. Ecclesiæ Cenomanensis.

Vita beati Geraldi Archiepiscopi Bracarensis, auctore ejus discipulo Bernaldo Archidiacono Bracarensi. pag. 179.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

Tractatus de conversione Pontij de Larazio, & exordij Salvanienſis monasterij vera narratio, auctore Hugone Francigena monacho ejusdem monasterij. pag. 205.

Ex veteri codice MS. ejusdem monasterij.

Leonardi Aretini oratio in funere Nannis Strozæ Equitis Florentini. pag. 226.

Ex duobus antiquis codicibus MSS. uno bibliothecæ regiæ, altero Colbertinæ.

Poggij Florentini oratio in funere Leonardi Aretini. pag. 248.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

Vita Dominici Capranicæ Cardinalis, auctore Baptista Poggio. pag. 263.

Ex veteri codice MS. collegij Capranicensis Romæ.

Narratio vetus de morte Iuliani Cæsarini Cardinalis, auctore Ægidio Carlerij Decano Cameracensi. pag. 301.

Ex veteri codice MS. collegij Navarrici Parisiis.

Tractatus Iordani Bricij adversùs Cardinalem de Capranica. pag. 303.
Ex alio veteri codice MS. ejusdem collegij Navarrici.
Itinerarium Adriani VI. auctore Blasio Ortizio Canonico Toletano. pag. 351.
Ex veteri editione Toletana anni 1546.
Vita Mauritij Burdini Archiepiscopi Bracarensis, scriptore Stephano Baluzio Tutelensi. pag. 471.



STEPHANI

STEPHANI BALVZII MISCELLANEORVM LIBER TERTIVS.

GESTA DOMNI ALDRICI CENOMANICÆ VRBIS EPISCOPI, *à discipulis suis.*

DOMNVS Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus, natione patris ex parte Francus sive Saxo, matris quoque ex parte Alamannus atque Bajuvarius. Pater ejus nominabatur Sion, mater quoque ejus Gerildis. Prædictus ergo Episcopus regia ex progenie ortus, atque aliis nobilissimis parentibus est procreatus. Ab infantia autem cum Episcopis enutritus atque ab eis nobiliter & sapienter est instructus; ecclesiasticis quoque disciplinis voluntariè se submittens, ordinabiliter congruenterque est inconnexus. Jam enim duodecim annos habens, à jam dicto patre suo ad palatium deductus est, & glorioso Karolo Francorum Regi atque Domno Hludovico ejus filio honorificè commendatus, & ab eo est decenter susceptus

tus. Ipse videlicet omnibus bonis moribusque dulcibus ornatus, omnia omnibus factus est, & tam Regi quàm omnibus ejus optimatibus & Regi famulantibus Domino annuente placere meruit. Per diem itaque Regi & fidelibus suis amabiliter militans, Domino autem nocte & secretè totis nisibus & vigiliis atque orationibus serviens, gratiam divinam meruit assequi. Sed sollicitè evenerat ut quandocunque locus ei eveniret, in Ecclesia sanctæ Mariæ quæ est constructa in Aquisgrani palatio secretè psalmos decantaret & orationes faceret. Quadam autem die in prædicta Ecclesia sanctæ Mariæ in sinistra parte altaris secretè psalmos suos cantans, instinctu divino corde admonitus est ut militiam secularem dimitteret & Domino solummodò famulari studeret. Ipse quoque adhuc teneræ ætatis erat atque pube tenus. Tunc primò is.. se incipiebat, timens valde ne hoc illi diabolica ex parte suggereretur, obnixè Deum deprecatus est ut intercessione beatæ Mariæ, in cujus Ecclesia orabat, si divinitus jam dicta voluntas in ejus corde versaretur, manifestum ei pro sua misericordia faceret; sin autem diabolica immissio esset, similiter & hoc illi notum faceret. Totis itaque nisibus & flectendo genua, pectusque tundendo, ante prædictæ sanctæ Mariæ aram deprecatus est ut Domini ex hoc meruisset facere voluntatem, ut diabolus eum seducendi nullum locum haberet. Ipse enim divinitus in antedicta bona voluntate confortatus & firmiùs subjugatus est & pleniùs corroboratus. Deinde cœpit toto corde rogare Deum, ut si diaboli esset exhortatio, recederet ab eo, & si divina esset gratia, pleniter eam secundùm Dei voluntatem adimplere meruisset. In hac autem intentione ferme dimidium annum corde angens, angelica & divina confortatione suffultus, ad Regem deprecaturus accessit ut secularem militiam dimittere

ei liceret & militiæ ſpirituali ſe conjungere atque eum Domino famulari permitteret. Nullo tamen niſi tantummodò uno Deum timenti amico ſuo & cariſſimo familiari hoc confeſſus eſt, timens quippe ne ſi hoc ſui intelligerent parentes & amici, ei hoc facere minimè permitterent. Rex autem hæc audiens, oppidò triſtatus eſt, promittenſque ei duodecim & ampliùs comitatus ſe daturum ſi hoc dimitteret & in ſua militia perſeveraret. Ipſe verò à Rege hoc audiens ait, etiamſi dimidium ſuum regnum ei daret, ipſam voluntatem propter hoc non dimitteret. Videns autem Rex ſe illum à ſua intentione non poſſe avertere, conceſſit ei licentiam & locum ubicunque eligeret in ſuo regno. Tunc ergo ipſe inſpirante divina gratia petivit locum ſibi dari in quadam civitate cujus vocabulum eſt Mediomatricis, quæ & alio nomine Mettis vocatur; ſibique cum duobus Clericis tantummodò poſtulavit dari præbendam. Rex autem & hoc conceſſit, & quantum volebat ſibi dare ſpopondit. Tali enim conditione licentia accepta, à Rege oſculatus eſt, & ad jam dictam urbem feſtinando profectus eſt; ibique amabiliter & devotè ab omnibus ſuſceptus, & Clericus ab Epiſcopo ejuſdem civitatis & cuncto clero divinis benedictionibus decantantibus & hymnis ſpiritualibus modulantibus confortatus eſt, & veſtimentis clericalibus indutus, & manuum impoſitionibus ab Epiſcopo & à cunctis ſacerdotibus clericali benedictione conſecratus, inter ſeniores fratres eſt collocatus. Deo igitur ibi totis niſibus die noctuque deſerviens, factum eſt ut multos Domino lucrifaceret. Cantum quippe Romanum atque Grammaticam ſive divinæ ſcripturæ ſeriem humiliter diſcere meruit, quibus & donante omnium Domino pleniter atque doctiſſimè inſtructus eſt. Poſt duos quoque clericatûs ſui annos ab Epiſcopo ejuſdem civitatis nomine

Gundulfo in Ecclesia sancti Stephani Diaconus est ordinatus. In ipso igitur gradu tres ferme annos militans mirabiliter & doctè quotidie diaconatus sui adimplere certavit officium. Mortuo quoque jam dicto Gundulfo prædicto ordinatore suo, alius Episcopus in eadem civitate nomine Drogo filius Karoli piissimi Imperatoris subrogatus & ordinatus est: qui videns prædicti Aldrici Levitę intentionem & studium bonum, quod tam in ministerio suo quàm & erga omnes habebat, cœpit eum exhortari ut sacerdos efficeretur. Noluit autem jam dictus Diaconus Aldricus neque ausus est divinam repellere benedictionem, ad quam sæpissime vocabatur à Drogone ejusdem civitatis Episcopo & successore jam dicto ordinatori suo, dum nobiliter degebat in diaconatus officio, eligente eum clero & populo Presbyter est ordinatus. Ipse autem meliùs ac meliùs virtutum pollens actibus, multosque erudiens suis prædicationibus sive bonis exhortationibus, multos & innumerabiles Deo & sanctæ Ecclesiæ lucrari meruit. Demum quoque eligentibus fratribus, & suadente sive exhortante Episcopo suo Drogone, licèt coactè, senior cantor ibi sublimatur. In scholis verò in quibus jam magister erat constitutus sapienter multos & innumerabiles in supradictis artibus erudiens, magnum lucrum in sancta Dei Ecclesia facere meruit, immo innumerabiles in jam dictis artibus doctissimè erudivit. Videntes igitur eum antedictus Pontifex Domnus Drogo & cunctus clerus sive populus in jam dictis ministeriis & doctrinis magnum habere studium & multos doctores & magistros nobiles feciſſe, in majus eum ministerium, quamvis coactè, sublimaverunt, & Primicerium secundùm Romanum ordinem eum esse constituerunt, totumque clerum tam civitatis quàm & monasteriorum sive totius illius civitatis parrochiæ ei sub-

ditum esse præceperunt, & magistrum omnium eum constituerunt. Ille enim in his studiosissimè Domino serviens, omnibus bonis hominibus amabiliter famulari meruit; eumque cuncti boni ita amabant quasi semetipsos; & quicquid eis imperabat, libenter faciebant. Audiens autem Hludovicus Imperator Francorum ejus opinionem, ad se eum vocavit, & in suo palatio, volente vel nolente, eum seniorem sacerdotem suumque confessorem præesse constituit. Qui & ibi omnibus palatinis bonis placens, ut solitus erat, omnibus omnia factus, ab omnibus honorabatur atque venerabatur. Ita quoque omnes eum diligebant, si fieri potest, quasi semetipsos, ejusque jussionibus in omnibus quasi senioris voluntariè & bono animo obtemperantes erant. Quatuor autem menses cum Imperatore in suo palatio nobiliter degens, eique amabiliter serviens, nec ad unum diem licentiam exinde evadendi & in patriam pergendi impetrare valebat. Episcopatum ei quippe quoddam, cujus vocabulum est Cenomanis, eligente eum ejusdem provinciæ Archiepiscopo Landramno, atque Comite ejusdem parrochiæ Rorigone, sive omnibus præfixæ parrochiæ nobilibus hominibus, atque cunctis palatinis, & clero & populo, per baculum Landramni Turonicæ civitatis & prædictæ parrochiæ Metropolitani jam dictum episcopatum in sua præsentia & eo instigante à Hludovico glorioſissimo Imperatore orantibus cunctis cura pastorali est commissum; qui & hoc refugiens, & nolens prædictum episcopatum suscipere, omnibus tamen, licèt coactus, hortantibus, ipsum sacrum suscepit ministerium. Ordinatus quoque à suo prædicto Metropolitano & ceteris nobilibus & sapientibus Episcopis in idipsum convenientibus, eligente eum clero & populo in prædicta civitate & in ipsa matre Ecclesia die XI. Kal.

Ianuarii est, anno igitur incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCC XXXII. Episcopus est consecratus. Tertio autem die post ordinationem suam jam dictus Domnus Imperator in suam adveniens civitatem, gratias agens Dominum laudavit quòd jam ordinatus erat Episcopus. Prædictus ergo Pontifex Domnum Hludovicum Imperatorem cum psallentio & hymnis & canticis sive crucibus & ceteris divinis oraculis benignè & sapienter susciplens, eumque ad Ecclesiam manu tenens & deducens per altaria orando, suis precibus eum Domino commendavit. Suprascripto igitur Imperatori omnibusque suis nobiliter & dulciter famulari studuit, ibique Domnus Imperator Hludovicus nativitatem Domini nostri Iesu Christi, præfato Aldrico Episcopo & suo clero sapientissimè & honorificè officium peragente, solemniter celebravit. Octo quoque dies in eadem civitate Domnus Imperator residens, villam quandam quæ Brogilus & Novavilla nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, quæ dudum inde abstracta & in beneficium data fuerat, per suum præceptum ei atque Ecclesiæ suæ sedis sive Clericis & Domini servis inibi Domino famulantibus jure firmissimo perpetuis temporibus possidendam reddidit.

Vide Annales Bertinianos, an. 832.

II. Prædictus quoque Pontifex in primo pontificatus sui anno aquam per aquæductum in prædictam civitatem Cenomanicam, quam nullus hominum ibi antea venire viderat, suo opere & bono ingenio adducere meruit, omnibusque qui antea valde aqua indigebant, nec eam nisi per magnum laborem eatenus habere poterant, sufficientem auxiliante Domino habere fecit. Vnum siquidem vel duo modia aquæ infra civitatem antea emere nemo valebat nisi unum denarium afferentibus eam de Sartha vel de aliquo fonte dedisset, quoniam nec puteum inibi aliquem habebant. Ideo tam cara erat,

In ipso quoque anno claustrum ubi sui Canonici conversari regulariter & canonicè possent ædificare cœpit, qui antea nunquam, ut fertur, claustrum habere meruerunt, sed per civitatem huc & illuc vagantes & dormientes & discurrentes tam in nocte quàm in die per diversa domicilia manere solebant, & propter hoc impedimentum ad officium divinum occurrere, ut decebat, minimè valebant; eisque suam domum, in qua manerent, & solarios sive cellaria & alia ædificia, quæ ad suum opus habebat, tradidit. Et non in hoc sufficiens erat, sed etiam alias domos per circuitum nobiliter, sicut ad hoc opus decebat, constructere certavit. Præfatus ergo Pontifex fuit vir mitissimus & sapiens valde, lingua eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque in lectione posita, & exhortator omnium bonorum operum, plebique florentissimæ salutaria prædicans fidei catholicæ & apostolicæ, immaculatè conservare perenniter sua monita salutaria prædicans, corda fidelium corroborans, orthodoxæ fidei æmulator ac defensor fortissimus, paupertatis amator, erga inopes non solùm mitis, sed etiam sollicitus; captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque & viduarum largitor, necessaria tribuens, amator religiositatis Christianæ normæ, & religiosè volentibus vivere & Dei timorem habere in suis præcordiis dilectio residens. Vir verò erat mitissimus atque suavis omnique bonitate ornatus, amator cleri omnisque populi Christiani, tardus ad irascendum, & velox ad miserandum, nulli pro malo malum reddens, neque vindictam secundùm meritum tribuens; sed pius & misericors erat omnibus, cunctos attrahens, neminemque dissipans. Magnum gregem adunare in unum & ingens lucrum adminiculante Domino infra sinũ sanctę

Dei Ecclesiæ tam infra suam parrochiam quàm & extra facere meruit, & multos Domino lucrari meruit. Fecit igitur prædictus Aldricus Pontifex in præscripto claustro tecta nova & dupla, in quibus & diversas mansiones ad opus fratrum & ad eorum necessitates procurandas mirabiliter & nobiliter construxit. Insuper & in jam dicto claustro fecit Ecclesiam in honore sancti Stephani à novo, quam & in honore præfixi sancti Stephani & omnium sanctorum V. Iduum Novembris solemniter consecravit; in qua & in ipso die consecrationis ejus signum apparuit mirabile. Quidam enim sacerdos inibi suos vvantos perdidit dum prædictum sacraretur templum; quos quidam Clericus inveniens, furtim de ipsa Ecclesia nova exportare cupiens, de prædicta sancti Stephani & omnium sanctorum Ecclesia exire non potuit, nec ipsos vvantos secum deferre valuit, antequam eos in ipsa Ecclesia videntibus multis ejecit, & fuga lapsus evasit. Fecit namque in prædicta Ecclesia altaria sex; quorum unum sursum positum in media absida collocatum in honore sanctæ Sophiæ sacravit & reliquias Domini nostri Iesu Christi, tam de spongia quàm & de sandaliis ejus propriis, in confessione in eo facta collocavit. Fecit quoque atque sacravit jamdictus Pontifex in superiori & in dextera parte ipsius Ecclesiæ aliud altare in honore sancti Stephani, & sancti Vincentii, ac sancti Gervasii, sanctique Privati, sive sancti Quirini, atque sancti Naboris, necnon & sancti Nazarii martyrum Christi, & in eo decenter eorum reliquias collocavit. Fecit namque in superiori & in sinistra parte ipsius Ecclesiæ tertium altare, atque sacravit in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sive sancti Clementis Romanæ Ecclesiæ Episcopi & martyris, & sancti Albini, sancti Amantij, ac sancti Arnulphi, seu sancti Martini, atque

sancti Clementis primi Metensis urbis Episcopi, atque sancti Audoëni, necnon & sancti Martialis, ac sancti Benedicti, & sancti Paterni, & sancti Silvestri confessorum Domini, & in eo propriis manibus decenter prædictorum sanctorum reliquias in confessione ipsius altaris collocavit. In subteriori ergo parte & in absida ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit quartum altare in honore sancti Stephani & omnium sanctorum, & in eo sancti Stephani atque aliorum multorum sanctorum reliquias propriis manibus decenter collocavit atque conclusit. In dextera igitur & subteriori parte ipsius Ecclesiæ quintum fecit altare, quod & consecravit in honore sancti Pauli & sancti Iacobi Apostoli & sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ, & in confessione ipsius altaris prædictorum sanctorum Apostolorum reliquias propriis manibus decenter composuit atque conclusit. In sinistra & in subteriori parte ipsius Ecclesiæ sextum fecit altare, quod & consecravit in honore sancti Theodori & sancti Iuliani atque sancti Lamberti martyrum Christi, & in confessione ipsius altaris eorum pignora propriis collocavit manibus.

III. Anno siquidem incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXXXIV. Indictione verò XIII. & anno imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris XXII. anno verò ordinationis præscripti Aldrici Episcopi tertio prædictam Ecclesiam jam dictus Pontifex solemniter & decenter dedicavit. In præscripto namque Kalendarum die Turonis metropolis civitate per consensum & electionem Landramni prædictæ Turonicæ urbis Archiepiscopi sive aliorum Episcoporum atque multorum Abbatum atque Comitum necnon & aliorum innumerabilium prudentium virorum à Hludovico præscripto Imperatore cura Cenomanicæ urbis & sollicitudo

totius populi ipsius urbis parrochiæ Aldrico præfato Episcopo commissa est ; cui omnipotens Deus, suppliciter oramus, unà nobiscum tribuat requiem sempiternam & vitam æternam. Præscripto videlicet anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi, XI. quoque Kalendarum Decembris die solemniter consecravit jam dictus Aldricus Pontifex absidam matris & senioris civitatis Ecclesiæ, quam à novo fundavit & mirabiliter ornavit atque fabricavit, in qua & altare mirabiliter fabricatum & compositum construxit. Iam dictam quippe absidam unà cum præfato altari consecravit in honore sancti Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii, sed & sancti Stephani ; in quo & reliquias sancti Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque de proprio corpore sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani in sæpedicto altari propriis manibus decenter collocavit & mirabiliter composuit. Aliam quoque partem præscriptæ matris & civitatis Ecclesiæ, cujus consecrationis dies penitùs ab omnibus ignorabatur, in prædicto Domini Salvatoris nostri Iesu Christi nomine & sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani reconciliavit atque solemniter dedicavit. In præfata namque Ecclesia seniori altaria construxit & à novo fundavit atque in supradicta die sacravit numero decem ; & nomina super ea eorum sanctorum, in quorum memoriis ea consecravit, desuper adscribere jussit ; quæ & adhuc per singula altaria inserta singillatim & distinctè ac diligenter investigantibus reperiri hodierna die queunt. Deambulatoria siquidem sursum per totum in circuitu ipsius Ecclesiæ fecit, in quibus & altaria quinque nobiliter construxit atque sacravit. Primum enim in dextera & in

orientali parte altare in prædictis deambulatoriis positum sacravit in honore sancti Martini & sancti Hilarii ac sancti Germani sanctique Vedasti, sive sancti Domnoli atque sancti Carilefi & sancti Rigomeri confessorum Christi, & pignora prædictorum sanctorum in eo propriis manibus decenter & ecclesiastico more collocavit. Aliud verò altare in supradicta dextera parte & in eodem deambulatorio in medio positum sacratum in honore sancti Petri & sancti Iohannis Apostoli & Evangelistæ atque sancti Andreæ, necnon & omnium Apostolorum, & reliquias eorum in ipso collocavit altari. In occidentali quippe parte ipsius Ecclesiæ, in ipso solario fecit atque sacravit altare in honore omnium sanctorum, in quo & multorum sanctorum pignora propriis collocavit manibus. In sinistra autem parte ipsius Ecclesiæ & in sinistro deambulatorio in orientali parte fecit & consecravit altare in honore sancti Dionysii & sancti Laurentii, ac sancti Remigii sanctique Medardi, seu sancti Bonifacii & sancti Rustici necnon & sancti Eleuterii martyrum & confessorum Christi, & eorum reliquias in ipso propriis manibus collocavit altari. In prædicto videlicet sinistro solario & deambulatorio in medio aliud fecit & sacravit altare in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ac sanctæ Anastasiæ sanctæque Cæciliæ, necnon & omnium sanctarum virginum, & pignora sanctarum virginum in eo multa propriis collocavit manibus. Deorsum quoque & in dextera sive orientali parte præfatæ Ecclesiæ fecit & consecravit altare in honore sancti Ambrosii & sancti Benedicti, sanctique Gregorii, ac sancti Augustini sive sancti Iuliani atque sancti Hieronymi, necnon & sancti Vigoris Christi confessorum, & eorum in eo decenter & ecclesiastico more collocavit reliquias. Extra chorum scilicet &

in dextera parte ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit altare in honore sancti Georgii & sancti Felicis, ac sancti Symphoriani sive sancti Sixti atque sancti Tiburtii, sanctorum quippe Marcellini & Petri, & eorum in eo decenter collocavit reliquias. In siniſtra namque & in orientali parte ipsius Ecclesiæ fecit & sacravit altare in honore sanctæ Scholasticæ & sanctæ Agnetis ac sanctæ Luciæ, atque sanctæ Hlodesindæ, sive sanctæ Afræ, sanctæque Geretrudis & sanctæ Aldegundis virginum Christi, & in eo earum reliquias propriis decenter collocavit manibus. Extra chorum autem in siniſtra parte ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit altare in honore sanctæ Agathæ & sanctæ Felicitatis ac sanctæ Sabinæ sanctæque Eufemiæ sive sanctæ Perpetuæ atque sanctæ Brigidæ necnon & sanctæ Genovefæ virginum Christi, & earum in eo decenter propriis manibus collocavit reliquias. In media quoque Ecclesia fecit altare, in quo & Crucifixum Domini nostri Iesu Christi auro & argento mirabiliter fabricatum erexit, & ipsum altare in media Ecclesia positum in honore sanctissimæ Trinitatis in eo decenter propriis collocavit manibus. Antedictus igitur Aldricus Cenomanicæ præfatæ urbis Episcopus anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXXXV. & anno imperii piissimi Hludovici Imperatoris XXIII. anno siquidem ordinationis suæ tertio, Indictione XIV. undecimo verò Kalendarum Iuliarum die solemniter consecravit occidentalem partem sæpedictæ matris & Cenomanicæ civitatis senioris Ecclesiæ, quam & à novo fundavit & mirabiliter ornavit, ad effectum quoque usque perduxit: in qua & altare fecit in honore sancti Iohannis Baptistæ, quod & insuper dicto Kalendarum die in honore sancti Iohannis Baptistæ solemniter consecravit, & prædicti sancti Iohannis Baptistæ sive alio-

rum multorum sanctorum reliquias propriis manibus in eo decenter collocavit. Aliud ergo in dextera parte ipsius occidentalis partis Ecclesiæ fecit altare & in præscripto die consecravit in honore sancti Christophori & sancti Hippolyti atque sancti Saturnini martyrum Christi, & eorum reliquias in confessione ipsius altaris propriis decenter collocavit manibus. In sinistra namque parte ipsius occidentalis partis senioris Ecclesiæ in suprascripto Kalendarum die tertium consecravit altare in honore sancti Victurii & sancti Victuri ac sancti Brixii sanctique Arvei atque sancti Baumadi seu sancti Almiri, seu sanctiVlfacii & sancti Iuliani primi ipsius urbis Episcopi, atque sancti Turibii & sancti Pavacii, necnon & sancti Liborii confessorum Christi, & eorum reliquias propriis manibus decenter in supradicto collocavit altari. Præscripto namque XI. Kalendarum Iuliarum die antedictus Aldricus Pontifex est de utero matris suæ natus, cui omnipotens Deus assidua interceſſione prædictorum sive omnium sanctorum tribuat vita æternaliter unà cum eis frui sempiterna. Amen.

IV. Dedit quippe præfatus Aldricus Pontifex villam quandam Canonicis suis cujus vocabulum est Buxarias, cum omnibus ad se pertinentibus, unà cum silva cujus vocabulum est Felicionis, de qua & pleniùs prædicti Canonici eorum mererentur habere stipendia, & delectabiliùs Domino famulari, sive pro Imperatore antedicto Hludovico & conjuge sua Iudith, sed & pro liberis regalibus, sive pro universo exercitu eorum, atque pro sæpedicto Aldrico ipsius urbis Episcopo orare certatim studerent, & delectabiliùs sive studiosiùs eis Domino militare delectaret. De præfixa videlicet villa censuit, atque suis successoribus contestando in suo privilegio quod de eadem villa prædictis Canonicis

suis fecit adjuravit ut fratres & Canonici Cenomanica in urbe degentes haberent plenam refectionem in XI. Kalendarum Ianuariarum die, quando mater & civitatis Ecclesia senior Cenomanica in honore sancti Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ & sancti Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani est à jam dicto Aldrico Episcopo solemniter dedicata. Similiter censuit ut de præfata villa plena prædictis fratribus & Canonicis XI. Kalendarum Ianuariarum die fieret plena refectio; in quo die & sæpedictus Aldricus in præscripta civitate & in præfata Ecclesia est canonicè & solemniter à nobilissimis & doctissimis atque sanctissimis Episcopis Pontifex ordinatus. Similiter censuit ut in XI. Kalendarum Iuliarum antedictis Canonicis & Dei servis de præfata villa fieret plena & optima refectio; in quo die & præfixus Aldricus Episcopus est de utero matris suæ natus, atque occidentalis pars præscriptæ matris & civitatis Ecclesiæ ab eodem Pontifice est solemniter dedicata. Similiter in Assumptione sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ est XVIII. Kalendar. Septemb. die, in cujus honore præfata Ecclesia à sancto Iuliano sacrata fuit, cujus consecrationis dies ab omnibus penitùs ignorabatur, sed modò renovata & reconciliata sive consecrata est in honore prædictæ sanctæ Dei genitricis Mariæ seu sanctorum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter & canonicè in præscripto Kalendarum die à præfixo Aldrico Episcopo, constituit fieri & plenam refectionem jam dictis Dei servis ministrari. In his quoque prædictis quinque festivitatibus censuit ut prædicti Canonici & Dei servi acciperent de præfata villa de pane optimo per singulos prædictarum festivitatum dies modios quatuor, arietes optimos sex, & de vino optimo modios duos, & de potione optima modium unum, &

cetera ſicut in ejus teſtamento quod de eadem re fecit continentur inſerta.

V. In ipſo ergo ordinationis atque conſecrationis præſcriptæ matris & Cenomanicæ civitatis Eccleſiæ anno primo virtutes in ſupraſcripta Eccleſia apparuerunt multæ videntibus Domino inſigniter tribuente multis. Quidam enim claudus & utriſque pedibus debilis in præfata Eccleſia ad veſpertinalem ſynaxin adveniens, dum fratres Domino vota perſolverent & officia veſpertina peragerent, utriſque pedibus reſtauratus ac ſanatus multis videntibus fuit, ita verò priſtinum recipere meruit greſſum quaſi nunquam claudus ac debilis fuiſſet. Alius ſiquidem ad matutinalem ſynaxin veniens, qui mutus ab ortu nativitatis ſuæ & ſurdus erat, dum Canonici ac Dei ſervi in jam dicta ſancti Salvatoris & ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſanctorum martyrum Gervaſii & Prothaſii atque ſancti Stephani Eccleſia devotiſſimè matutinalem peragerent ſynaxin, tam auditum quàm & locutionem inibi pleniter recepit, & ita loqui ac audire meruit ceu nunquam ſurdus ac mutus fuiſſet. Sequenti namque tempore quidam cœcus veniens in jam dictam Eccleſiam, dum Miſſa à ſæpedicto Aldrico Epiſcopo & à ſuis conſacerdotibus ſive reliquis miniſtris devotiſſimè peragebatur, viſum Domino largiente recipere in ſupradicta Eccleſia meruit plenum & ita videre veluti nunquam cœcus fuiſſet. Alius ergo plenus dæmonio, qui graviter à diabolo vexabatur, & ſæpe tam in ignem quàm & in aquam ſive in reliqua pericula ſe demergere volebat, qui & multis funibus conſtrictus atque colligatus erat ne aliquem lædere poſſet, in ſupradictam Eccleſiam ad matutinalem ſynaxin adveniens, dum ibi à Dei ſervis ibidem conſtitutis & à jam dicto Epiſcopo divina peragebatur intenſiſſimè officia, à dæmonio curatus & pleniter ſanatus eſt ceu nunquam

à dæmonio vexatus esset. Alia quoque innumerabilia signa in suprascripta Ecclesia & in antedicto primo ordinationis, consecrationis, sive reconciliationis suæ anno, necnon & in subsequentibus annis, innumerabilia multis apparuerunt videntibus signa, quæ propter prolixitatem sive propter tædium lectoris atque auditoris hîc non inseruimus; quæ tamen tanta sunt in eiciendis dæmoniis, in recipiendis gressibus, in reddendis auditibus, & reparandis visibus, sive in reliquis Dei beneficiis quanta, ut reor, duo vel tres quaterniones minimè capere valerent. Alii autem infirmi tam de febribus quàm de aliis infirmitatibus in suprascripta Ecclesia innumerabiliter multi Domino largiente sunt sanati, atque pristinam sanitatem recipere & plenam meruerunt adipisci salutem.

VI. Antedictus enim Domnus Aldricus præfatæ urbis Episcopus quando in prædicto V. Iduum Nov. die à largitione Domni Hludovici piissimi Imperatoris, per consensum & electionem multorum nobilium virorum, sicut suprà dictum est, accepit jam dictum episcopatum, quidam æmuli sanctæ Dei Ecclesiæ & sui intimaverunt atque firmiter protestati sunt præfixo Domno Hludovico Imperatori quòd abbatia sancti Vincentii non esset de jure antedicti Episcopi, sed fiscus sæpedicti Domni Hludovici Imperatoris esse debebat. Domnus igitur Hludovicus Imperator ad hoc inquirendum atque veraciter investigandum suos strenuos & fideles misit Missos, qui hoc inquirerent si fiscus esse debebat, an de jure & dominatione antedicti Episcopi esse deberet. Aldricus verò in hoc valde angebatur, tristabaturque quòd tali occasione à jure & dominatione sæpedicti episcopij jam dicta abbatia sancti Vincentii perdita & injustè ablata fieret. Non enim habebat ibi cognitos homines, nec ipsam rem cognoscebat;

sed

sed Dominum obnixè deprecabatur ut sua negligentia ipsa abbatia sancti Vincentii de jure prædictæ Ecclesiæ perdita nec alienata fieret. Quem nempe Dominus in hoc exaudivit, & oppidò illum consolatus est; & ipsas res adminiculante Domino evindicare meruit, & ad jus suæ sedis Ecclesiæ jure firmissimo retinere, licèt in ipso die introitus sui, quando primò in festivitate sancti Martini in ipsam civitatem Cenomanicam est ingressus, ipsa inquisitio facta fuisset, ubi & testes habuit qui ad jus sui præfixi episcopatus ipsam abbatiam testificaverunt atque confirmantes dixerunt quòd sub dominatione & jure præfati episcopatus esse deberet. Privilegium ergo quod Domnus Domnolus de præfata abbatia fecit quando præfatum monasteriolum & jam dictam Ecclesiam de rebus suæ sedis Ecclesiæ ditavit, ipso tempore minimè invenire quivit, quod ei tunc absconditum fuit. Sed posteaquam illud jam evindicatum & per præceptum confirmatum monasteriolum habuit, ipsum privilegium Domino adminiculante invenire & adipisci meruit. Idcirco in hoc opusculo prædictum privilegium nobis inserere placuit; ut si, quod absit, futuris temporibus de sæpe jam dicta abbatia aliqua quæstio orta fuerit, & præfatum privilegium aliqua machinatione aut malo ingenio aliquis occultare vellet, in hoc opusculo exemplar ejus inveniretur, cum quo & solatium fideles ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ haberent, qualiter ipsa abbatia nunquam à jure & dominatione præfatæ Ecclesiæ perdita fieret. Similiter & privilegium quod jam dictus Domnus Domnolus de colonica ad Ecclesiam sancti Vincentii & ad opus fratrum ibi degentium cum consensu suorum Canonicorum atque aliorum tam Episcoporum quàm & aliorum nobilium virorum fecit hîc inserere placuit.

VII. *EXEMPLAR PRIVILEGII & traditionis quam Domnus Domnolus de villa Tricione & de Fraxinido, sive villula nomine Debuc, atque de aliis villulis sive rebus ac territoriis suæ sedis Ecclesiæ in die dedicationis sæpedictæ sancti Vincentii Ecclesiæ ad ipsam Ecclesiam fecit.*

DOmino venerabili Ecclesiæ Cenomanicæ clero Domnolus Episcopus. Congruum nobis fuit ut votum desiderabile in caritatis vestræ notitiam poneremus; quia si consensus vester desiderium cordis nostri decreta adverterit, credimus nullius nullo unquam tempore contrarietate à nobis pariter firmata posse convelli, cùm pro salute populi, velut custodiam civitatis, reliquias Domni ac venerabilis sancti Vincentii martyris intercedente præsumptione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio & vestro, eidem loco dignitatis erexi-mus in culmine, ita petimus ut nostro pariter ditetur & munere; & si sensus vester in nos contulerit claritatem, hanc paginolam donationis vestro quæsumus ut firmetur robore. Dono ergo in ipsius Domni Vincentii honore donatumque esse volumus villa cognominante Tricione, quam Abundantius visus est quondam tenuisse, per loca designata de Confluentes usque Bucias defluit in Indua usque termino Proliacense, subjungente ad se adjacentia Saturniacinse, inde per via Saturniacinse pervenit ad vuacta usque campo Daulfo, deinde à broialo Censurio usque ad domum Meræ, inde ad campum Locogiacinse pervenit ab ipso Tricione, cum id quicquid Mallaricus Diaconus noster tempore vitæ suæ usu-

fructuario possidere videtur, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, cum mancipiis his nominibus, Leudomado cum uxore Leudomalla & infantulum Litomeri, Leudolfo, item Leudolfo, Chariobandi, Vinoflede, & Mogiane, gregi equino quem Allomeris intra terminum ipsum commanens custodire videretur. Idemque & villa Fraxeneto, quam bonæ memoriæ Ap. Presbyter tenuit, cum broialis Marcelliacensis, cum vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cum accolis decem commanentibus in rem Ecclesiæ. Quicunque opportuni ad domum ipsam fuerint, quos per adsignationem Leudorico defensore perceperit possidendos, cum mancipiis his nominibus, Lanvoneto, Fredulo cum uxore Taligia, Sesulfo, Castino cum uxore Leudomalla & filio Leudoghisilo, cum filia Childegunde, Puppa cum filio suo Populonio, cum Leudomundo, & Leudomanda cum libertos omnes prædicti Presbyteri. Pari modo & locello ad Buccis, quem de Eutelio Presbytero accepimus, cum mancipia qui ibidem excolere videntur; pratum intra vinarium supra ripa Sarthæ secum quem Abundantius vel actores Ecclesiæ visi sunt tenuisse, Chyldigisilo puero, cum armento pecorum quem ipse custodire videtur, & campo adjacente ad memorato prato quem nostro opere fecimus, Sesciſmundo cum uxore sua VViliare. Hæc omnia quidem per hanc paginam donationis, quam Aunulfo Diacono præfato unanimiter rogavimus conscribendam, constat delegasse, nuncupata basilica habeat, teneat, possideat, quicunque loci ipsius dignitatem perceperit, jure hereditatio perpetualiter sibimet vendicet possidendum. Si ullo unquam tempore aut Pontifex civitatis aut quælibet persona à nobis donata vel tradita de dominatione basilicæ ipsius abstrahere voluerit, induat maledictionem pro

benedictione, & Domini nostri Iesu Christi vel omnium sanctorum martyrum incurrat offensam, & voluntas nostra perpetim auxiliante Domino capiat firmitatem, Ans Iuliani legis indetamentionem. Actum Cenomanis civitate anno XI. regnante Domini nostri Chilperici Regis pridie Nonas Martias. † Domnolus peccator subscripsit. Germanus peccator rogante clero Cenomanis subscripsit. Dinamus peccator consensit & subscripsit. Drauscio Presbyter subscripsit. Injuriosus peccator subscripsit. Meterius Presbyter consensum nostrum subscripsi. Populonius Presbyter consensi & subscripsi. Alloveus Presbyter consensum nostrum subscripsi. Setrius peccator consensi & subscripsi. Leudoveus Presbyter subscripsi. Daunaredus Presbyter consensum nostrum subscripsi. Frigimodus Presbyter, Vrsicinus Diaconus consensum nostrum subscripsimus. Census Diaconus consensum nostrum subscripsi. Romolus Diaconus consensi & subscripsi. Daddus Diaconus consensum nostrum subscripsi. Noxus Diaconus subscripsi. Seuvovechus Diaconus consensi & subscripsi.

VIII. *ITEM EXEMPLAR quod Domnus Domnolus de villa Canon per consensum Canonicorum suorum ad Ecclesiam sancti Vincentii fecit.*

ANno xx. regni Domini nostri Chilperici gloriosissimi Regis, pridie Nonas Septembris, ego Domnolus in Christi nomine Episcopus cùm evocassem Domno & fratri meo Audoveo Episcopo Andegavæ civitatis visitare sanctis liminibus patroni peculiaris mei Victorii Episcopi, immo & solemniter ipsius celebrassem, cum consensu om-

nium fratrum meorum Presbyterorum, quia ante tempus testamentum meum condidi & in ipsam voluntatem meam adhuc non complevi, quod meum conscriptum videtur volo in omnibus conservetur, & hæc paginola plenum capiat opto robur. Dono basilicæ sanctorum Vincentii & Laurentii, quam meo opere construxi & ædificavi pro salvatione civitatis & populi conlocavi colonicam cognominatam Cannono, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, & mancipiola duo Vvaldardo cum uxore sua vel infantibus eorum qui ibidem nunc commanere videntur, ab hodierno die prædictus Abbas antedicti loci ad stipendia fratrum nuncupatæ basilicæ faciat revocare, & tamen post obitum meum, quando Deus jusserit, qui præsens fuerit ordinatus de loco præfato commemorationem meam annis singulis adimplere procuret. Ideo tibi, Niviarde Diacone ac defensor nostræ Ecclesiæ, indico atque jubeo ut hoc tua traditione, sicuti nunc à dicta Ecclesia possidetur, cum omni soliditate vel adjacentia Suolevoo Abbati facias consignari. Hoc verò inferendum rogavi, ut qui voluntati meæ obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat quam Propheta in psalmo cIx. decantavit, & præsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei veritate manu propria subscripsi & Domnis & fratribus meis muniendam rogavi. Domnolus peccator subscripsi. Audoveus peccator subscripsi rogante Domno Domnolo Episcopo. * Theodulfus peccator subscripsi. Aimulfus Presbyter subscripsi. Leudoricus Presbyter subscripsi.

* Vide Greg. Turon. lib. 10, c. 14.

IX. Placuit etiam in hoc opusculo exemplar præcepti quod jam dictus Aldricus à Domno Hludovico piissimo Imperatore, quando res de sæpedicta sancti Vincentii abbatia & ipsam abbatiam adjudicare & adipisci meruit.

EXEMPLAR SVPRADICTI præcepti de abbatia ſancti Vincentii, ſive de cellulis ſancti Albini & ſancti Audoëni infra & ſecus urbem poſitis, quam Domnus Aldricus cauſa juſtitiæ & futuræ quæſtionis malitia excludenda percipere ſtuduit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus ſcilicet & futuris notum eſſe volumus qualiter ad notitiam noſtram de tribus cellis perventum eſt, quæ una earum intra muros Cenomanis civitatis ſita eſt & dicata in honore ſancti Albini, reliquæ verò duæ in ſuburbio memoratæ civitatis conſtructæ, & altera earum in honore ſancti Vincentii, altera verò in honore ſancti Audoëni dicata habetur, quas præſenti tempore Aldricus Epiſcopus ſub jure præſcriptæ urbis poſſidebat, quòd non juſtè ad eandem urbem ſed ad publicum noſtrum pertinere deberent. ad quam cauſam diligenter per meliores & veraciores homines circumquaque memoratæ urbis conſiſtentes inquirendam nobiſque renuntiandam deſtinavimus fidelem noſtrum Vvidonem nomine; qui cùm ad nos reverſus eſſet, retulit nobis, ſicut relatione bonorum hominum circa fines memoratæ civitatis conſiſtentium cum ſacramenti aſſertione invenerat, quòd præſcriptæ cellæ non ad publicum noſtrum pertinebant, ſed ſub jure memoratæ Cenomanis Eccleſiæ juſtè & legitimè eſſe deberent. Cùmque ex memorati fidelis noſtri Vvidonis relatione per omnia ita verum eſſe cognoviſſemus,

propter futuras occasiones & resultationes penitùs repellendas & abiciendas, complacuit nobis hoc nostræ auctoritatis atque memoriæ conscriptum super hujuscemodi factum conscribere, per quam præcipimus atque jubemus ut repulsa omnino publica & judiciaria potestate præfatæ cellæ perpetuò in jure memoratæ Cenomanis Ecclesiæ consistant, easque memoratus Aldricus Præsul suique successores jure ecclesiastico habeant, teneant, atque possideant, & inde faciant quicquid pro commodo vel utilitate memoratæ Cenomanis Ecclesiæ faciendum esse decreverint. Et ut hæc nostræ auctoritatis conscriptio firmior habeatur & à fidelibus nostris meliùs credatur & diligentiùs conservetur, de anulo nostro subtus eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.

Data IV. Kal. Ianuar. anno Christo propitio XVIII. Imperii Hludovici piissimi Augusti, Indictione decima.

Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

X. Similiter in hac scedula vel in hoc libello inserere placuit exemplar præcepti quod supradictus Domnus Aldricus de villa quæ Brogilus vel Novavilla nominatur cum omnibus ad se pertinentibus tam villulis quàm mancipiis, sive reiculis atque foreſtibus, necnon & omnibus ad eas justè pertinentibus accipere meruit; ut si necesse fuerit, hoc exemplar futuris appareat fidelibus præscriptæ Ecclesiæ, qualiter omnibus notum sit supradicta causatio.

EXEMPLAR PRÆCEPTI *subscripti.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si supplicationibus sacerdotum, quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid nobis intimare voluerint, aurem benigniter atque libenter accommodamus, eorumque justas & rationabiles petitiones ad optatum effectum pervenire facimus, non solùm regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum industriæ qualiter cùm nos de Aquitania reverteremur & in urbem Cenomanis perveniissemus, Aldricus ejusdem urbis venerabilis Episcopus accedens ad aures nostras retulit nobis de quadam villa quæ Brogilus vocatur & Novavilla nominatur, quæ ante hos complures annos de jure ejusdem Ecclesiæ cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus subtracta atque ad publicum nostrum redacta, moderno tempore ab Heremberto vassallo nostro in beneficium data possideretur, & sic præcedenti tempore de manibus rectorum prædictæ urbis eandem villam cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsam esse. Sed cùm nos ad rei veritatem diligentiùs vestigandam fideles nostros Simonem Presbyterum & venerabilem Abbatem & Hildemannum vassallum nostrum mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cùmque eorum relatione memoratum beneficium Heremberti non ad

publicum noſtrum ſed ad jus prædictæ Eccleſiæ Cenomanis juſtè pertinere cognoviſſemus, complacuit clementiæ noſtræ præfatum beneficium Heremberti, id eſt, foreſtem illam quæ Gauciacinſis dicitur, cum duabus foreſtulis quæ Dovera & Tulpiacus vocantur, cum ædificiis ineadem conſtructis, quæ Brolius nominatur, necnon & Novamvillam cum omnibus ad ſe pertinentibus, id eſt, Salvariam, Colonicam, Cauqueriolas, curtem Herilavan, Fetrarias, villarem Saviniacum, Buxarias, in Monticellis capellam unam cum omnibus ad ſe pertinentibus, & in Caliniaco dimidium manſum, & in Vincariis manſum unum, & in Cipido atque Belino eos quos jumentarios dicunt, cum redditione cenſus quem ſingulis annis ſolvere noſcuntur, id eſt, mel & ceram, & in Cabanido eos quos porcarios vocant, & eos qui in illa ruba quæ eſt contra orientem manere noſcuntur, necnon & illos qui ſuper fluvium qui dicitur Sartha conſiſtere noſcuntur, ſimiliter & medietatem telonei quod de illo porto annis ſingulis perſolvitur, & quemadmodum ſæpedictus Herembertus memoratum beneficium cum omni integritate, ſicut illa die ſub jure noſtræ dominationis erat quando à largitione noſtra ipſum beneficium accepiſſe conſtat, pro emolumento animæ noſtræ memorato venerabili Aldrico Epiſcopo ad partem præſcriptæ ſuæ Eccleſiæ reddere, ut in perpetuum in utilitates & uſus ejuſdem Eccleſiæ Deoque in ea deſervientium pertineat. Idcirco ſuggerente atque rogante prædicto venerabili Epiſcopo hanc noſtræ confirmationis atque redditionis præceptionem ei vel ad partem jam dictæ urbis fieri juſſimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium noſtrorum de prædicta villa vel de his omnibus quæ ad præfata loca pertinere noſcuntur memorato venerabili Aldrico Epiſcopo ſive ſuc-

cessoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Vt autem hæc nostra auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de anulo nostro jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi.

Data VI. Idus Ianuar. anno Christo propitio XVIII. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione XI.

Actum Bes villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XI. Insuper in hoc opusculo inscribere libuit exemplar præcepti quod sæpedictus Aldricus de nonis & decimis vel restaurationibus Ecclesiarum sive de censibus tam monasteriorum quàm cellularum & villarum quæ largitione regia vassalli dominici adipisci, licet injustè & contra canonicam auctoritatem, meruerunt. Nam oblatio fidelium ab Episcopis & ministris eorum secundùm canonicam institutionem dispensanda & gubernanda est, non à laicis & secularibus hominibus; quoniam qui hoc facere ex secularibus vel laicis hominibus præsumpserint, sub anathematis nomine à sanctis patribus districtè feriuntur. Illis quoque hoc valde cavendum est, ne pro temporalibus hujus seculi à delitiis cælestis regni perpetuò alienati, quod absit, fiant.

EXEMPLAR PRÆDICTI præcepti ita continetur.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Si his qui Deo debitum exhibent famulatum quiddam honoris conferimus, & ad ſuum miniſterium liberiùs exequendum opem ferimus, hoc nobis proculdubio ad ſtatum terreni regni corroborandum & ad æternæ vitæ beatitudinem capeſſendam profuturum eſſe confidimus. Notum igitur eſſe volumus omnibus fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris quia nos de Aquitania revertentes, cùm in urbem Cenomanis perveniſſemus, quam Aldricus venerabilis Epiſcopus regere videtur, Clerici & Dei ſervi inibi conſiſtentes in noſtram advenerunt præſentiam, & conqueſti ſunt quòd nonas & decimas, unde neceſſarios ſumptus habere debebant, fideles noſtri, qui res ſancti Gervaſii munere beneficiario poſſidebant, aut negligenter perſolverent, aut penitùs reddere differrent; petieruntque & ſuppliciter deprecati ſunt nos ut noſtra imperialis poteſtas efficeret qualiter ſecundùm antiquam conſuetudinem & juſſionem Domini & genitoris noſtri Karoli præſtantiſſimi Auguſti ac noſtram pleniter de eiſdem rebus decimæ & nonæ partibus præſcriptæ Eccleſiæ ſancti Gervaſii & fratrum inibi conſiſtentium pleniter & abſque ulla dilatione perſolverentur, & ædificia ejuſdem Eccleſiæ ſive domus epiſcopalis ac fratrum inibi degentium refectæ & reſtauratæ fierent. Inſuper humiliter flagitantes poſtularunt ut villarum nomina ex quibus nonæ & decimæ ad ſupradictam Eccleſiam perſolvi debent in noſtræ auctoritatis

Lib. 1. Capitular. c. 157. & lib. 2. c. 21. 22.

præcepto nominatim adscribi præciperemus, ne aliquo malo ingenio aut qualibet calliditate aut potentia alicujus divitis vel potentis hæ villæ vel hæ res à jure ejusdem Ecclesiæ alienatæ futuris fierent temporibus aut nonæ vel decimæ sive census vel restaurationes jam dictæ Ecclesiæ ablatæ fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem Dei libenter audivimus, & sicut deprecati sunt, monasteria vel cellulas seu vicos vel villas quas nostra largitione ex jure præfixæ Ecclesiæ nostri fideles habere dinoscuntur nominatim in hoc præcepto inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure & dominatione jam dictæ Ecclesiæ cum omni integritate permaneant, id est, monasterium sancti Petri quod Bertrannus Episcopus ædificavit, cum monasteriolo sancti Martini in Ponteleuve, & monasteriolum sancti Victurii, in quo ipse Domnus Victurius corpore requiescit, & monasteriolum sanctæ Mariæ quod est constructum intra murum civitatis & fluvium Sarthæ, cum monasteriolo sancti Ricmeri ultra fluvium Sarthæ ad eum pertinente, & monasterium sanctæ Scholasticæ, & monasteriolum sancti Germani ultra fluvium Sarthæ, & monasteriolum vel synodochium sanctæ Mariæ, in quo Domnus Paduinus requiescit in corpore, & cellulam sancti Victurii infra civitatem, & monasterium sancti Carilefi, in quo ipse Domnus requiescit in corpore, & monasteriolum sancti Iuliani, in quo ipse requiescit in corpore, & monasterium sancti Georgii, monasterium Illidi, & monasterium Tuffiaco, & monasterium sancti Iohannis & sancti Trechii in Buxiolo, & monasteriolum sancti Martini in Diablentico, & monasterium sanctæ Mariæ in Aurionno, & monasterium Buxido, & cellulam Semiliaco, & monasterium Caladon. Hæc omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se

pertinentibus & in ſcriptis authenticis ſancti Gervaſii invenimus, ad prædictam Eccleſiam ſancti Gervaſii juſtè & legaliter pertinent. Ex quibus jubentes præcipimus ut feſtivitatibus illorum ſanctorum in quorum memoriis ipſa cœnobia dicata eſſe noſcuntur, per ſingulos annos ad præfixam matrem & civitatis Eccleſiam cenſus ab ipſis qui eadem cœnobia noſtro beneficio tenent libenter ad opus Epiſcopi vel fratrum ibi degentium & ad ipſam Eccleſiam reſtaurandam & nunc & futuris temporibus perſolvantur, & refectio Canonicis ſancti Gervaſii optima ab eodem Abbate, qui ipſum cœnobium tunc temporis habere videtur, in prædicta feſtivitate libenti animo fiat, ſicut noſtram gratiam & ipſa beneficia habere voluerint; ut nobis ſeu deceſſoribus vel genitoribus noſtris propter ablationem vel minorationem harum rerum jam dictæ Eccleſiæ aliquod detrimentum aut periculum regni non adcreſcat, ſed perennis temporibus ſub jure ejuſdem Eccleſiæ permaneant. * Divitis enim Canonicis omnibus & Eccleſiis baptiſmalibus in prædictæ urbis parrochia conſiſtentibus, cujuſcunque juris ſint, cenſus cunctos tam in oleo quàm in cera ſive denariis pleniter partibus præfatæ Eccleſiæ, ſicut in plenariis & breviariis ejuſdem matris Eccleſiæ continentur, per ſingulos annos abſque ulla contradictione aut mora perſolvi præcipimus. De vicis verò publicis ac propriis vel villulis jam dictæ Eccleſiæ quas fideles noſtri noſtra largitione habent, omnino præcipimus ut nonæ & decimæ partibus præſcriptæ matris Eccleſiæ ab eiſdem fidelibus noſtris libenter & pleniter perſolvantur, & ædificia ejuſdem Eccleſiæ ſive domorum ad eam infra civitatem pertinentium reædificare vel reſtaurare faciant, id eſt, de villa Tavida, de villa Lugduno, de villa Baladon, de villa quæ Brogilus ſive Novavilla

* Vox corrupta.

nuncupatur, de villa Pradellis, de Murniaco, de villa Guilis, de tertia parte de cella sancti Almiri, de tertia parte de cella sancti Vlfacii, & de tertia parte de cella sancti Rigmiri, de villa Boulido, de Angono, de Solemnis villa, & vico & cella Virmero, & de villa Apiliaco, & de Aldino, & Clausido, de Noviliaco, & Fanisnonia, & campo Sigirico, Luciaco, & monte, & de Comnis cella sancti Leodegarii, Angor, & Boulir, de Vinogabron cum suis appendiciis, & Ailino vico publico, & Brusior & Sogonna vicis publicis, & Silviaco, & de villa Viliaco & Triciono, & Silgiaco, & Sabololio, & Vinonio vico publico, & de villa longua, & de villa Campaniaco, & de Tonedralio, de Geneda vicis publicis, & de villa Didas, & de Tredento, & Vitlena, Taurimiaco, Calsano, & villare de Verno & Adillanitæ & Vigra, & Fontanas, & Sanmuro, & Brafialo, Folcaria, Domnoiorio, & partem de Fraxinido, Mandaria, Dirigeto, villare de Verno, Clerinicio & Camiliaco, de Traximarias, & Coxiaco vico publico, & villa Antoniaco, de villa Bonalfa, & de omnibus villis quæ ad cellam sancti Martini infra murum civitatis pertinent, & Caugiaco vico publico, & de villa Limbriaco, & Verincella, & Verniaco, & villa de Ferciaco, & de Ponciaco, de Cariliaco, Priliaco, de Vigra, & de beneficio Hadingi, & de villare & de valle Bovonis, & de Breviaco, & de Carbonariis, & de Ruiliaco, & de Sidrego, & de Paciaco portu super Garronam, & de Gaureco, & de cella quæ Longolin vocatur, & de Gajureco, & de Floreco, & de vico Diablentico, & de cella Arciacas, & de villa Camariaco, & Eviriaco, & Calla, & Commoriaco, & de villa Andoliaco, & de villa Griniaco, & Martiniaco, & Liverolas, & Sisciaco, & de cella Domo regis, & de pago Ardunense, in quo sunt manentes villæ

ſancti Gervaſii, & de Curte Buſane, & de Noviomo, & Scomoiaco, & Camiliaco, & Comaco, & Corma, & Noviomor, & Boſtiliaco vicis publicis. Hæc autem omnia quæ nominatim ſuprà inſerta ſunt, ut jam dictum eſt, evidentiùs & diligentiùs inveſtigatum habemus, & in authenticis ejuſdem Eccleſiæ ſcriptis ipſis Clericis nonobſtantibus reperimus, ſive alias villas quæ propter prolixitatem vel propter ignorantiam nominum villarum in hoc præcepto non ſunt inſertæ, ad jam dictam Eccleſiam juſtè & legaliter pertinere; ſuper quibus has noſtræ auctoritatis litteras fieri decrevimus, per quas ſtatuentes omnibus qui in præſenti tempore aut futuris temporibus ex memoratæ matris Eccleſiæ beneficia aſſecuti ſunt aut aſſequi potuerunt, præcipimus ut de omnibus conlaborationibus terræ, tam fœni quàm annonæ omnium generum, tam de ſua dominatione quàm & de vaſſallorum ſuorum, de vivericiis quoque & perdonato, de paſtionibus & paſcuariis, de herbaticis & pullis, de piſcationibus & paſtionaticis, id eſt, de glandeticis, de melle, & conlaborationibus quæ in hortis ſunt, de nutriminibus animalium & caſeis qui fiunt de vaccaritiis dominicatis, ac de omnibus redditionibus quæ ab hominibus memoratæ matris Eccleſiæ recipiuntur, excepto hoſtilenſe, id eſt, de bubus & conjecto ad carros conſtruendos. De his autem omnibus præcipimus & cenſum legitimum & nonas & decimas annis ſingulis partibus præſcriptæ matris Eccleſiæ abſque ulla marritione vel dilatione reddere, inſuper reſtaurationes tam in præfixa Eccleſia quàm in domibus juxta eam adjacentibus in tegumentis & reſtaurationibus pro poſſibilitate rerum quas in beneficium exinde poſſidet facere non negligatis, ſi gratiam noſtram & eadem beneficia unuſquiſque veſtrum habere voluerit. Præſcripta verò beneficia

volo ut fideles noſtri ſupradicto cènſu cum conſenſu & benevolentia ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi teneant uſque dum illa cum eis quæ ex noſtra datione habere videntur mutare poſſimus & ſæpedictæ Eccleſiæ quæ juſtè & legitimè, ut inquiſitum habemus, debentur, auxiliante Domino reſtitui atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum ſit, quòd ſi aliquis veſtrum extiterit qui hanc juſſionem noſtram aut contemnendo aut negligendo adimplere diſtulerit, quia volumus atque præcipimus ut præſcriptæ urbis Epiſcopus in jure ejuſdem Eccleſiæ ſuæ in ſuam vel Canonicorum ſuorum poteſtatem vel dominationem eaſdem res revocare faciat uſque dum illi qui jam dictæ Eccleſiæ res vel beneficia noſtra largitione habebant in noſtram veniant præſentiam pro eadem negligentia atque contemptu rationes reddere. Et prævideat unuſquiſque ne illam ibi audiat ſententiam, *Qui negligit cenſum, perdat agrum*, & per hanc auctoritatem, ſive pro eorum negligentia vel contemptu ipſa perdant beneficia. Et ut hæc juſſio noſtra veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, atque per omnia à vobis perficiatur & firmiùs futuris temporibus teneatur, de anulo noſtro ſubter has litteras noſtras juſſimus ſigillari.

Capitula Karoli Calvi tit. VII. cap. 66.

Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & ſubſcripſi.

Data II. Kal. Ianuar. anno Chriſto propitio XIX. imperii Domni Hludovici piſſimi Auguſti, Indictione X.

Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

XII. Placuit etiam in hoc ſcripto inſerere exemplaria præceptorum quæ præfatus Domnus Aldricus ſæpedictæ urbis Epiſcopus de monaſteriolo ſanctæ Mariæ quod eſt ſitum intra murum civitatis & fluvium Sarthæ accepit, quod etiam Domnus Hludovicus

dovicus piissimus Imperator propter amorem Dei & reverentiam sanctorum sive propter dilectionem & amorem prædicti Aldrici suprascriptæ urbis Episcopi ad matrem & civitatis seniorem Ecclesiam potestativè & legaliter tradidit. Quam antedictus Domnus Aldricus in honore Domini nostri Salvatoris Iesu Christi & ejusdem genitricis Mariæ sive sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani renovavit solemniterque consecravit atque reconciliavit, congregatis scilicet Episcopis atque sacerdotibus multis nobilibus sive reliquis Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ ministris, cum consensu videlicet absentium multorum & innumerablium nobilium Episcoporum prædictam matrem Ecclesiam in supradictorum memoriis consecrare solemniter ac studiosissimè meruit. Primò siquidem hoc accepit præceptum, quoniam putabat quòd prædictum monasteriolum donatio Regum & fiscus esset Imperatorum. Sed postquam invenit traditiones & precarias sive privilegia & strumenta multarum chartarum in vestigario sive armario prædictæ Ecclesiæ, qualiter præfatum monasteriolum sanctæ Mariæ ad jam dictam matrem & civitatis Ecclesiam à Deo devotis & liberis atque nobilibus utriusque sexus hominibus traditum fuerat, aliud inde accepit præceptum, sicuti in eo continetur insertum. Idcirco hoc facere studuit ut si, quod absit, futuris temporibus aliqua ex hoc causatio orta fuerit, & prædicta præcepta aliquo ingenio ablata vel perdita fuerint, exemplaria amborum in his reperiantur schedulis præceptorum, & in hoc inveniantur inserta libello, quatenus ex hoc procuratores jam dictæ sedis Ecclesiæ, si necessitas fuerit, adjutorium & recuperationem habere valeant.

EXEMPLAR PRÆCEPTI *prioris.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si illius amore cujus munere ceteris mortalibus prælati ſumus, loca divino cultui conſecrata congruis munificentiæ noſtræ beneficiis ad divinum cultum uberiùs exequendum ſuſtollimus, dignæ retributionis præmio nos à Domino remunerari fideliter credimus. Quapropter omnium fidelium noſtrorum benevolentiæ tam præſentium quàm & futurorum, Epiſcoporum videlicet, Abbatum, Ducum, Comitum, Domeſticorum, & eorum ſuperioris & inferioris ordinis tam eccleſiaſticæ quàm reipub. adminiſtratorum notum eſſe volumus quia complacuit celſitudini noſtræ quandam cellam ſitam in pago Cenomanico in ſuburbio ipſius civitatis, id eſt, intra fluvium Sarthæ & murum præfatæ urbis, quæ eſt conſtructa & dedicata in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Petri Apoſtoli atque aliorum ſanctorum quorum reliquiæ & memoriæ inibi venerantur, ſub integritate cum omnibus rebus, appendiciis, & terminis ſuis, & cum omnibus ad ſe pertinentibus, id eſt, baſilicis, domibus ceteriſque ædificiis, vineis, terris, pratis, ſilvis, campis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, locis cultis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus ac ſeipſas moventibus, mancipiis diverſi ſexus & ætatis, matris & civitatis Eccleſiæ Cenomanicæ ſenioris, quæ eſt fundata & dedicata in honore ſancti Salvatoris & præfixæ ſanctæ Mariæ ſemper virginis & ſanctorum martyrum Gervaſii & Prothaſii atque ſancti

Stephani, ubi præsenti tempore vir venerabilis nobisque fidelis Aldricus Episcopus pastor & rector esse dinoscitur, nostra largitione tradere atque concedere & de nostro jure in jus ac potestatem illius solemni donatione transferre, ea videlicet ratione ut famulis serviſque Dei inibi consistentibus & stipendia necessaria uberiùs ministrentur & necessitates ejusdem Ecclesiæ tam exteriùs quàm & interiùs faciliùs procurentur. Per hanc quoque auctoritatem nostram, per quam memoratam cellam cum omnibus ad se pertinentibus, sicut superiùs dictum est, præscriptæ matris & civitatis Ecclesiæ ac præfati Aldrici ejusdem sedis Episcopi delegamus, præcipientes interdicimus ut nullus aut nostris aut successorum nostrorum temporibus eandem cellam inde abstrahere, usurpare, aut invadere præsumat, sed in sæpedictæ Ecclesiæ & in antedicti Aldrici ejusdem Ecclesiæ Pontificis successorumque suorum Pontificum ditione jure perpetuo consistat ad ea quæ suprà diximus exequenda & perficienda. Et ut hæc nostræ concessionis traditionisve auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVI. Kalendas Aprilis anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione XIV.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

EXEMPLAR SECVNDI præcepti quod ſupradictus Domnus Aldricus Epiſcopus accipere ſtuduit, poſtquam chartulas & privilegia in chartulario ſuæ ſedis invenit qualiter præſcriptum monaſteriolum ſanctæ Mariæ à bonis & Deo devotis ac liberis hominibus ad ſupradictam matrem Eccleſiam traditum fuit.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si ſacerdotum ſervorumque Dei juſtis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eaſque ad optatum effectum perducimus, non ſolùm regiam & imperatoriam exercemus conſuetudinem, ſed etiam eoſdem pro exceſſibus noſtris Domini miſericordiam exorando devotiores promptioreſque facimus, atque per hoc immenſam Dei miſericordiam faciliùs nobis conciliandam eſſe confidimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus & futuris quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis Epiſcopus ſuggeſſit noſtræ excellentiæ monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti Petri ſitum extra muros memoratæ urbis, à deceſſore ſuo Innocente quondam Epiſcopo in rebus & ex rebus ſui Epiſcopis fundatum atque conſtructum, deinceps quibuſdam intervenientibus cauſis à jure jam dictæ ſuæ ſedis ſubſtractum, & ab illius dominatione hactenus fuiſſe dilatum. Vtque quod aſſerebat veraciter nobis pateſceret, detulit obtutibus majeſtatis noſtræ quædam chartarum monimenta

Regumque, deceſſorum videlicet noſtrorum, auctoritates quaſdam; quibus inſpectis atque evidenter oſtenditur prædictum monaſterium juris ſæpedictæ ſedis Cenomanicæ ſibi commiſſæ eſſe & in ipſius dominatione debere perſiſtere, humiliter noſtram implorans manſuetudinem ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, noſtra quoque aſſenſione immo auctoritate denuo roboretur. Quæ ita liquidiùs cognoſcentes, eique ob amorem Dei & ejuſdem ſanctæ ſedis reverentiam favorem noſtri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis noſtræ præceptionem ei ſuiſque per tempora ſucceſſoribus fieri ac dari juſſimus, per quam decernimus atque ſancimus ut memoratum monaſterium ſanctæ Mariæ ac ſancti Petri, quod aliquandiu ab eorum jure & ditione ſubſtractum fuerat, abhinc in poſterum habeant atque poſſideant, & quicquid more eccleſiaſtico de eo diſponere voluerint, liberam habeant poteſtatem, neque ullo deinceps tempore à jure præſcriptæ ſedis ſeu ejus rectorum qualibet occaſione aut violentia ſegregetur, ſed ſemper in illius rectorumque ejus poteſtate & diſpoſitione ac voluntate ad divinum cultum propenſiùs exequendum cum omnibus ad ſe pertinentibus integerrimè ſincerrimèque perpetuò conſiſtat. Et ut hæc noſtræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro juſſimus ſigillari. HLVDOVICVS.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & ſubſcripſi.

Data XI. Kalend. April. anno Chriſto propitio XXIII. imperii Hludovici piiſſimi Auguſti, Indictione XIV.

Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Hic eſt inſerendum item exemplar præcepti quod

sæpedictus Domnus Aldricus de rebus & de monasteriolis sive cellulis atque vicis, necnon & villulis sigillatim nominatis sub emunitatis tuitione & gubernatione suæ sedis Ecclesiæ, quam reædificavit, & quasi à novo restruxit atque inmelioravit, inmajoravitque, & in honore sancti Domini Salvatoris & beatæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter consecravit, & præceptum istius exemplaris à Domno Hludovico piissimo Imperatore percipere meruit, sicut in eo continetur insertum. Ita etenim in eo habetur scriptum.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si petitionibus sacerdotum pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras libenter accommodamus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, id nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Igitur notum esse volumus sagacitati fidelium nostrorum præsentium videlicet & futurorum necnon successorum nostrorum quia adiens serenitatem nostram Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus innotuit nobis qualiter olim peccatis præpedientibus sancta mater Ecclesia, quæ in eadem urbe in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum Christi Deo est dicata, ubi multæ res dudum erant, adeo humiliata & rebus suis sit exinanita ut & thesaurus ipsius Ecclesiæ à Christianissimis Principibus de ea ablatus, & quædam strumenta chartarum, per quæ res & mancipia eidem Ecclesiæ fuerant delegatæ, diversorum casuum eventibus magna ex parte ibi deperierunt, necnon paupertatis causa præpediente divini cultus officium miserabiliter fuerit destitutum, & in eadem miserabili conlapsione immo destitu-

tione tamdiu ipsa perstiterit Ecclesia donec inspirante Domino Domnus & genitor noster sanctæ memoriæ Karolus nobilissimus orthodoxus Imperator aliqua monasteriola & villas quasdam juris ejusdem episcopii cum rebus aliis per intercessionem nobilium multorum & optimatum suorum eidem reddiderit Ecclesiæ, quibus ipse sanctus adminiculatus locus liberè atque inexcusabiliter divinæ nunc famulatur potentiæ. Postulavit itque nos prædictus Pontifex ut de eisdem cellulis & rebus, sive quas memoratus genitor noster & nos postea reddidimus Ecclesiæ, necnon & de iis quas ante ipsam redditionem jure & legaliter memorata tenebat Ecclesia, nostræ auctoritatis atque emunitatis præceptum circa ipsum sanctum locum firmitatis gratia fieri decrevisseinus, per quòd firmiùs & securiùs memoratas res modernis futurisque temporibus ipsa teneat & possideat atque defendat Ecclesia. Ostendit etiam nobis præceptum bonæ recordationis beati genitoris nostri Domni Karoli, in quo & eadem continebantur singillatim nominata quæ & in nostro, nisi tantùm ea quæ nos postea ex jure præfatæ Ecclesiæ propter amorem Dei & reverentiam sanctorum prædicto venerabili Aldrico Episcopo & suprascriptæ matri per nostræ auctoritatis præcepta reddidimus Ecclesiæ. Cujus petitioni ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti libenter annuimus, & hoc præceptum auctoritatis nostræ circa ipsum sanctum locum facere censuimus; per quod jubemus ut ipsas cellulas & res & mancipia cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, quæ moderno tempore justè & legaliter ipsa tenet Ecclesia, sive eas quas genitor noster & nos eidem reddidimus Ecclesiæ, necnon & eas quæ antea in jure ipsius episcopii consistebant, firmiter atque inviolabiliter per hanc nostram auctoritatem ipsa teneat atque defendat Ecclesia,

id est, cellulam sancti Vincentii cum omnibus ad se pertinentibus, & cellulam sancti Albini, seu cellulam sancti Audoëni, & cellulam sancti Rigomeri, & cellulam sancti Almiri, & cellulam sancti Vlfacii, & cellulam sancti Baumadi. Hæc omnia cum omnibus ad se pertinentibus, cum vicis canonicis, id est, Salicam, Montiniacum, Cocciacum, Placiacum, & Oxellum, Anciacum quoque, & Artinis, unà cum aliis vicis quorum nomina in plenariis præfatæ matris Ecclesiæ habentur inserta, cum villis senioribus & aliis villulis ad eas pertinentibus, sicut in plenariis jamdictæ matris Ecclesiæ continentur, id est, Rupiacum, Cananiam, Culturas, Baliavalancion, Colonicam, Vetusiacum, & Celsiacum vicum canonicum, & villam ejusdem episcopii, Aloniacum quoque, & Asinarias, atque Vodebeis, Callemartium scilicet, sive alias villulas quarum nomina in promptu non habentur, sed in plenariis jamdictæ sanctæ matris Ecclesiæ tenentur inserta, & census omnium vicorum in eadem parrochia consistentium, sicut in plenariis & breviariis ejusdem Ecclesiæ habetur inscriptum, insuper & monasterium sancti Carilefi situm in condita Labricense cum omnibus ad se pertinentibus, & monasteriolum quod est situm intra murum præfixæ civitatis & fluvium Sarthæ, & est constructum atque dicatum in honore sancti Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum Apostolorum atque aliorum sanctorum. Hæc autem duo monasteriola propter amorem Dei & dilectionem jamdicti Aldrici Episcopi præfatæ cum omnibus ad se pertinentibus reddidimus matri Ecclesiæ perpetualiter possidendum atque tenendum. Reddidimus etiam præscriptæ Ecclesiæ & Conedralium vicum canonicum cum omni integritate, & villam quæ Brogilus vel Novavilla nuncupatur, cum forestibus & villulis sive omnibus ad

se pertinentibus. Reddidimus ei & Lugdunum & Calisam & Tridentem ac Bonallam atque Baladon, & beneficia quinque vassallorum nostrorum, id est, Bestadigbei, Mundi, Vvolfardi, Bodonis, & socii ejus, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sicut in præceptis nostris quæ de jam dictis monasteriolis & villulis adscripta sunt vel pertinentibus jam dicto Aldrico Pontifici facere & scribere jussimus continetur insertum. Hæc verò omnia propter amorem Dei & reverentiam sanctorum venerabili Aldrico præfixo Episcopo & antedictæ matri Ecclesiæ, quam prædictus Aldricus inmajoravit & quasi à fundamento reædificavit, nobiliterque ornavit, & in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani solemniter consecravit & reconciliavit, causa justitiæ in nostra eleemosyna reddidimus & confirmavimus & in jure ejusdem Ecclesiæ ac dominatione rectorum ejus tenendum & ecclesiasticè gubernandum esse censuimus. Memorata igitur monasteriola & memoratas cellulas & villulas cum omnibus rebus & mancipiis ad se pertinentibus, quas modò justè & legaliter memorata tenet Ecclesia, per hanc nostram auctoritatem eidem sub nostræ emunitatis tuitione iterum confirmamus Ecclesiæ. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in dictis villis, locis, vel agris seu reliquis possessionibus memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem regni nostri justè habere & possidere cognoscitur, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci divina voluerit pietas augeri, nemo ad causas audiendas, vel inferendas requirendas, aut tributa vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas

faciendas, aut teloneum exigendum, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos qui super terram ejusdem residere videntur injustè distringendos, nec ullas rehibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeant, vel exactare prædicta ex præfatis rebus quodam in loco præsumant. Et quicquid ex rebus jam dictæ Ecclesiæ fiscus sperare poterat, totum nos memoratæ Ecclesiæ concedimus. Insuper & illud in hoc præcepto inserere deprecante jam dicto Episcopo jussimus, sicut & in bonæ memoriæ Domni & genitoris nostri Karoli Imperatoris præcepto insertum reperimus, ut nullus judex aut Comes aut quislibet homo vel quælibet persona prædictæ Ecclesiæ ministros vel advocatos in mallo publico accusare præsumat antequam conveniat ministros rerum & judices villarum atque hominum à quibus læsus est, ut ab eis familiarem & justam accipiat justitiam; & si à prædictis ministris suam justitiam accipere non valuerit, tunc conveniat Episcopum jamdictæ Ecclesiæ, ut ab ipso suam justitiam familiarem & bonam atque justam accipiat. Et si ab ipso Episcopo neque à suis ministris suam justitiam accipere nequiverit, postmodum licentiam habeat ut in mallo publico suas querelas justè & rationabiliter atque legaliter quærat. Sed si antequam fecerit illud, jam dictæ sedis Ecclesiæ Episcopum & suos ministros & advocatos in mallo & cujusdam conditionis publico placito accusare aut pulsare præsumpserit, quia nostram jussionem atque nostrum præceptum & indictum contempsit sive prævaricavit, bannum nostrum ex hoc nobis componat, & prædictæ Ecclesiæ Episcopo vel suis ministris solidos centum argenti componat, & suam justitiam postmodum absque lege aut aliqua compositione recipiat. Prædictas enim causas me-

moratæ Ecclesiæ Pontificibusque atque servis Dei inibi Domino famulantibus pro Dei amore & reverentia sanctorum concessimus, concessumque futuris temporibus esse volumus. Iterum iterumque jubentes præcipimus ut nullus ex fidelibus nostris, aut judex publicus, vel etiam quælibet immissa vel subrogata persona, aliquam inquietudinem aut injustam contrarietatem de prædictis monasteriolis sive cellulis & rebus & mancipiis ac censibus, necnon & de his quæ sive à nobis sive à successoribus nostris vel à reliquis Deum timentibus eidem Ecclesia divina pietas deinceps augeri voluerit, nostris futurisque temporibus memoratæ Ecclesiæ facere præsumat; sed sub hoc nostræ confirmationis & tuitionis præcepto in jure ejusdem episcopii omni tempore in nostra eleemosyna quietè ac pacificè & justè possideri & legaliter tueri valeant, ita videlicet ut quicquid rectores vel ministri ipsius Ecclesiæ pro opportunitate & utilitate de præfatis rebus facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi; quatenus Pontifices ipsius sedis cum grege sibi commisso pro incolumitate nostra, conjugis, ac prolis, & stabilitate imperii à Deo nobis collati sua gratissima miseratione per immensum conservandi jugiter Domini implorent misericordiam. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque incovulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data Kal. Mart. anno Christo propitio XXIII imperii Dñi Hludovici piissimi Augusti, Indict. II I.

Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feciliter. Amen.

XVI. Prædicta quoque præcepta in hoc opuſculo ideo inſerere placuit ut, ſicut dictum eſt, ſi futuris aut modernis de ſupradictis rebus aliqua quæſtio orta fuerit, exemplaria antedictorum in hoc libello inveniantur inſerta præceptorum; quatenus per ea fideles ſupraſcriptæ Eccleſiæ & rectores atque gubernatores ejuſdem ex his exemplariis adjutorium habere queant. Nonnulla etenim alia præcepta præfatus Domnus Aldricus jamdictæ urbis Epiſcopus accipere pro firmitatis cauſa ſtuduit, quæ in his ſchedulis propter prolixitatem vel faſtidium audientium vel legentium ſive tædium ſcribentium inſerere minimè libuit.

XVII. Prædictus quoque Aldricus ſæpedictæ urbis Epiſcopus collegit quædam capitula canonum valde utilia & neceſſaria, quæ à ſuis conſacerdotibus ſæpiſſime legenda ſive memoriæ commendanda tribuit. Ex quibus enim canonibus atque edictis patrum præfata capitula ſtrictim colligere curavit, in ſuo proœmio continetur inſertum. Primò vero collegit capitula nonnulla ex duodecim Conciliis ſive ex decretis Romanæ ſedis Epiſcoporum, quorum præfationem in prima fronte prædicti operis valde utilem poſuit. Demum quoque quæ ſequuntur ex aliis collegit canonibus atque dictis patrum diverſarum provinciarum, atque nonnulla ex his quæ cum aliis ſanctiſſimis & doctiſſimis Epiſcopis in ſynodis pariter ſanxit, ſive ex capitulis Chriſtianiſſimorum Imperatorum in ſynodis Epiſcoporum decretis tam tempore Pipini quàm & Karoli ſive Hludovici, ſicut in præfationibus ipſius libelli à diligenter inveſtigantibus inveniri poteſt. Sæpedictus quoque Aldricus Epiſcopus fecit tugurium, quod & ciborium nominatur, ſuper altare ſeniori, quod eſt ſacratum, ut præfixum eſt, in honore Domini Salvatoris & ſanctæ Dei genitricis Mariæ atque

sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani necnon & simul in veneratione & honore omnium sanctorum. Ipsum enim ciborium auro & argento mirificè, sicut hodie apparet, fabricare studuit; in quo & cennas argenteas & deauratas desuper configere præcepit, sicut hactenus à conspicientibus prædictum opus videtur. Hic namque fecit in loco in quo olim canes & meretrices sive latrones habitare solebant monasterium supra fluvium Sarthæ miliario & semis à jam dicta urbe distante in honore sancti Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, atque omnium sanctorum, in quo & dormitorium novum decenter compositum fecit, & in ipso dormitorio absidam in orientali parte mirificè construxit, & in ea altare construxit & erexit; ipsam verò absidam, unà cum prædicto altare in die IV. Iduum Septembr. unà cum suis reliquiis in honore sancti Benedicti confessoris præcipui solemniter consecravit; & ubi antea latratus canum & ululatus pauperum qui à latronibus inibi inhabitantibus expoliabantur resonabant, ibi hymnos angelicos & propheticos sive ceterarum divinarum scripturarum laudes decantare & resonare die noctuque Domino constituit. Fecit quoque in ipso monasterio refectorium novum & nobiliter compositum, & cetera officina fratrum, tam cellaria quàm & alia officina mirabiliter & decenter construxit & regulariter ordinavit, monachisque ad inhabitandum contradidit. In ipso ergo loco Kalend. Maii fundamenta Ecclesiæ & claustri cœpit ponere & construere; in quo opere mira & magna virtus Dei est declarata, quia quæ in duos aut tres annos minimè putabant esse consummata, in quatuor & quinto dimidio mensibus Domino adminiculante consummatum est, id est, à Kal. Maiis usque XVI. Kal.

Octobris; in quo Kalendarum die & ipsa Ecclesia est consecrata, & ipsi monachi in dormitorio inibi novo cœperunt dormire, & in refectorio inibi novo manducare. quæ nullo modo fieri potuissent nisi Domini misericordia & ejus magna virtus hoc operata esset. Vnde & ipse laudatur, qui hoc præstare & concedere atque divinitus operari dignatus est; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XVIII. In prædicto itaque monasterio Ecclesiam mirificè & ordinabiliter compositam à novo construxit, in qua & quatuordecim altaria erexit, & ea in memorias & nomina atque honores eorum sanctorum dedicavit & consecravit, & eorum pignora in eis collocavit, quorum nomina super ea hactenus adscripta esse videntur. Ipsam ergo Ecclesiam, ut præfixum est, in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani, necnon & simul in honore omnium sanctorum solemniter decenterque in die XVI. Kalend. Octob. consecravit. Dum ergo consecratio prædictæ Ecclesiæ à jam dicto Episcopo & à suis ministris præparabatur, mira res & minimè celanda accidit. Venit quoque quidam homo, nemine movente hominum aut vocante, sed divina clementia inspirante, compunctus, nomine Salahardus nobilis genere ad præfatum locum & ad jam dictum Episcopum, & adipsam congregationem, qui dixit se velle suum tradere proprium ad eandem devotionem & ad præfixum locum & suos filios binos ad supradictam Ecclesiam tradere servituti, ut & ibi, si Domino placuerit, monachi fierent, & cunctis diebus vitæ illorum inibi Domino deservirent. Quod ita post consecrationem supradictam peractam Domino annuente factum est. Tradidit itaque præfixus vir, multis nobilibus coram astantibus, præfixo Episcopo

unà cum ſuis ſacerdotibus & monachis ſupra præſcriptum altare ſancti Salvatoris votum ejus ſuſcipientibus de proprio ſuo quantum, ut reor, cum mille ſolidis argenti pretioſi nemo emere poterat. Vnde prædicto Epiſcopo & ſuis ſacerdotibus atque monachis inibi Domino famulantibus chartam legalem fecit, & fidejuſſores ex eodem proprio nobiles & electos condonavit. Iſta igitur miracula niſi inſtinctu Dei nullo modo fieri poſſent. Idcirco & ea hîc inſeruimus ut cuncti ſervi Dei pro eis qui hæc legerint orent qui ſuis votis Domini famulatum amplificare magnificareque atque adimplere cupiunt ſive cupierint.

XIX. Conſecratione igitur ſolemniter & canonicè peracta, ad ipſam Eccleſiam ſive ad ipſum altare quod in prædictorum honore ſanctorum conſecravit, & ad fulciendam fratrum neceſſitatem ibidem Domino ſervientium, unà cum ſuis conſacerdotibus & Clericis ſanctè viventibus, cum conſultu & conſenſu videlicet univerſi cleri & populi, contradidit quatuor evangelia mirificè conſcripta & calicem aureum unà cum patena ſua. Etenim ipſum evangelium & prædictum calicem aureum, Deoque ſacratum, unà cum ceteris Epiſcopis & conſacerdotibus manus eorum deſuper imponentibus, & cunctis reliquis conſentientibus ac exorantibus, ibidem de rebus ſuæ ſedis Eccleſiæ cum conſultu omnium contradidit, multis teſtibus circumaſtantibus nobilibus & liberis hominibus videntibus, id eſt, villam Apiacum, in qua ſanctus Vlfacius confeſſor Chriſti requieſcit in corpore, cum omni integritate, & villam Luciacum cum omni integritate, & medietatem de villa Can, & medietatem de villa Bernis, & illas culturas duas juxta præfatum monaſterium infra illam ſilvam conjacentes, unà cum prato ex alia parte monaſterii con-

sistente, sicut termini ipsorum monachorum dividunt, & illa molina duo juxta monasterium supra fluvium Sarthæ constructum, & villam Salvariam cum aliis villulis juxta eam adjacentibus, cum manentibus triginta, & illam vineam indominicatam quæ juxta ipsum monasterium consistit. Hoc totum præfixæ Ecclesiæ & prædicto altari in dotem monachis ibidem Domino famulantibus regulariter cum consensu piissimi Hludovici Imperatoris & Episcoporum multorum, maximè comprovincialium & consacerdotum suorum, monachis ibidem degentibus perpetualiter ad possidendum contradidit, deprecans & contestans humiliterque implorans ut nemo ea inde auferat, sed plura adaugeat, & sicut vult unusquisque ut sua pia facta stabilia permaneant, ita & nostra, licèt pauca, perpetualiter manere inconvulsa permittat. In quo die & in qua solemnitate constituit ut monachi in ipso monasterio degentes & regulariter viventes fratribus Canonicis matri & seniori civitatis Ecclesiæ famulantibus dent plenam refectionem, quæ & in subsequentibus commemorabitur. Ipsam ergo refectionem Clericis matri & seniori civitatis Ecclesiæ famulantibus dare censuit; quæ etiam similiter in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani necnon & simul in veneratione & nomine omnium sanctorum noscitur à prædicto Aldrico Episcopo reconciliata & solemniter, ut præfixum est, sacrata esse, ad cujus similitudinem & imitationem & hanc Ecclesiam in jam dicto monasterio consecravit. Quæ igitur quoniam subjecta est matri & seniori civitatis Ecclesiæ, idcirco & in ipsorum memoria quorum prædicta mater Ecclesia est consecrata & hanc consecrare disposuit. Quod & ita ordinabiliter & solemniter Domino adjuvante factum est.

XX. In die namque consecrationis præscriptæ Ecclesiæ, ut superiùs commemoratum est, censuit supradictis Canonicis & Dei servis matri & seniori civitatis Ecclesiæ famulantibus dari de jam dicto monasterio sancti Salvatoris de pane optimo modios IV. & de vino optimo modios III. & quartum de potione optima, friscingas verò vervecinas duas & porcinas similiter duas. Constituit etiam ut jam dicti Canonici pleniter & decenter venirent cum psallentio, id est, cum crucibus & reliquis divinis obsequiis & ornamentis, ut decet, nobilibus ad vesperas & vigilias jamdictæ festivitatis & dedicationis Domini Salvatoris & ipsius monasterii Ecclesiæ, in qua tam vespertinale quàm & matutinale seu missale officium dedicationis Ecclesiæ, sicut in sacramentorio & lectionario sive antiphonario atque in ceteris sanctorum patrum institutis & rationabiliter ordinatis à prudentibus sanctæ Dei Ecclesiæ cultoribus invenitur, agatur, & pleniter decenterque & rationabiliter atque solemniter unà cum monachis ibidem degentibus & Domino famulantibus devotissimè ab omnibus perficiatur, & post vesperas in ipsius dedicationis vigilia prædicti Canonici in refectorio cum ipsis monachis talem refectionem sicut ipsi monachi unà cum eis habeant. Missa verò crastina in die ipsius solemnitatis canonicè & solemniter peracta, faciant ipsi Canonici utrum Episcopus vel magistri eorum melius & rationabilius judicaverint, aut in ipso monasterio reficiant pleniter, aut prædicta stipendia ad eorum refectoriũ famuli eorum deferant, in quo & ipsi pleniter & decenter reficiant, lætantes quippe & gaudentes de prædicta solemnitate.

XXI. Constituit etiam prædictus Aldricus jam dictæ civitatis Episcopus & humiliter deprecatus est ut in præfixæ solemnitatis die unusquisque tam civitatis sacerdos quàm & suburbanus sive præfati

monasterii Presbyter unam decantaret, dum in præsenti peregrinatione vixerit, pro eo vivente Missam, post obitum quoque ejus, quando Dominus voluerit, similiter constituit & suppliciter deprecatus est, atque unà cum eis pariter sanxit ut pro anima ejus prædicti sacerdotes in jam dicta die decantent devotissimè unusquisque Missam unam, & reliquus clerus, cuncti videlicet monachi & Canonici, unusquisque psalmos quinquaginta devotissimè decantet, orantes namque Dominum cæli ut vitam habere prædictus Aldricus mereatur sempiternam. Porrò similiter constituit ut in die XI. Kal. Ianuar. dedicationis matris & senioris Ecclesiæ civitatis sacerdotes & Clerici Missas & psalmodia sicut & in dedicatione Ecclesiæ sancti Salvatoris jam dicti monasterii pro Aldrico Episcopo studiosissimè decantent, id est, unusquisque sacerdos Missam unam vel eo amplius, si libuerit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & eo amplius, si placuerit, orantes & deprecantes Dominum cæli ut anima ipsius vita sempiterna perfrui & requie æterna mereatur. Amen.

XXII. Similiter ergo & in dedicatione sancti Stephani Ecclesiæ, quam infra claustrum Canonicorum jam dictus Aldricus Episcopus à novo construxit, decretum est ut prædicti Canonici & ipsius civitatis Dei servi & suburbani omnes Presbyteri & Clerici ad ipsam solemnitatem dedicationis Ecclesiæ sancti Stephani manè prima revestiti convenientes, unusquisque sacerdos in ipsa Ecclesia pro anima prædicti Aldrici Pontificis cantet Missam unam; & si amplius voluerit, in ipsius erit benignitate & potestate ut faciat. Et unusquisque Clericus psalmos quinquaginta; & si amplius voluerit, in ipsius erit benignitate & misericordia sine remuneratione & potestate, orantes & deprecantes Do-

mini misericordiam obnixè ut anima ipsius Aldrici Episcopi quiete æterna frui valeat, & requiem sempiternam unà cum sanctis & electis Dei habere mereatur. Amen.

XXIII. Sanxit quoque antedictus Domnus Aldricus Episcopus unà cum fratribus & coepiscopis ac Canonicis suæ sedis Ecclesiæ considerauit ut in die ordinationis ejus omnes Presbyteri tam urbani quàm & suburbani sive monasteriales reliquusque clerus ad vesperas & vigilias ipsius festivitatis, sicut in natalitiis Episcoporum constitutum est solemniter agere, pariter & solemniter convenirent, & in ipsa officia solemniter cum ipsis Canonicis & devotissimè peragerent & post vesperas peractas in refectorio unà cum ipsius Ecclesiæ Canonicis ter biberent, & ad nocturnas vel ad matutinas pleniter postea venirent, & matutinalem synaxim unà cum ipsis Canonicis solemniter & decenter peragerent. In ipsius quippe solemnitatis die constituit atque sanxit unà cum sapientissimis Episcopis atque sacerdotibus ut mane prima omnes sacerdotes tam urbani quàm & suburbani revestiti infra ipsam matrem & seniorem Ecclesiam convenirent, & reliquus clerus unà cum eis adveniat, & unusquisque Presbyter pro jam dicto Aldrico Pontifice Missas devotissimè decantet tres, & unusquisque Clericus pro se psalterium decantet unum, aut simul omnis clerus versa vice unum decantet in choro psalterium, hæc verò officia & Missarum solemnia pro Aldrico venerabili Episcopo devotissimè completa, simul omnes ad legitimum & canonicum tempus in publicum & solemne introëant officium, sicut in natalitiis Pontificum facere constitutum est. Post actum quoque publicum atque solemne officium, simul tam ipsi Canonici quàm & omnes Clerici ad prædicta officia peragenda convenientes in refectorium pariter & sufficienter solem-

niterque reficiant de præbenda quæ eis ad prædicta officia peragenda & ad ipsam solemnitatem complendam à præfixo Aldrico dare de villa cujus vocabulum est Buxarias decretum est, sicut in testamento de ipsa villa fratribus à jamdicto Aldrico Episcopo præfato & in eo scripto atque firmato à multis Episcopis constitutum est. Prædicta verò festivitas & antedicta refectio fratrum quæ modò agitur in XII. Kalendarum Ianuariarum die, quæ & una die anticipatur propter dedicationem præfixæ matris & senioris civitatis Ecclesiæ, decretum & consideratum est à jamdicto Aldrico Episcopo & à prædictis sanctis coepiscopis & suis sacerdotibus & Canonicis universis ut transferatur in diem depositionis ejusdem, quando eum Dominus de hoc seculo vocare voluerit, & in ipsa die agatur tam refectio prædicta quàm & antedicta solemnitas, tantùm enim ut hoc quod modò pro vino in Missis & psalmodiis & ceteris orationibus & ceremoniis agitur, tunc pro defuncto similiter, & prædicto numero adimpleto, id est, unusquisque sacerdos Missas tres, & unusquisque Clericus psalterium unum, in die depositionis ejus agatur pro defuncto Episcopo, & tunc unusquisque devotiùs & solemniùs agere certet, quia major necessitas est tunc quàm nunc; quoniam non est amicus in vita qui post mortem animam illius non diligit, & pro ea orare non certat, atque pro requie ejus orare & certare negligit & dedignatur. Est namque à præfixis sacerdotibus & Dei servis consideratum & decretum ut quisque hæc præterierit, aut cujus negligentia prætermissum fuerit, sive in danda prædicta præbenda, seu in peragendis prædictis officiis, ut ante tribunal districti judicis reddat ex hoc rationem, & ibi sententiam suam accipiat. Videte, fratres & sancti successores antedicti Episcopi, ut hoc decretum non negligatis, sed magis

adimpleret ſtudeatis; qualiter non damnationis pœnam, ſed retributionis præmium in æternum percipere valeatis. Amen.

Oremus, fratres, ut Dominus animæ prædicti Pontificis Aldrici tribuat primæ reſurrectionis partem, & vitam ei habere concedat in cælis, ubi & gloria æterna perfrui unà cum ſanctis Dei æternaliter mereatur, ipſo diſpenſante & tribuente qui vivit & regnat cum Deo patre in unitate ſpiritus ſancti per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

XXIV. Similiter etiam in feſtivitate dedicationis occidentalis partis matris & ſenioris civitatis Eccleſiæ, in qua altare ſancti Iohannis conſtruxit & alia altaria tria, facere cenſuit, id eſt, ut unuſquiſque Preſbyter tam urbanus quàm & ſuburbanus, ſive cuncti monaſteriales ſacerdotes ad ipſam ſolemnitatem, quæ eſt XI. Kalend. Iuliarum, mane prima reveſtiti conveniant, & ibi pro jamdicto Pontifice Aldrico venerabili Epiſcopo Miſſam unam decantent, & ſi ampliùs voluerint, in eorum erit poteſtate & miſericordia ſine retributione, & unuſquiſque Clericus pſalmos quinquaginta, & eo ampliùs decantet pro anima Aldrici jamdicti Epiſcopi, orantes quoque Dominum cæli & deprecantes miſericordiam ejus ut anima prædicti Aldrici Epiſcopi vitam æternam habere valeat ſive requiem ſempiternam unà cum ſanctis & electis Dei æternaliter frui mereatur per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

XXV. Conſtituit enim præfatus Aldricus venerabilis Epiſcopus ut omnes Preſbyteri tam urbani quàm & ſuburbani ſive monaſteriales juxta urbem degentes & omnes ſacerdotes infra illam commanentes ad prædictas ſex feſtivitates decenter & reveſtiti convenirent, id eſt, XVIII. Kal. Septembrium, quando feſtivitas Aſſumptionis ſanctæ Dei genitricis Mariæ celebratur, & in feſtivitate

consecrationis occidentalis partis matris & senioris civitatis Ecclesiæ, quæ est XI. Kal. Iuliarum, & in festivitate dedicationis Ecclesiæ sancti Salvatoris infra monasterium monachorum quod Aldricus supradictus Episcopus supra fluvium Sarthæ à novo fundavit, & in quo monachos habitare & regulariter vivere constituit, & in festivitate sacrationis Ecclesiæ sancti Stephani quam jamdictus Aldricus Episcopus intra claustrum Canonicorum à novo fundavit, quæ est V. Iduum Novembrium, & in festivitate natalitii præfati Aldrici Episcopi, quæ est XII. Kal. Ianuariarum propter anticipationem unius festi diei, id est, matris & senioris Ecclesiæ consecrationis celebratur, & in festivitate consecrationis matris & senioris civitatis Eecclesiæ, quæ est XII. Kal. Ianuariarum. Ad has ergo festivitates consideratum & decretum est ut prædicti sacerdotes revestiti mane prima conveniant, & in jamdictis Ecclesiis oblatas & vinum à custodibus ipsarum Ecclesiarum accipiant, & supradicta officia pro Aldrico Episcopo mane prima ante horam tertiam faciant, orantes humiliter & supplicantes flexisque poplitibus Domini misericordiam obsecrantes tam sacerdotes cuncti quàm & reliqui Clerici omnes ut absolvat Dominus animam Aldrici prædicti Episcopi ab omni vinculo delictorum, quatenus in resurrectionis gloria inter sanctos & electos Dei resuscitari mereatur, & vita sempiterna unà cum eis perfruatur per infinita secula seculorum. Amen. Hæc ergo officia pro Aldrico prædicto Episcopo devotissimè & bono animo peracta, hora tertia in publicum & solemne ipsius diei officium omnes introëant, & officium solemne decenter solemniterque peractum in refectorio unà cum prædictæ sanctæ matris Ecclesiæ Canonicis in prædictis sex diebus & festivitatibus plenam & condecentem refectionem

ſicut ipſi Canonici habeant, gaudentes & lætantes plaudenteſque in prædictis feſtivitatibus perſiſtant, laudantes & benedicentes Dominum qui eis tanta bona tribuere non dedignatus eſt, orantes quoque & ſupplicantes Dominum cæli precibus incumbant, ut hanc vitam pacificè & decenter ſanctèque & piè degere valeant, & poſtmodum, quando Deus voluerit, vita æterna in cæleſtibus ſedibus unà cum ſanctis Dei frui mereantur. quod ipſe præſtare dignetur cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Hanc quicunque cupit diſſolvere, à membris Eccleſiæ diſſociatus eat.

XXVI. Fecit igitur antedictus Aldricus Epiſcopus monaſterium in loco ubi dudum monaſterium fuerat in honore ſanctæ Mariæ conſtructum, quod & ipſe legibus & per inſtrumenta chartarum à Domno Imperatore Hludovico ad jus ſæpedictæ Eccleſiæ acquiſivit, ſed penè deſtructum atque dirutum & abſque ulla ratione neglectum. In loco verò ſupradicto ubi illud prædictum monaſterium fuerat, id eſt, inter murum civitatis & fluvium Sarthæ, monaſterium prædictus Aldricus Epiſcopus, ut dictum eſt, fundavit, & à novo prout meliùs potuit conſtruere ſtuduit. Eccleſiam namque inibi fecit majorem quàm ibi deſtructam inveniſſet, eamque in honore Domini Salvatoris & ſanctæ ejuſdem Dei genitricis Mariæ ſanctorumque martyrum Stephani, Gervaſii, & Prothaſii IV. Idus Octob. canonicè atque ſolemniter ſacravit. Et propterea hoc illi viſum fuit agere quia in eorum ſanctorum nomine & honore in quibus caput ipſius monaſterii, id eſt, mater Eccleſia civitatis ſacrata erat, ut in ipſorum memoria & honore & membrum conſtructum ſacratumve foret, & ſicut prædicta mater Eccleſia in honore Domini Salvatoris & ſanctæ Mariæ ſanctorumque martyrum Gervaſii & Prothaſii dedicata

erat, ita & ipsa in eodem monasterio Ecclesia fuisset, qualiter eorundem sanctorum memoria ab omnibus ut decet inibi futuris veneretur temporibus. Porrò claustrum juxta ipsam Ecclesiam fecit, id est, refectorium, dormitorium, cellarium, & cetera officina quæ ad monasterium pertinent nobiliter composuit, & ita constituit ut in medio claustro fons vivus & bonus surgeret, & inde per eorum officina aquam eis ministrando discurreret. In ipso quoque monasterio monachas instituit secundùm regulam sancti Benedicti degentes, quas per licentiam Domni Imperatoris Hludovici & Dominæ Imperatricis Iudith ab Intramnis monasterio misit ibidem. Et hoc decrevit atque sanxit pariter cum suo Metropolitano & suis comprovincialibus & aliis multis Episcopis auctoritate prædicti Imperatoris Hludovici ut futuris temporibus semper monachæ regulariter viventes & secundùm regulam sancti Benedicti degentes inibi permanerent, & si quis hæc destruere aut infringere nisus (quod absit) fuerit, ante tribunal æterni judicis inde tremebundam redderet rationem. Ipsis quoque sanctis monialibus & monachis villas dedit, ut inde eorum stipendia & vestimenta atque cetera supplementa per singulos annos pleniter haberent, ut absque ullo impedimento aut indigentia regulariter vivere possent, id est, villam Macerias in condita Conedralinse cum omni integritate, & aliam in condita Vivonienſe cum omni integritate quæ Taumiacus nominatur, & est sita super fluvium Sarthæ, tertiam verò super eundem fluvium Sarthæ quæ Monasteriolus vocatur, & quartam in condita Gabronenſe, quæ Cambronis appellatur. Constituit namque ut de præfato monasterio & de supradictis villis ministri & monachæ ipsius monasterii Canonicis matris & senioris civitatis Ecclesiæ degentibus unam refectionem per singulos annos in solemnitate

prædictæ dedicationis Ecclesiæ, id est, quarto Idus Octob. plenam & bonam facerent, & ipsi Canonici ad officium dedicationis ipsius Ecclesiæ revestiti veniant, & illud inibi per singulos annos, sicut in libris officiorum continetur, solemniter celebrent, atque pro prædicto Aldrico Episcopo inibi Missas & psalmodia devotissimè cantent, id est, unusquisque Presbyter Missam unam aut duas, & unusquisque Clericus sive monacha psalmos centum decantent, perorantes Dominum cæli ut vitam æternam habere in cælestibus mereatur, insuper orantes & devotissimè supplicantes ut requiem æternam donet ei Dominus, & lux perpetua luceat ei. Amen.

Supradicta enim refectio Canonicorum talis debet esse, id est, ut accipiant per singulos annos de pane optimo modios quatuor, & friscingas porcinas optimas quatuor, & de vino optimo modios quatuor, tam in vita ipsius Aldrici quàm & post ejus obitum, ita fiat qualiter ambobus congregationibus delectet semper pro eo orare tam in ipso die quàm & in reliquis diebus, & memoria ipsius nominis ab eis devotissimè celebretur, qualiter cum sanctis Dei in cælestibus lætari & beata requie frui mereatur. Amen.

XXVII. Præfatus ergo Aldricus Episcopus ingressus villam sui episcopii, in condita videlicet Conedralinse monachos regulariter degentes instituit, ubi & monasteriolum, prout tunc temporis ratio dictavit & ipse meliùs potuit, Ecclesiam & claustrum ædificavit, & futuris temporibus habitationes monachis regulariter viventibus præparavit. Et hoc constituit, ut semper ibi monachi essent, & pro Domno Imperatore & pro eo sive pro universa Ecclesia die noctuque orarent, suasque animas inibi salvarent & aliorum lucrarent, bonamque vitam perpetualiter regulariter viventes ducerent. Ipsis

enim monachis ex rebus ſuæ ſedis Eccleſiæ ſibique divinitus commiſſis ad eorum varias neceſſitates ſufficienter fulciendas atque ſupplendas dare abundanter, prout tunc temporis expoſcebat neceſſitas, non diſtulit. Vnde & ſcriptum quoddam ſua ceterorumque venerabilium auctoritate Epiſcoporum reliquorumque ordinum Deo ſervientium necnon & laicorum religioſorumque pariter ac nobilium manibus roboratum futuris temporibus habendum & cuſtodiendum propriis manibus tradidit, ut ex rebus in eo inſertis eorum neceſſitates ſupplerent & Domino ſuiſque ſucceſſoribus regulariter militarent, atque multos Domino lucrarent, & pro..... Principibus & Pontificibus, quibus ſubjecti eſſe debebant, atque pro cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus futuris temporibus exorarent, quatenus eorum & aliorum ſervorum Dei precibus remiſſionem omnium peccatorum & vitam perpetuam habere mereantur in cælis. Amen.

XXVIII. Sæpedictus igitur Aldricus Cenomanicæ matris Eccleſiæ Epiſcopus quoddam monaſterium monachorum in condita Duciacinſe, in loco qui dicitur Talipiacus, ſuper fluviolum Rhodani conſtruxit prout meliùs tunc temporis ratio permiſit. In ipſo enim monaſterio Talipiaco Eccleſiam in honore ſancti Petri unà cum clauſtro monachorum & molendinis & ceteris officinis quæ ad curam & regulam monachorum pertinent prout meliùs potuit prædictus Pontifex conſtruere & ornare nobiliterque & ſapienter componere ſtuduit. In præfato enim monaſterio Talipiaco monachos de monaſterio ſuo quod Aniſola nominatur, in quo ſanctus Carilephus corpore requieſcit, miſit, ut in eo regulariter viverent, & multos ad Dominum attraherent, ſuaſque atque multorum aliorum animas inibi Domno multipliciter lucrarent, & pro Domno

Hludovico Imperatore seu pro filio ejus Karolo atque pro præfixo Aldrico Episcopo sive pro omnibus sibi commissis & universi, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus die noctuque fideliter exorantes rogarent ut nobis omnibus suam semper tribuat facere voluntatem vitamque concedat degere felicem, & insuper requiem tribuat sempiternam. Amen. In memorato ergo monasterio Talipiaco Præpositum suum nomine Iacob Archipresbyterum Abbatem constituit, qui monachorum curam ibi gereret, eosque monachos juxta regulam sancti Benedicti regulariter regeret, suamque atque aliorum animas inibi salvaret, atque ad supernam patriam, id est, cæleste regnum Domino adjuvante deduceret, ut cælestibus in sedibus unà cum sanctis & electis Dei perpetualiter vivere & cum eis regnare & gloriari præstante Domino nostro Iesu Christo mereantur. Amen. Has ergo villulas & res jamdictus Aldricus Episcopus præfixo monasteriolo & monachis inibi Domino degentibus per suum privilegium confirmavit unà cum licentia Domni Hludovici piissimi Imperatoris & unà cum consensu Vrsmari sui Metropolitani & ceterorum suorum comprovincialium sanctorum Episcoporum, assensum etiam præbente universo ordine & clero sibi commisso sive cuncto catu Cenomanicæ in parrochia militantium sacerdotum ac levitarum atque reliquorum sacrorum ordinum ministrorum.

XXIX. Commemoratus namque Aldricus Cenomanicæ matris Ecclesiæ Episcopus divino honore fervens pariter & amore, monasterium sancti Vincentii juxta Cenomanicam urbem situm quasi à novo reædificavit & renovare studuit, ipsamque Ecclesiam sancti Vincentii teguminibus & aliis ædificiis ornare interiùs exteriùsque non distulit, & juxta eum in aquilonari parte claustrum monachorum unà cum aliis ædificiis quæ ad curam & regu-

lam eorum pertinere videntur, prout meliùs potuit, conſtruere & ornare nobiliterque & ſapienter atque decenter componere ſtuduit. In præfato quippe monaſterio præfixi ſancti Vincentii, quod penè dirutum & quaſi annullatum invenit, jam magna ex parte reædificato poſuit monachos, ut regulariter in eo viverent, & multos ad Domini Salvatoris ſervitium & ad decorem ſanctæ Dei Eccleſiæ attraherent, & ad lucrum animarum & corporum ſive ad ſalvationem & exaltationem Chriſtiani populi multos acquirerent, ſuaſque atque aliorum innumerabilium animas multipliciter inibi ſanctè & juſtè ac piè & regulariter viventes Domino lucrarent, & pro Domno Hludovico Imperatore ſive pro ejus conjuge Iudith Imperatrice atque pro nobiliſſima prole eorum Karolo glorioſo Rege, quorum licentia & auxilio fultus hæc agere cœpit, & pro omnibus ſibi commiſſis gregibus & populis fideliter & inceſſabiliter die noctuque implorarent, ſeu pro omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis inceſſanter orarent ut Dominus ſalvator noſter, qui nos proprio ſanguine redemit, die noctuque in ſuo ſervitio & ad ſuam peragendam voluntatem ubique cuſtodiat, ſemperque felicem vitam ducere concedat, & ad ſocietatem ſanctorum intercedentibus ſervorum & ſanctorum Dei meritis perducere dignetur.



XXX. *COMMEMORATIO de mansionilibus & novalibus quæ præfatus Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ suorumque servorum & sustentationem pauperum sive indigentium atque supplementum sibi famulantium, & ad alenda sive nutrienda pecora, construere & extirpare studuit.*

IVxta monasterium sancti Salvatoris unam sibi ad inhabitandum fecit mansionem, & in monte Sedoneris octo fecit mansionilia, & in rebus de villa Vodebistria in Caterniaco tria, in Ruiniaco tria, super fluviolum Miliciæ tria, inter Agniacum & silva Briscia tria, in Drumniaco duo, in Mantula de ratione sanctæ Mariæ duo, in Mantula sancti Albini & fratrum unum, in Novavilla duo, in Rino petroso unum, in Colonica secus urbem, in loco qui dicitur Vivariis, unum, in Puscit duo, in illa rua ultra fluvium Sarthæ duo, in illa rua sancti Vincentii unum, in Laudemauro unum, in Bellasilva tria, in silva Laudesinde duo, in villa Tricionis quinque, super fluvium Liti juxta Culturas duo, in monte ipsius villæ, ubi vinea antiqua fuit, unum, in silva Vuastina septem, in Mouciaco tria, in Canon duo, in Noiolio unum, hoc est, in Vuastina, in Vvindoninse pago unum, in villa Cipetra super fluvium Sarthæ unum, in Parciaco unum, in Casiliaco duo, in Aciaco unum, in Rupiaco tria, in Asinariis villa fratrum duo, in Colonica duo, in vetus vicum unum, in Celsiaco duo, in Stauriaco in pago Baiocassino duo, in silva Blanau in pago Oxominse duo, in Spelteriis villa fratrum duo, in Co-

lonica duo, in vetus vicum unum, in Durno unum, in Canania tria, & in Culcanna sive ad sanctum Iulianum duo, juxta monasterium sancti Carilephi super illud magnum vivarium unum, ad monasterium aliud, ad Belmont tertium, juxta Maceriolas quatuor, juxta illam silvam quam Godefredus fecit quinque, in Panitiariis sex & septem, in campo Caballorum octo & novem, in Mont Camp decem, in Bovonis villare unum, in villam novam duo, in Vvarinnas duo, ad Ruciacum unum, in luco Aldrici unum, in Cipetum super fluvium Lizi in Belsa unum, in Pertica ad illam cellam unum, in Runciviacum unum, in Stiviale unum, ad mansiones juxta furcam Burgast unum, in Fraxinido in Belsa in Vuodebris unum, juxta Vuodebris in loco qui dicitur ad sanctum Paternum unum, in Flaciaco unum, in Rusiaco super Sartham unum, ad Curtunvelt unum, in Brimo unum, in villa Maurane unum, in Breniaco in Brustondinse unum, in Brinnaico in Exominse quatuor, ad Cervias unum, ad Curt Cardrici unum, ad Piscosam unum, ad Gaure unum, in Sarcinaco super fluvium Meduanam unum, in Cambion unum, in Bolsingas unum, in Autlingua Saxoniæ unum, in Alona unum, juxta campum Sigelaici unum, in Brisciola unum, in Molindareslingres unum, in Montmercantin unum, in finibus Culturensibus juxta Truecto sursum in illo monte è contra Montcuc unum, in silva Carnida quinque, in Novavilla in Audecavo unum, in campo Seutdom unà cum sua Eccleśia unum, in cultura quæ Monasteriolus vocatur unum, in illo monte ad Archas unum, juxta Sabonarias unum, juxta Proliacum latronum unum, in Contiliaco unum, in Contidla unum, ad villam Hulduminum, ad Fraxino in finibus Balian unum.

Sunt in summa centum quinquaginta duo man-

sionilia à novo fundata & reædificata non minima.

XXXI. Placuit quoque in hoc opusculo inserere exemplaria privilegiorum præfixi Episcopi & præceptorum ab Imperatoribus & Regibus supra ipsa privilegia firmatis studio à præscripto Domno Aldrico Episcopo impetrata, ne aliqua machinatione præfata privilegia quassarentur Imperatorum & Regum auctoritatibus confirmata, quæ suis monachis & Canonicis de quibusdam rebus & villulis fecit, ut eorum stipendia pleniter haberent, & absque indigentia Domino servirent, & mater Ecclesia suum privilegium pleniter retineret, sicut in subsequentibus hæc scire & investigare volentibus inveniri poterit.

EXEMPLAR PRIVILEGII quod fecit memoratus Pontifex fratribus suis de quinque festivitatibus anni & de villa Buxariis.

IN nomine sancti Salvatoris & veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii & Prothasii, quorum Ecclesiæ titularius, licèt indignè, esse videor, ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Episcopus primo anno ordinationis meæ oppidò mœstus de conversatione fratrum & Canonicorum nostrorum, quadam nocte in ratione positus, ut credo divinitus inspiratus, cœpi cogitare ut rationabiliùs & canonicè viverent, atque quod multo seu, ut fertur, nullo transacto tempore habuere claustrum haberent, in quo canonicè & regulariter conversarentur, & religiosè ac canonialiter Domino devotè famulantes præsentibus scilicet atque futuris temporibus

inhabitarent. Memorato ergo in tempore per consensum Landramni venerabilis nostri Archiepiscopi, seu & per exorationem comprovincialium nostrorum omnium Episcoporum, dedi prædictis Canonicis nostris domum in dextera & australi parte constructam nostræ sedis & matris Ecclesiæ, quæ est consecrata in honore sancti Salvatoris & in nomine ac veneratione prædictorum sanctorum, id est, sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani, simulque in veneratione & nomine omnium sanctorum; qua etiam in domo ego & antecessores mei dudum inhabitare solebamus. Prædictam ergo domum nostram atque præfatum locum cum omnibus ædificiis superpositis & ædificatis dedi Canonicis nostris secundùm ordinem canonicum ad inhabitandum. Ipsum quoque locum demum in modum claustri juxta virium mearum imbecillitatem restaurare curavi, & ibidem secundùm canonicam institutionem ac sanctorum patrum ordinem canonicaliter Deo & prædictæ Ecclesiæ servientes pariter institui degere vitam & ad canonicas pari modo cunctos devotissimè concurrere horas, ac tempore refectionis, ut sanctus canonialis ordo docet, ad eorum refectionem nostri operis studio noviter ædificatum ad reficiendum occurrant, & omnia quæ ad corporis sustentationem pertinent, secundùm ordinem canonicum pleniter percipiant. Hæc ergo ita peracta, accessi humiliter ad clementiam Domni & senioris nostri Hludovici piissimi Imperatoris, petens ab eo ut pro sua largissima eleemosyna aliquid de rebus nostræ sedis ac matris Ecclesiæ quas Vassi dominici per ejus beneficium tenebant mihi reddidisset. Quam petitionem Domino annuente non renuit, sed sicut deprecatus sum adimplevit, & per præceptum suum, suo quippe anulo sigillatum, confirmavit. Hæc autem

autem taliter peracta & à sua clementia impetrata, petii ut mihi licentiam daret ut aliquid de ipsis rebus ad necessaria fratrum & Canonicorum nostrorum quas mihi reddidit tribuerem. Quod ita & fecit. Tunc ergo gratulanti animo in eleemosyna & memoria jamdicti Domini mei Hludovici piissimi Augusti dedi sana mente & prompto animo præfixis fratribus & Canonicis nostris, unà cum consensu præfati Domni Landramni Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopi & aliorum omnium scilicet comprovincialium coepiscoporum nostrorum, ad supplementum memoratorum fratrum nostrorum atque Canonicorum nostrorum, in pago Cenomanico infra quintam præfixæ civitatis villam unam nomine Buxarias cum omnibus ad se pertinentibus, & silvam aliquam quæ Follicionis vocatur cum omni integritate, atque futuris temporibus ad eorum supplementum augendum per hoc testamentum confirmavi. Ita sanè hoc feci ut per singulos annos habeant memorati fratres de præfata villa in festivitate dedicationis occidentalis partis matris & senioris Ecclesiæ, quæ est XI. Kal. Iuliarum die, in qua etiam parte occidentali est in suprascripto die sacratum altare in honore sancti Iohannis, & alia duo in honore aliorum sanctorum quorum nomina super ipsa altaria sunt conscripta, & quartum altare desuper in solario constructum in honore omnium sanctorum dinoscitur in jam dicto die à nobis esse sacratum. In memorato itaque XI. Kal. Iuliarum die, in veneratione jam dictæ dedicationis & solemnitatis, de prædicta villa Buxarias statuentes per hoc testamentum censemus, & censentes consultu & exhortatione multorum Episcoporum ac sacerdotum devotissimè statuimus ut accipiant suprascripti Canonici & fratres nostri de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper

potione quæ vulgò alixona dicitur modium unum, & arietes optimos quatuor, & porcos optimos duos. Et in dedicatione Ecclesiæ sancti Stephani quæ est infra claustrum constructa, cujus festivitas dedicationis est V. Idus Novembris, similiter habeant fratres de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper de potione quæ dicitur silvia modium unum, & frisingas porcinas perbonas duas, & arietes quatuor. In anniversario etiam ordinationis nostræ, quæ celebratur XII. Kal. Ianuarias, quæ tamen anticipatur una die propter dedicationem matris & senioris nostræ sedis Ecclesiæ, quæ est XI. Kal. Ianuarias, habeant prædicti fratres ad eorum refectionem de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper potionem de finiculo modium unum, & ad pisces emendos de argento solidos quinque, de caseo autem modium unum, & de legumine optimo similiter modium unum. In dedicatione verò absidæ matris & senioris nostræ urbis Ecclesiæ & reconciliatione ipsius Ecclesiæ quam noviter ædificavi atque reædificare studui, quam & in honore sancti Salvatoris & in nomine sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, simulque in honore & veneratione omnium sanctorum XI. Kal. Ianuariarum die cum aliis Episcopis & sacerdotibus multis solemniter dedicavi, & multorum sanctorum reliquias in ea propriis manibus collocavi, sive de corpore proprio sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii in confessione senioris altaris reliquias dedicando, decenter composui. In ipsa ergo festivitate habeant jamdicti fratres de frumento optimo modios sex, de vino autem optimo modios quatuor, insuper & de costo optimo modium unum, & ad pisces emendos solidos quinque, de caseo verò modium unum, & de legu-

mine similiter modium unum. Hæc autem omnia de præfata villa Buxarias memoratis fratribus, veluti præfixum est, devotissimè ministrentur. Ea scilicet ratione hæc illis dare censuimus ut prædictas quinque festivitates sæpedicti fratres solemniter & devotissimè celebrent adjunctos sibi monasteriales omnes, sive suburbanos sacerdotes & reliquos Clericos, qui in supradictas festivitatum vigilias devotissimè veniant, & tunc mane prima revestiti in Ecclesia cujus festivitas celebratur devotissimè adesse procurent, ministrante autem eis custode ipsius Ecclesiæ oblatas & vinum sufficienter inibi per singula altaria pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos Missam decanter unam & ampliùs, si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & ampliùs quantum dilectio & amor Dei instigaverit. Ipsos autem psalmos tam ipsi Canonici quàm & suburbani vel monasteriales Clerici alterius chori in præfata Ecclesia vicissim decantare studeant. Post obitum verò meum, quando Deus voluerit, in prædictis festivitatibus futuris temporibus similiter pro defuncto faciant tam in Missis quàm & psalmodiis humiliter precamur. Hæc ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum introëant officium, ipsius diei festivam peragentes solemnitatem. Peracto autem solemniter prædictæ festivitatis officio, tunc in refectorio unà cum prædictis monasterialibus & suburbanis sacerdotibus ac Clericis religiosè lectionem continuò audientes & intendentes religiosissimè & cum silentio reficiant. Hoc ergo summoperè supplici-ter obsecro sanctos successores meos & præpositos ac magistros seu ministros Canonicorum prædictorum, sive ipsos Canonicos præsentes scilicet & futuros, ut prædictos suburbanos seu monasteriales sacerdotes & Clericos qui ad prædictam festivi-

tatem venerint, & supraſcriptas orationes pro me miſerrimo peccatore fecerint, à memorata refectione & ab eorum refectorio à ſe non excludant; ſed ſi aliqua neceſſitate factum fuerit, tunc ſtatuentes imploramus ut unus Canonicorum bene fidelis de prædictis ſtipendiis quæ de memorata villa Buxarias tribuuntur accipiat unum modium panis & alterum vini, inſuper & de jam dicta potione ſextaria quatuor, & unam friſcingam qualem meliorem invenerit, & ex his, illis præparet infra præfixum clauſtrum in optimo loco devotè & religiosè refectionem plenam, ſed magis opto & ſuplex deprecor ut cum ſæpedictis Canonicis noſtris in refectorio cum illis religioſiſſimè reficiant, ſolemniter quoque prædictas dies ducentes, & de tantis feſtivitatibus lætantes, Deumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam hanc degere valeant vitam, & præmia æternæ vitæ percipere mereantur. Inſuper de prædictis ſtipendiis deprecans ſanctos ſucceſſores meos atque miniſtros præfatæ matris Eccleſiæ conteſtor, atque conteſtans humiliter deprecor, ut unum modium de præfixo pane per ſingulas jam dictas feſtivitates & alium de prædicto vino, & de præfatis friſcingis unam quadraginta pauperibus in ſingulis memoratis feſtivitatibus tribuant, & in optimo loco ex his eis refectionem præparent: qui inde refectionem habentes Dominum ſalvatorem mundi collaudent, & pro me miſerrimo peccatore vivo atque defuncto orare ſtudeant, qualiter cum ſanctis & electis Dei æternaliter lætari valeam, & vita frui perpetua merear. Amen. Quicquid autem in jamdicta villa ampliùs elaboratum & acquiſitum quàm ſuperiùs in prædictis feſtivitatibus miniſtrandum inſertum eſt de qualicunque juſto ingenio vel arte, hoc ipſum veniat ad communem utilitatem prædictorum fratrum & ad eorum refectionum aug-

mentum proficiat, & nihil eis de sumptibus præfatæ villæ à quoquam substractum vel minoratum fiat, ut magis ac magis Domini omnipotentis servitium adimplere valeant, & pro perpetuitate imperii & Domi i & senioris nostri Hludovici præscripti piissimique Imperatoris & sospitate conjugis & prolis ejus atque invictissima sui exercitus victoria exorare humiliter delectetur, & quasi ad vestigia pedum eorum provolutus deprecor universis in hac sede succedentes ut hanc firmitatem quam pro amore Domini Salvatoris & veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Stephani, Gervasii, & Prothasii, atque omnium in veneratione sanctorum, & eleemosyna sæpedicti Domni Hludovici Imperatoris, ac per ejus licentiam pro ponderе peccaminum meorum fieri decertavi, in perpetuum conservent esse mansuram. Quam devotionem si quispiam violare præsumpserit, ante tribunal Christi, pro cujus amore hoc factum esse dinoscitur, tremebundam in judicium deducat rationem. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Episcopus hoc testamentum à me factum subscripsi. Vrsmarus indignus Turonicæ urbis Archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Audecavensium antistes huic testamenti decreto assensum præbui & subscripsi. Ionas indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis Archiepiscopus subscripsi, Ebroinus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Guntardus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus Parisiacæ urbis Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Vvarnarius indignus Episcopus huic testamento subscripsi. Ego Echardus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Theodericus Cameracensis urbis

Episcopus hoc testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Ansteus Decanus subscripsi. Godenus Archipresbyter subscripsi. Ricardus Presbyter subscripsi. Dedivinus Archipresbyter subscripsi. Eruardus, licèt indignus, Presbyter subscripsi. Geraldus subscripsi. Gansuinus Presbyter subscripsi. Ascaricus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Gerihanus Presbyter subscripsi. Vvineboldus Presbyter subscripsi. Flodoinus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Anisacharus Diaconus subscripsi. Rodricus Diaconus subscripsi. Regnogardus modicus subscripsi. Vivaldus Subdiaconus subscripsi. Data Kalend. April. in die sancto Paschæ anno incarnationis dominicæ DCCCXXXVII. Indictione verò XV. anno quoque XXIII. imperii Domni nostri Hludovici gloriosissimi Imperatoris, & anno ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publica in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIII. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici Imperatoris super præscripto privilegio de villa Buxarias.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Ego Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris fidelibus præsentibus & futuris notum sit quia vir venerabilis Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus nostræ suggessit mansuetudini eò quòd primordiis ordinationis suæ confusum Canonicorum matris Ecclesiæ sibi commissorum ordinem statumque invenerit, & claustrum qui canonicè vivere debent eatenus nullum habuerant, sed ipse divini cultus amore fervens, ex domibus quas

Episcopi antecessores sui propriis usibus habere solerent, memoratorum Canonicorum habitaculis ac variis usibus attribuerit, illicque constructis & secundùm opportunitatem cuujusque usibus ædificatis ac decoratis, eos secundùm auctoritatem canonicam fecerit habitare. Retulit etiam serenitati nostræ eò quòd jam dictæ matris Ecclesiæ quibusdam additis oratoriis aliisque forinsecus Ecclesiis, solemniter religiosèque eorum devotionem adimplere curaverit, easdem dedicationum festivitates propriis temporibus solemniter memorati Canonici, convenientibus tam sacerdotibus quam religiosis laicis reliquoque populo solemniter celebrare valerent, eisdem Canonicis quandam ejusdem villam Buxarias vocabulo per testamenti conscriptionem propria ceterorumque Episcoporum venerabilium manibus roboratam propriè delegaverit, quatenus in sæpedictis dedicationum festivitatibus, præfixis etiam quibusdam conditionibus dignam ac necessariam refectionem habere valerent. Quæ sua institutio ut perennibus temporibus inviolabilis persistere possit, nostræ supplicavit celsitudini ut super idem devotissimè religiosè institutam nostram firmitatis gratia auctoritatem percipere mereretur, per quam futuris temporibus inconvulsè atque inviolabiliter permaneret. Cujus supplicationibus annuentes, per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus ut quod studio divini honoris & cultus religiosè patrasse atque instituisse dinoscitur, & jam dicta inscriptionis suæ serie conscribi ac roborare non distulit, cunctis temporibus maneat inconvulsum, nec quispiam successorum suorum de conditionibus in ea comprehensis quicquam audeat immutare aut memoratam villam à jure eorundem Canonicorum abstrahere, sed quicquid de ea secundùm institutionem ejus, ut dictum est, ordinare at-

que disponere voluerint sæpedicti Canonici, liberam in omnibus habeant potestatem; quatenus pro nobis, conjuge, proleque nostra, ac stabilitate totius imperii à Deo nobis concessi Domini misericordiam jugiter valeant exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Datum XIV. Kalendas Iul. anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione XV.

Actum Theodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIV. *SEQVITVR EXEMPLAR privilegii quod fecit prænominatus Aldricus Episcopus Ecclesiæ sancti Salvatoris super fluvium Sarthæ & monachis ibi Domino famulantibus.*

IN nomine sanctæ trinitatis & unicæ divinitatis. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Episcopus, illustratione divinæ pietatis provocatus, unà cum consensu & licentia Domni Hludovici piissimi Imperatoris seu omnium sanctorum comprovincialium Episcoporum atque aliarum multarum provinciarum nobilium ac sapientium Pontificum, sive cum omni nostræ curæ commissæ Deo devotæ congregationi matrique & nostræ sedis Ecclesiæ famulanti, pertractans ego casum fragilitatis humanæ, pavescensque ultimum vocationis diem, ne multa mole peccami-

num oneratus, sine fructu aliquo, quod absit, boni operis repertus inveniar, confortatusque alloquio prædicatoris præcipui, Pauli scilicet Apostoli, ubi ait, *Si cujus opus manserit, mercedem accipiant*, idcirco, ut dictum est, cum consensu & licentia suprascripti Principis atque prædictorum sanctorum Præsulum sive præfixorum servorum Dei promptissimo animo, divina inspirante clementia, nostræ devotionis decrevit compunctio ut ad augendum cultum divinum sive matris & nostræ sedis Ecclesiæ atque parrochiæ nobis commissæ, ac cumulandum honorem atque lucrum multarum animarum, ut monasteriolum aliquod in nostra parrochia nostro labore ad perpetuam omnipotentis Dei laudem fundare & construere deberemus, quod ita annuente Domino & facere studuimus, in quo & Ecclesiam prout valuimus ad invocandum perpetualiter nomen Dei æterni in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani, necnon & in honore & memoria simul omnium sanctorum construere & solemniter XVI. Kal. Octob. die cum aliis Episcopis & sacerdotibus sive reliquis sanctæ Dei Ecclesiæ ministris decenter & rationabiliter canonicèque atque insigniter Domino auxiliante curavimus consecrare, in qua & quindecim altaria erigere & in honoribus & memoriis eorum sanctorum quorum nomina super ea inserta esse præsentis temporis momento videntur, eorumque atque aliorum multorum sanctorum patrocinia & reliquias meis propriis manibus collocavi, solemniterque ea & decenter adjunctis nobis præfatis sanctissimis sociis ordinabiliter sanctificantes consecrare Domino miserante meruimus, quorum intercessionibus nos adjuvari misericorditer confidimus eorumque perpetuis tueri

præsidiis largiente Domino humiliter petimus. In memorato itaque Kalendarum die & in dedicatione præfatæ Ecclesiæ cum licentia & exhortatione jam dicti Principis sive præscriptorum sanctorum patrum, videlicet Episcoporum ac nobilium & sanctè viventium sacerdotum, per librum quatuor evangeliorum nobiliter ornatum & auro ex parte conscriptum, seu per calicem aureum unum cum patena sua desuper Episcopis & Sacerdotibus manus eorum imponentibus, multis scilicet nobilibus coram astantibus & videntibus, tradidimus simulque delegavimus unà cum jam dicto evangelio & memorato aureo calice de nostræ sanctæ sedis Ecclesiæ rebus ad supradictum sanctum locum, qui vocatur monasterium sancti Salvatoris, olim verò Brogilus à priscis vocabatur, & ad opus monachorum inibi regulariter viventium & Domino famulantium, donatumque in perpetuum ibidem ob mercedem & stabilitatem prædicti Domni nostri Hludovici piissimi Imperatoris, cujus largitione & præfatum locum acquirere meruimus, sive futurorum Dominorum, Regum videlicet Francorum, seu & nimis pro ponderе peccatorum nostrorum donamus & per hoc testamentum confirmamus, confirmatumque futuris temporibus esse volumus, tam opportunitatem quàm & pro stipendio fratrum ibidem Domino servientium, necnon & consolationem peregrinorum, atque hospitum advenientium receptionem. Primò verò omnium delegavimus ibidem villam Salvarias cum manentibus x x x. & illas culturas duas juxta illud monasteriolum sitas, seu illam silvam quæ intra fluvium Sarthæ & inter prædictas culturas & præfatum monasteriolum consistit, atque illam vineam dominicam quæ inter Salvarias & jam dictum monasteriolum conjacet, & illa molina duo juxta illud monasteriolum supra fluvium Sarthæ sita, necnon

& illud pratum ex alia parte præfati monasterioli situm unà cum silva, sicut termini prædictorum monachorum dividunt. Delegavimus etiam ibidem villam nostræ sedis Ecclesiæ Apiacum cum omni integritate, in qua sanctus Vlfacius pretiosus Christi confessor corpore requiescit; simulque tradidimus ibi medietatem de villa Canon; parique modo confirmamus ibidem villam Luciacum cum omni integritate; simulque inibi dedimus & medietatem de villa quæ Beruas vocatur de ratione sanctæ Mariæ, quam redditione Domni nostri Hludovici excellentissimi Imperatoris adquisivimus; & illam precariam quam Friderardus per precariam de rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii tenet, tradimus totam similiterque donamus; & in villa quæ vocatur villa sancti Autleni manentes tres cum vineis tribus & campis aliis, & quantum pars sanctæ Mariæ ibi habetur. Videlicet & illas res quas Saleardus in die dedicationis ipsius Ecclesiæ eidem sancto loco & nobis sive ipsis monachis legaliter tradidit inibi, per hoc testamentum confirmamus. Hæc autem omnia in pago Cenomanico sunt sita. Supradictas igitur villas omnes & res cunctas superiùs nominatas & ad prædictas villas jure pertinentes unà cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus ad præfatum sanctum locum pro lucranda sancta mercede & augmento nostræ sanctæ sedis Ecclesiæ atque nostræ congregationis ornatu donamus, tradimus, simulque delegavimus, & omnia quæ eidem sacrosancto loco & fratribus & monachis inibi Domino famulantibus & regulariter viventibus divina pietas deinceps augeri voluerit & à bonis hominibus ibidem condonatum atque traditum fuerit, ita ut ab hac die ibidem per-

petualiter Domino auxiliante in augmentis proficiant. Vnde constitui ob hoc piæ devotionis amore veniente jamdictæ sancti Salvatoris Ecclesiæ consecrationis festivitate omni anno fratribus matri & nostræ sedis Ecclesiæ famulantibus consolationem ministrandam ab Abbate & monachis in præfato monasterio Domino famulantibus, id est, de pane optimo modios sex, & friscingas porcinas tres, berbicinas verò similiter tres, & de vino optimo modios quatuor, & de potione optima quinque. Ea verò ratione hæc illis dare censuimus ut supradictæ matris Ecclesiæ jam præfati Canonici pleniter ad memoratam dedicationis Ecclesiæ cum silentio & ceteris divinis ornamentis veniant festivitatem cum ceteris suburbanis sacerdotibus & reliquis Clericis, & tunc mane prima inibi pro me peccatore, dum advixero, unusquisque sacerdos cantet unam Missam & ampliùs, si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus psalmos quinquaginta & ampliùs, quantum dilectio & amor Dei instigaverit. Post obitum verò meum, in prædicta die similiter pro defuncto faciant. Hæc ergo omnia diligenter peracta, hora tertia in publicum introëant officium & unà cum monachis ibidem Domino famulantibus solemniter ipsius diei festivam peragant solemnitatem; & tunc utrum elegerint faciant, aut inibi cum ipsis monachis pariter reficiant, aut si ibi non refecerint, tunc accepta stipendia in refectorio infra domum & claustrum Canonicorum unà cum prædictis suburbanis Clericis & sacerdotibus reficiant. Hoc sanè humiliter obsecro sanctos successores meos atque Abbates vel monachos præfati monasterii & præpositos ac magistros seu ministros Canonicorum nostrorum sive ipsos Canonicos præsentes scilicet atque futuros & prædictos suburbanos seu monasteriales sacerdotes & Clericos qui ad prædictam

festivitatem venerint, & supra scriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, à memorata refectione vel ab eorum refectorio à se non excludant; sed si aliqua necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus ut unus Canonicorum bene fidelis de prædictis stipendiis quæ jam dicti monachi tribuerint accipiat unum modium panis & alterum vini, insuper ex potione sextaria quatuor, & unam friscingam qualem meliorem invenerit, & ex his illis præparet devotè & religiosè refectionem. Sed magis opto & suplex deprecor ut cum sæpedictis Canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissimè reficiant, solemniter quoque illum diem ducentes, & de tanta festivitate lætantes, Dominumque in omnibus laudantes ac deprecantes ut tranquillam vitam hanc degere valeant & præmia æternæ vitæ percipere mereantur. Insuper de prædictis stipendiis deprecans sanctos successores meos contestor & contestans humiliter deprecor atque ministros ejusdem Ecclesiæ ut unum modium de præfixo pane & alterum de jam dicto vino & de præfatis friscingis unam quadraginta pauperibus in memorata festivitate tribuant, qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent & pro me miserrimo peccatore orare studeant, qualiter cum sanctis & electis Dei lætari æternaliter mereamur. Amen. Porrò quòd multas episcopales sedes & matres Ecclesias diversa monasteria sub se habere videmus constructa, quæso ne quidam superfluè hoc me fecisse asserant, præsertim cùm magis pro honore Ecclesiæ nobis commissæ & pro lucro animarum quàm pro facinore humano hoc me fecisse profiteor. Nec mirum si præfatum locum de rebus nostræ sedis Ecclesiæ ditaverim, cùm multos sanctos Episcopos jam talia fecisse & legimus & cognovimus. Idcirco precor cunctos fideles sanctæ Dei

Ecclesiæ ut non hoc me superfluè fecisse putent, sed magis pro me peccatore orare non dedignentur; ut si quam pro hoc mercedem adipisci meruero, ejusdem fieri mereantur participes. Denique humiliter precor Dominum nostrum Iesum Christum, beatum successorem meum mox futurum, & post eum in sede nobis commissa succedentes cunctos Episcopos, atque quasi ad pedes eorum provolutus suppliciter flagito, omnesque Principes ac nobiles & ignobiles, cunctosque Christianos obsecro ut parvula à nobis facta ad divinam omnipotentis Dei laudem & incrementum prædicti monasterioli sancti Salvatoris conservent, & in eorum eleemosyna sive ob prædicti Domini Salvatoris amorem, in cujus honore jam dictum monasteriolum ædificatum & dedicatum esse dinoscitur, augere inibi plura dignentur, & de eis quæ fecimus atque delegavimus inibi imminuere aut subtrahere non præsumant; quatenus & bona illorum facta in præsenti & in futuro, sicuti & nostra fecerint, Deo auspice conserventur; quatenus si aliquam mercedem pro pio præfixo facto Domino annuente habere meruerimus, ipsius mercedis auxiliante ipso Domino Salvatore nostro, pro cujus & amore hoc fecimus, effici mereantur consortes. Precor etiam cunctos sacerdotes ac Dei servos sive monachos omnes ut prædictas orationes in præfata die pro me peccatore piè & studiosissimè adimplere procurent, qualiter absolutionem omnium peccatorum meorum eorum precibus adipisci valeam, & sanctorum consortio perpetualiter Domino largiente frui mereamur. Similiter precor obnixè Abbates & monachos cunctos in præfato sancti Salvatoris monasterio degentes ut prædicta stipendia Canonicis & fratribus nostris sive suburbanis sacerdotibus & Clericis ministrare in jam dicta die non negligant; quatenus ipsis ministrantibus nobisque humi-

liter famulantibus & ceteris fratribus & Dei servis orantibus per suffragia omnium sanctorum nos & illos Iesus Christus Dominus noster in æterna lætitia unà cum sanctis suis fovere dignetur. Amen. Porrò ut hoc testamentum sive privilegium à me pia voluntate factum per rationem supradictam omni tempore maneat illibatum atque firmissimum, manu propria illud pro firmitatis studio roboravimus, sive sanctos patres nostros Episcopos atque fratres nostros sacerdotes & levitas seu reliquos Clericos ceterasque personas quorum nomina subter habentur inserta firmare humiliter postulavimus.

Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus peccator Episcopus hoc testamentum à me factum subscripsi. Vrsmarus indignus Turonicæ urbis Archiepiscopus huic testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Audecavensium antistes huic testamento decreto assensum præbens subscripsi. Vvarnarius indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ebroinus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis Archiepiscopus hoc testamentum deprecante illo Aldrico prædictæ urbis Episcopo subscripsi. Guntardus indignus Episcopus huic testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Hechardus Episcopus hoc testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Theodoricus Cameracensis urbis Episcopus hoc testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Austeus Decanus subscripsi. Deduius Archipresbyter subscripsi. Erualdus Presbyter indignus subscripsi. Ricaudus Presbyter subscripsi. Godenus Archipresbyter subscripsi. Geraldus Presbyter subscripsi. Floduinus licèt indignus Presbyter subscripsi. Gantzui-

nus Presbyter subscripsi. Ascaricus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Ansbaldus Presbyter subscripsi. Gerbaus Presbyter subscripsi. Anisacar Diaconus subscripsi. Rodricus Diaconus subscripsi. Vinaldus Diaconus subscripsi. Reginhardus modicus subscripsi. Leodaldus Diaconus scripsit. Data Kalend. Aprilis in die sancto Paschæ anno incarnationis dominicæ DCCCXXXVII. Indictione verò XV. anno quoque XXIII. imperii Domni nostri Hludovici glorioſissimi Imperatoris, & anno ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publicè in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXV. *SEQVITVR EXEMPLAR præcepti Domni Hludovici Imperatoris ſuper memoratum privilegium ſancti Salvatoris & monachorum quod eis jamdictus Aldricus Epiſcopus pio affectu fecit.*

IN nomine Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus & futuris notum sit quia vir venerabilis Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus, divino honore fervens pariter & amore, monasteriolum in sua parrochia novo opere suoque proprio sudore & labore in honore Dei & Salvatoris nostri ac sanctæ ejusdem genitricis Mariæ beatorumque martyrum Gervasii & Prothasii atque Stephani cunctorumque generaliter sanctorum in loco qui priùs vulgo Broialus vocabatur constructere studuit, & ad optatum dignumque decorem atque perfectionem summo studio perducere procuravit, congruoque tempore

tempore dedicavit solemniter, & de rebus jam dictæ sedis sibi divinitus commissæ sufficienter ad necessitates varias monachorum in eo Domino militantium abundè fulciendas atque supplendas ditare non distulit. Vnde & scriptum quoddam sua ceterorumque venerabilium Episcoporum reliquorumque ordinum Deo servientium necnon laicorum religiosorumque pariter ac nobilium manibus roboratum nostræ majestatis obtutibus offerens, humiliter nostræ supplicavit clementiæ ut quod ipse divino tactus amore pia religiosaque devotione superno fultus auxilio fecerat, nostra imperiali auctoritate roborare atque in perpetuum absque cujuslibet convulsione aut tergiversatione firmissimum permanere deberet decernere studeremus, & ut monachi inibi degentes unà cum consensu suo successorumque ejus licentiam inter se eligendi haberent Abbates qui eos secundùm regulam sancti Benedicti regerent. Cujus piissimis Deo amabilibus & nobis admodum amplectendis supplicationibus aurem favoris libentissimè accommodantes, hanc nostræ auctoritatis conscriptionem ei fieri ac dari præcepimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum opus religiosissimis ab eo patratis studiis omni tempore firmum & stabile permaneat, quemadmodum in memorato devotionis suæ scripto, quod nobis obtulerat ad relegendum, ipse complexus est, neque de rebus quas ad idem monasteriolum contulit, à quoquam ullo unquam tempore quippiam minuatur, aut conditiones inibi studio ejus inditas qualibet occasione convellere aut ullatenus quisque negligere præsumat, sed quemadmodum ab eo piè religiosèque sancita sunt, ita per hanc nostram auctoritatem inconvulsa perenniter maneant. Quandoquidem autem divina vocatione Abbas qui præsenti tempore præfectus est, aut qui futuris tem-

poribus subrogandi sunt, ab hac luce migraverint, unà cum consensu ejusdem Aldrici Episcopi successorumque ejus, Præsulum videlicet memoratæ sedis, licentiam habeant ex seipsis eligendi Abbates, si tales inter eos reperiri poterint qui eis merito vitæ & scientiæ secundùm regulam sancti Benedicti præesse & prodesse possint. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuam nostris successorumque nostrorum temporibus obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hincminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVII. Kal. Iulii anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione XV.

Actum Gundulfi villa in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXVI. *SEQVITVR DESCRIPTIO de eleemosyna præfati Aldrici præfixæ Cenomanicæ urbis Episcopi qualiter sibi credita singillatim disposuit & discretè Christi famulis ejusque famulabus per hoc scriptum dare constituit.*

IN nomine sancti Salvatoris & veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani, quorum Ecclesiæ, licèt indignè, titulatus esse videor, Aldricus Cenomanicæ urbis & prædictæ Ecclesiæ indignus & peccator Episcopus, omnibus in nostra dioceſi & parrochia consistentibus, Episcopis, Sacerdotibus, Diaconibus, Subdiaconibus, & reliquis sanctæ Dei Ecclesiæ ministris, seu cunctis fidelibus notum esse cupio quia pertractans casum humanæ

fragilitatis, unà cum licentia Domni Hludovici piissimi Imperatoris & consensu etiam Metropolitani Vrsmari Turonicæ urbis Archiepiscopi seu ceterorum comprovincialium Episcoporum atque multarum aliarum provinciarum sanctorum Episcoporum considerare cœpi cum Canonicis & ceteris parrochianis nostris tam sacerdotibus quàm aliis divino cultui famulantibus atque nobilibus laicis tam nostris quàm & aliis liberis & bonis hominibus qualiter mea facultaticula & inibi commissa post meum obitum utiliter & rationabiliter foret in utilitatem sanctæ matris Ecclesiæ & meam elecmosynam dispensata, ne fortè (quod absit) aliquis sibi ea rapere aut furari aut in suos usus converti faciat sicut in multis jam factum cognovimus, sed omnia in utilitatem sanctæ Ecclesiæ & substentationes nobis famulantium seu supplementa nostrorum Clericorum tam monachorum quàm & Canonicorum sive adiminicula laicorum qui nostræ Ecclesiæ & nobis famulari videntur, necne in alimonias pauperum, per consilium prædicti Metropolitani & per manus fidelium sacerdotum sive Diaconorum atque fidelium laicorum qui ad hoc peragendum à me denominati & constituti fuerint, fideliter & rationabiliter in suprà nominatas utilitates & necessitates, sicut in subsequentibus dicemus, distribuantur, id est, quicquid tunc temporis in nostro ergastulo de pecuniis diversi generis & vestimentis inventum fuerit, tota decima pars distribuatur Ecclesiæ quam fecimus super fluvium Sarthæ in loco qui dudum Broilus Casalis nominabatur, quam & in honore Domini Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani indigni sacravimus, & monachis ibi Domino famulantibus fideliter & cum caritate tribuatur, nona verò pars Ec-

cleſiæ quam fecimus inter fluvium Sarthæ & murum civitatis, in qua & monachas collocavimus, & ſub regula ſancti Benedicti vivere decrevimus, quam & in honore prædicti Domini Salvatoris & ſanctæ Mariæ ejuſdem Dei & Domini genitricis ſive ſanctorum martyrum Gervaſii & Prothaſii ſed & ſancti Stephani, quæ matri Eccleſiæ ſubjecta eſſe videtur, indigni canonicè ſacravimus, & monachis, ſanctimonialibus, ſive cunctæ congregationi ibidem Domino famulanti fideliter & cum caritate abſque ulla dilatione aut prohibitione vel impedimento attribuatur. De reliquo verò, tantum quod in ergaſtulo inventum fuerit, juxta decreta canonum quatuor portiones fiant tam de auro quàm & de argento, ſive de ceteris metallis vel utenſilibus & diverſi generis veſtimentis & ſuppellectilibus omnibus; una quæ remaneat Eccleſiæ nobis commiſſæ, alia verò in noſtra eleemoſyna detur fidelibus pauperibus, tertia autem Clericis Capellanis & vaſſallis noſtris, quarta Preſbyteris urbanis & monaſterialibus ſive ſuburbanis atque reliquis parrochianis & Diaconibus ſeu Subdiaconibus necnon & reliquis miniſtris & Clericis, ut meliùs fieri potuerit. Nam & hoc ſummopere videndum eſt, ut omnia cum caritate fiant. Similiter & de vino ſolummodo quod tam in civitate quàm & in ejus ruis tunc inventum fuerit faciendum eſt, id eſt, omnis decima prædicti vini detur monachis viris, & nona funditus detur monachis feminis in prædictis locis degentibus; reliquum autem in quatuor partes dividatur & ut præſcriptum eſt partiatur fideliterque & cum caritate per præfixas turmas, ceu de pecuniis in noſtro inventis ergaſtulo dictum eſt, rationabiliter diſtribuatur. De vino quoque quod in civitate & ejus ruis tunc temporis fuerit inventum fiat ut dictum eſt. De reliquo autem vino cuncto, & de annonis omnibus diverſi generis,

& leguminibus sive fœnis per diversa loca & in omnibus villis nostris nobisque commissis reconditis, volumus atque præcipimus suppliciterque flagitamus ut decem partes fiant æqua lance divisas, una videlicet fideliter servetur matri Ecclesiæ & beato successori nostro quem Dominus elegerit, & alia detur vassallis & Capellanis sive servientibus qui Domino nobisque in nostra mansiuncula militare videntur, ut non ipsi quique, quod absit, in aliquo periclitentur inopia, sed habeant unde sustentari queant usquequo se cum sancto successore nostro mox futuro collocare Domino adjuvante utiliter valeant. Tertia tribuatur Canonicis & famulis sanctæ matris Ecclesiæ & nonnanis quæ in ea quotidie oblationes Domino offerunt, ut & pro me peccatore futuris temporibus Domino offerre eis delectet eorum oblationes. Quarta largiatur monachis qui sunt in monasterio sancti Carilephi & ingressivè in Savonariis atque sanctimonialibus monachis quæ sunt Intramnis monasterio. Quinta detur monachis quæ sunt in monasterio sancti Salvatoris paulò minùs miliario ab urbe distante super fluvium Sarthæ, & illis monachis quæ sunt in sancto Vincentio juxta urbem, seu sanctimonialibus monachis quæ sunt in monasterio sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ sive sancti Gervasii inter fluvium Sarthæ & murum civitatis collocato. Sexta congregationibus quæ per cetera diversa monasteria tam in Cenomanica parrochia quàm & in pago Andecavo sive Turonico atque Oxomense & per ceteros pagos Domino militantibus fideliter, in quantum posse & esse facultas tribuerit, cum omni discretione rationabiliter tribuatur. Septima Presbyteris & Diaconibus ac reliquis Clericis nostra in parrochia Domino per diversas Ecclesias militantibus discretè & rationabiliter tribuetur, ut eis semper pro me miserrimo

peccatore delectet orare & sacrificia Domino assidua offerre, & flexis poplitibus precor ut eis assiduè agere suadeatur. Octava, ut diximus, tam de vino quàm & de annona diversi generis & legumina sive fœno rationabiliter & discretè detur funditus familiis in nostris villis nobisque commissis commanentibus, quæ ea suis sudoribus laboraverunt, ut & eis pro me peccatore orare delectet; & hoc eis agere precor sæpissime suadeatur. Nona & decima pars omnis annonæ, vini & fœni & leguminis pauperibus, viduis, & orphanis fideliter cum omni discretione & caritate funditus tribuatur. Omnes enim precor ut pro me orare dignemini, ut remissionem cunctorum valeam percipere peccatorum, & vitam habere annuente Domino merear sempiternam. Fiat, fiat. Greges autem jumentorum unà cum eorum amissariis, & vaccarum ac boum seu porcorum, & ovium sive caprarum, qui sunt in Breim in condita Noviacense, & in Proliaco infra villam quintam, seu in Novavilla super fluvium Sarthæ, sive in Cavania, & in Cepetò supra Sartham, & in Bruonis villare in Belsa, & in altero Proliaco super fluviolum Viduam, Ecclesiæ nobis commissæ & nostro successori cum omni integritate possidendos & utiliter lucrandos & gubernandos relinquimus. Ego autem in toto episcopio non inveni viginti jumenta. Modò Deo gratias septem ei relinquo greges unà cum eorum amissariis; neque in toto episcopio nobis commisso ex omnibus pecoribus vel pecudibus tantum inveni quantum modò Domino auxiliante in una ex supradictis villulis relinquo ex his quæ meo pretio comparavi & meo labore acquisivi. Ideo supplex flagito ne alicui durum aut contrarium sit si ea quæ meo sudore acquisivi, & meo pretio comparavi, meis benefactoribus tribuo & mihi servientibus dono, atque Domino offerendo in mea eleemosyna fide-

liter distribui præcipio, & pro redemptione multorum & innumerabilium peccatorum meorum dari Dei servis & pauperibus humiliter supplico. Illi ergo greges jumentorum unà cum eorum amissariis & vaccarum ac boum seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in Alamanicas, & illi greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque sexus & porcorum sive ovium atque caprarum qui sunt in Drimiaco juxta Mantulam, & in Paciaco, in villæ videlicet parte quam David modò providet, fratribus & Canonicis nostris cum omni integritate absque ulla dilatione sive diminutione fideliter & cum omni caritate dentur. Illi namque greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque generis, seu porcorum & ovium atque caprarum, qui sunt infra monasterium sancti Carilephi, & in villa Floriaco, & in Conflentio, & in villa Mauri & in Comnis, & in villare Martis, & in Rusciaco, & in campo Sigalaici, & in illa cella sive in Cantarnaco, atque in diversis mansionibus circa monasterium constructis, omnes integerrimè monachis qui in monasterio sancti Carilephi & in cella quæ Savonarias vocatur Domino militanti absque ulla minoratione aut tarditate dentur. Ternos autem greges jumentorum unà cum eorum amissariis ac boum & vaccarum sive caprarum & ovium qui sunt in Haliau, & quatuor porcarias quæ in eadem villa tam in mansilionibus quàm & in aliis locis esse videntur, & illos greges qui sunt in Curte Quadrici, in Saxonense, omnes tam jumentorum quàm & boum & vaccarum seu porcorum & ovium atque caprarum illis monachis qui Domino in Ecclesia sancti Salvatoris supra fluvium Sarthæ, ubi ille Abbas præesse videtur, cum omni integritate & cum caritate absque ullo scrupulo aut contradictione sive dilatione si-

deliter tribuantur. Illi quoque greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in villa Colonica juxta urbem & in illa curte quæ dicitur Villa, quam Gundoldus modò providet, & in Carariis super fluvium Sarthæ, & in Canon, dentur monachis integerrimè qui Domino in monasterio sancti Vincentii militant. Illi ergo greges jumentorum unà cum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium qui sunt in Gres & in Fraxinido, in Belsa, & in Semmuro, monachis in Gres Domino in Ecclesia sanctæ Mariæ & sancti Almiri militantibus funditus absque ulla tarditate aut minoratione tribuantur. Illiquoque greges unà cum eorum amissariis jumentorum & vaccarum ac boum sive ovium & porcorum atque caprarum omnes qui sunt in Aviniaco, seu in Casiliaco, & in illa parte Paciaci quam Gundoldus providet, nostris sororibus sanctimonialibus monachis quas inter murum civitatis & fluvium Sarthæ in Ecclesia Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ semperque virginis sive sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani sub monastico ordine & sub regula sancti Benedicti vivere collocavimus, cum summa caritate & omnium integritate absque ulla dilatione fideliter attribuantur. Illi quoque greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque sexus & ovium sive porcorum atque caprarum qui sunt in Rupiaco, integerrimè fratri meo Isaac filioque ejus Rotgario absque ulla diminutione aut dilatione tribuantur. Illi autem greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in Contrella, & in Varennis, in Vindosinense, & in Breuviaco, in Oxomense, & in Artinis super

Liz, & in Lanciati ultra Ligerim, sive in Vodebris, vassallis qui nobis in nostra mansiuncula serviunt & Clericis qui Domino in nostra capella famulantur cum omni integritate dispositè & rationabiliter largiantur. Reliquos namque greges jumentorum & boum utriusque generis & ovium seu porcorum atque caprarum, omnes qui sunt in culturis & in silva Vvastina in diversis mansionilibus & locis tam super fluvium Liz quàm & in silva Vvastina, & in Tricione in diversis mansionilibus, & in locis diversis, & in Tauriaco, & in Bajocassino, & in Vetusvico, sive in Celsiaco, ac in Nascas, seu in Cadarus, & in Colonica ultra Medanam, & in Culcamia ultra fluvium Ligeris, & in Callemarcio, sive in monte Sodeuris, in omnibus mansionilibus in eo constructis, & in rivo petroso, & in villa nova in Belsa, & in villa Macunen, & in Biocia super fluvium Brica, & in Villena in Parisiaco, in nostra eleemosyna Presbyteris & Dei servis sive pauperibus fideliter & rationabiliter cum omni timore & reverentia distribui dispositè imploramus atque rogamus, & omnia fieri cum caritate optamus. De equis namque nostris & secmariis sive mulis & asinis ac poledris, quibus adhuc fruimur, & sine quibus regale & commune servitium explere nequimus, de illis qui antea dati minimè fuerint præcipimus duos, quales meliores inventi fuerint, prædicto Domno Metropolitano nostro bene paratos & ornatos dari; & alios duos, quales post hos meliores inventi fuerint, Didoni Andecavensis urbis Episcopo bene ornatos tribui jubemus. Ipsos enim sanctos Episcopos, si mihi superstites Domino miserante fuerint, ad obitum meum venire deprecor, & animam meam per eorum sanctas orationes Domino devotissimè commendari suppliciter flagito, & ad corpusculum meum eorum precibus Domino

unà cum anima commendari & cum orationibus eorum ſepeliri humiliter poſtulo ; & in omnibus ſummopere illos & quaſi ad pedes eorum provolutus deprecor ut de me & pro me ſic faciant ſicut volunt ut de illis tam in vita quàm & poſt obitum fiat. Inſuper quatuor equos bonos meæ ſepulturæ loco & fratribus inibi Domino famulantibus dari jubeo. De ceteris ergo equis volo ut cauſa benedictionis ſingulos accipiant ſinguli qui præſcripti & præordinati ad noſtram eleemoſynam faciendam fuerint, ut meliùs illis delectet pro me orare & commiſſum ſibi negotium peragere. De reliquis quippe equis & poledris & mulis atque aſinis tres jubemus fieri portiones. Vna pars remaneat Eccleſiæ nobis commiſſæ & ſancto ſucceſſori noſtro ; alia verò largiatur diſpoſitè & rationabiliter Clericis & vaſſallis & ſervientibus & miniſterialibus nobis famulantibus. Tertia autem pars diſtribuatur fideliter & rationabiliter in noſtram eleemoſynam prout meliùs ſcierint & potuerint quibus hoc commiſſum fuerit. Taliter quoque illis hoc præcipio & deprecor agere & tam fideliter & rationabiliter diſpenſare qualiter inde rationem non metuant reddere in conſpectu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ex hoc non recipiant, quod abſit, damnationem æternam, ſed præmium ſempiternum. Illa verò omnia quæ in præfato tempore, ut dictum eſt, in prædictis locis & agris tam internis quàm externis inventa fuerint, Domino Deo devota mente & ſano corpore pro ingenti & nimio pondere peccaminum meorum ſupplex & devotus offero, & per hanc chartulam, quam ſana mente dictavi & ſupradicto prætextu ſcribere juſſi, atque propria manu ſubter firmavi, ad ſupradicta & ſcripta, ſicut hæc paginula teſtamenti commemorat, explenda & fideliter peragenda Domino Deo ſponte & devotè trado ; ut ſi

quis aliter, quod absit, ex præfatis rebus, in quantum meliùs prævaluerit ac poterit, agere præsumpserit, ipsi Domino Deo meo & Salvatori nostro Iesu Christo reddat inde rationes, cui hæc præscripta peragenda & explenda devotè oblata & tradita sunt, & ante tribunal ipsius judicis æterni ex hoc tremebundam deducat rationem. Contestor enim sanctum successorem meum mox futurum, quicunque fuerit, & quasi ad vestigia pedum ejus provolutus humiliter deprecor ut sic de me & pro me miserrimo peccatore faciat sicut vult ut sui successores post obitum ejus de eo faciant, & sic mea facta integra conservet sicut sua vult post se servari. Hanc ergo paginolam testamenti suppliciter flagito ut per omnia conservet; & si aliquis aliter ex his quæ hic inserta sunt facere voluerit, supplico ut eum corrigat, & eis quos ad hoc peragendum de nomine vero, sive quibus hoc negotium commissum fuerit, auxilium per omnia præstet, ut hæc absque ullo impedimento perficere queant. Si autem, quod absit, aliter fecerit, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi tremebundam ex hoc reddat rationem. Obnixè quoque deprecor sanctum successorem meum, quemcunque Dominus fore voluerit, & omnes sacerdotes tam monachos quàm & Canonicos sive cunctos Clericos & laicos in nostra dioceſi & parrochia commanentes & conversantes ut in anniversaria obitus mei per singulos annos diligenter tractent & fideliter in eis pro me orare studeant & vigilias & Missas devotè decantent, ut Domino annuente remissionem omnium peccatorum meorum & indulgentiam misericorditer percipere merear, & vitam insuper habere sempiternam valeam. Amen. Precor etiam Domnum successorem meum per Dominum omnipotentem, cunctosque fratres & consacerdotes nostros contestor, quatenus ei fideliter

ſuadeant ut ſi facultas permiſerit, & illi placuerit, per ſingulos annos in die obitus & anniverſarii mei de ſuo faciat prædictis ſacerdotibus tam monachis quàm & Canonicis & reliquis Clericis atque pauperibus plenam atque bonam refectionem. Et ſi illi hoc durum, quod abſit, aut difficile fuerit, tunc de villa Buxarias, quam fratribus & Canonicis noſtris per teſtamentum firmiter corroboratum & per præceptum Domni Hludovici piiſſimi Imperatoris confirmatum ſponte & devotiſſimè tradidi, atque perpetualiter poſſidendam & perfruendam reliqui, illa refectio quæ modò & ſicut modò præparatur & agitur in die natalis & ordinationis meæ, precor ut convertatur funditus in die obitus & anniverſarii mei, & ſicut in prædicto teſtamento continetur per omnia ita agatur, & ſicut in eo ſcriptum eſt devotiſſimè & fideliſſimè perficiatur, ut refectionem & conſolationem habeant in illa die tam ſacerdotes & Clerici quàm & pauperes & indigentes qui pro me miſerrimo peccatore oraverint, ut omnes devota mente inibi requiem æternam habere exorent ſuppliciter. Inſuper ſupplico prædictum ſucceſſorem meum ut præfatum teſtamentum meum, quod de præfixa villa Buxarias feci, fratribus & Canonicis noſtris per omnia conſervet, & ſicut in eo continetur inſertum de quinque refectionibus eorum & aliorum ſacerdotum ac Clericorum atque pauperum diligenter adimplere faciat, ut omnes per ſingulas feſtivitates exorent & dicant: *Aldrico, Domine, Pontifici noſtro da requiem æternam & vitam ſempiternam. Amen.* De jam dictis ergo rebus nemo aliquid meum putet eſſe niſi ad immeliorandum & canonicè diſpenſandum, quoniam Domino omnia quæ in hac chartula memorata & conſcripta ſunt per hoc teſtamentum præſens taliter tradidi, & ad prædicta explenda & peragenda firmiter de-

legavi, & ſicut in hac paginula diſtinctum & inſertum eſt ſummopere deprecando fieri juſſi & poſtulavi; & ſi quis aliter, in quantum facultas fuerit, aut deteriùs de præſcriptis rebus Dominoque oblatis ad præfixa peragenda egerit, ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti de ſua præſumptione tremebundam deducat rationem. Obnixè quoque omnes precor ut taliter ex omnibus in hac chartula conſcriptis agant qualiter in conſpectu Domini, quod abſit, non damnationem ſed remunerationem percipiant, & vitam æternam Domino tribuente unà cum ſanctis & electis Dei habere mereantur. Amen.

XXXVII. *SEQVITVR EXEMPLAR præcepti Domni Hludovici piiſſimi Auguſti ſuper præſcriptam deſcriptionem de eleemoſyna Aldrici Epiſcopi cauſa firmitatis & inconvulſionis facti.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Notum igitur eſſe volumus omnibus fidelibus noſtris præſentibus & futuris quia Aldricus Cenomanicæ urbis venerabilis Epiſcopus obtulit ad relegendum majeſtatis noſtræ obtutibus quoddam devotionis atque diſpoſitionis ſuæ ſcriptum quo ſtatuerat atque religioſa diſtributione diſpoſuerat qualiter res quæ tempore ſuæ deceſſionis in epiſcopio ſibi commiſſo invenirentur, in ſua eleemoſyna ſecundùm voluntatem modumque à ſe eccleſiaſticè diſcriptum fideliter largirentur, petens humiliter ut quod à ſe pia devotione votoque religioſiſſimo conſtabat diſpoſitum, noſtra imperiali auctoritate fieret inconvulſum. Cujus venerabilibus ſupplicationibus annuentes hanc noſtræ

auctoritatis conscriptionem ei fieri jussimus ; per quam decernimus atque sancimus ut quemadmodum ab eo per memoratum scriptum dispositum atque distributum constat, ita modis omnibus observetur atque firmissimè teneatur, neque cujuslibet cupida improbitas improbaque cupiditas id ullo astu convellere audeat, aut quippiam in suos usus retorqueat, sed sicut ab eo, ut diximus, religiosissimè statutum liquidò cernitur, ita ab his quos ad eandem distributionem impetrandam elegerit, incunctanter atque intrepidè perficiatur ; quatenus & ipse tantæ dispositionis fructum in æterna beatitudine ab omnium retributore percipiat, & nos ejusdem beatitudinis consortium copiosiùs consequi mereamur. Vt igitur hæc nostra auctoritas inviolabilem obtinere valeat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VII. Idus Septembris anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXVIII. *EXEMPLAR immunitatis sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Aldrici Episcopi de monasterio sanctæ Mariæ.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si sacerdotum servorumque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque justas & rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non

solùm regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris quia Aldricus venerabilis Episcopus obtulit nobis quasdam auctoritates Regum Francorum videlicet decessorum nostrorum erga monasterium suum quod extra muros ejusdem urbis in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri Apostolorum principis aliorumque sanctorum situm atque consecratum est factas per quas eum immunem à quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate & defensione constituerunt, supplici ter postulans ut pia facta antecessorum nostrorum consueta benignitate & mansuetudine nostræ celsitudinis roboranda imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, has auctoritatis nostræ litteras circa memoratum monasterium fieri jussimus; per quas præcipientes volumus atque jubemus ut nullus quislibet majoris aut inferioris ordinis seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes & villas seu loca aut agros ejusdem monasterii ad causas judiciario more audiendas & inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quàm servos distringendos, nec ullas redibitiones requirendas seu exigendas, ullo unquam tempore ingredi præsumat aut exigere audeat; sed quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem Ecclesiæ atque necessitates congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuò cedat at-

que proficiat; quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam attentiùs exorare delectet. Si quis autem judiciariæ potestatis tam temerarius extiterit ut hanc nostram eorumque præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur, D C. sol. esse multandum; ex quibus duas partes rectores memorati monasterii, tertiam verò fiscus noster recipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovit & subscripsit.

Data X. Kal. April. anno Christo propitio XXIII. imperii Domni nostri Hludovici piissimi Augusti, Indictione IIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIX. *ITEM EXEMPLAR præcepit Domni Hludovici piissimi Imperatoris de monasterio Anisolæ Aldrico Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ imperialiter actum quando prædictus Domnus Hludovicus Imperator illud canonicè atque legaliter reddidit Ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii., memorato Aldrico ejusdem matris Ecclesiæ Episcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si petitionibus sacerdotum servorumque Dei, justis & rationalibus [postulationibus

stulationibus pro quibuslibet Ecclesiarum sibi commissarum negotiis & necessitatibus eorum aures nostras libenter annuimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm regiam & imperatoriam exercemus consuetudinem, sed id nobis ad æternæ remunerationis præmia percipienda profuturum liquidò credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris quoniam adiens serenitatem nostram Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus innotuit nobis quòd monasterium Anisolæ situm infra terminos parrochiæ suæ, in quò etiam sanctus Carilephus corpore requiescit, à jam dicto Domno Carilepho concedente atque ordinante Domno Innocente præscriptæ urbis quondam Episcopo de rebus tam sui episcopii quàm & de rebus aliorum bonorum hominum tam Regum quàm & aliorum nobilium virorum memorato Domno Carilepho traditis, quas & ipse postea per instrumenta chartarum & per licentiam sive permissum atque consensum Childeberti Regis Francorum ad matrem & civitatis Ecclesiam, quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ Dei genitricis & sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii, instante & confirmante jusso prædicti Childeberti Regis Francorum, & tradidit atque canonicè & legaliter confirmavit, in quibus rebus prædictum monasterium fundatum à jam dictis sanctis viris atque constructum est, & à prædictæ sedis Pontificibus canonicè legibusque longo tempore possessum atque dominatum, sed quibusdam intervenientibus causis postmodum à jure præfatæ matris Ecclesiæ subtractum & aliquo tempore injustè fuisse alienatum. Sed hæc omnia, ut nobis à Drogone fratre & Archicapellano nostro & à reliquis fidelibus Missis nostris, quibus hoc investigare & diligenter inquirere præcepimus, ve-

raciter renuntiatum est & scriptis manifestatum à bonæ memoriæ Domno & genitore nostro Karolo glorioſiſſimo Rege Francorum ad liquidum olim fuiſſe tam per ſe quàm per fideliſſimos Miſſos ſuos perſcrutata & diligenter inveſtigata, & poſt rei veritatem veraciter inveſtigatam pleniterque per omnia cognitam ad jus & dominationem præſcriptæ Cenomanicæ matris Eccleſiæ Franconi ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo Aniſolæ monaſterium canonicè & legaliter redditum, & per ſuum præceptum, propria ſcilicet ſua manu roboratum, & anuli ſui impreſſione ſignatum, futuris temporibus jure eccleſiaſtico poſſidendum, ut verè quod aſſerebat, veraciter nobis per omnia pateſceret, obtulit obtutibus majeſtatis noſtræ quædam inſtrumenta ſanctorum propriis ſubſcriptionibus firmata, monumenta videlicet chartarum, & prædicti Domni & genitoris noſtri Karoli piiſſimi Auguſti inquiſitionem atque ſupranominatum præceptum, per quod, ut jam dictum eſt, præſcriptum Aniſolæ monaſterium memoratæ matri Eccleſiæ ſolemniter & legaliter reddidit. Inſuper detulit nobis nonnulla aliorum Regum præcepta non pauca deceſſorumque noſtrorum, Regum videlicet Francorum, propriis manibus corroborata, & ſigillis eorum ſubter ſigillata; quibus inſpectis atque relectis evidenter oſtenditur prædictum monaſterium juris ſæpedictæ ſedis Cenomanicæ ſibi commiſſæ eſſe, & in ipſius dominatione jure firmiſſimo debere perſiſtere, qua de re humiliter implorans noſtram ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, noſtra quoque aſſenſione immo auctoritate declararetur. Quæ ita liquidiùs cognoſcentes, eiſque ob amorem Dei & ejuſdem ſanctæ ſedis reverentiam favorem noſtri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis noſtræ præceptionem ſuis per tempora ſucceſſoribus fieri ac dari juſſimus, per

quam decernimus atque sancimus ut memoratum monasterium Anisolæ, quod aliquandiu ab eorum jure & ditione substractum fuerat, ab hinc in posterum habeant & possideant; ut quicquid more ecclesiastico de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore à jure præscriptæ sedis ejusque rectorum qualibet occasione aut violentia segregetur, sed semper in illius rectorumque ejus potestate & dispositione & voluntate ad divinum cultum propensiùs exequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrimè sinceriſſimèque perpetuò consistat. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam perpetuamque obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VII. Idus Septemb. anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XL. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici piissimi Imperatoris de moneta Aldrico Cenomanicæ urbis Episcopo ejusque successoribus concessa.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si sacerdotum servorumque Dei justis & rationabilibus petitionibus ad optatum aurem accommodamus, non solùm regiam

& imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris quia vir venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus Aldricus nomine nobis innotuit eò quòd antecessores sui, Merolus scilicet & Gauzciolenus, atque prædecessores eorum in prædicta urbe monetam publicam per præcepta bonæ memoriæ Domni & genitoris nostri Karoli & Pipini avi nostri sive Theoderici Regis atque anteriorum Regum plena eorum auctoritate concessam prædictam monetam habuissent, quæ propter ablationem rerum prædictæ sedis Ecclesiæ, sive propter vastationem earum, aliquo tempore, licèt parvo, nostroque sive in fine genitoris nostri prædicta moneta dimissa & propter prædictarum rerum inopiam atque desolationem cessata esset; quam neque nos neque Domnus Karolus genitor noster neque ullus Missus noster nostra aut sua auctoritate prohibuit, sed solummodo propter præfatam indigentiam dimissa esset. Obtulit etiam antedictus Episcopus obtutibus nostris præcepta Regum prædecessorum nostrorum videlicet Francorum, in quibus continebatur quòd prædicta moneta antecessoribus prædicti Aldrici Episcopi à præscriptis Regibus concessa antiquis & modernis temporibus fuisset. Quæ & nos relegentes tanta invenimus, & signa atque sigilla Regum prædecessorum quoque nostrorum in eis inspicientes, vera esse quæ dicebat cognovimus. Idcirco præcipientes jubemus ut nullus Missus noster vel Comes ipsius provinciæ aut quilibet ex judiciaria potestate ei successoribusque suis ex præfata moneta ullo unquam tem-

pore aliquam calumniam aut moleſtiam aut injuſtam pulſationem ſive cauſationem atque machinationem facere præſumat, ſed noſtris futuriſque temporibus præſcripta moneta in præfata urbe ſæpedicto Epiſcopo atque ejus ſucceſſoribus permaneat; ita tamen ut hoc prævideat tam præfixus Aldricus quàm & ſui ſucceſſores, ut aliqua falſitas in ipſa moneta non appareat. Et ut hæc conceſſio noſtra de prædicta moneta futuris conſervetur temporibus, quam nos pro Dei amore & pro reverentia ipſius loci fieri juſſimus, & veriùs credatur & diligentiùs conſervetur, manu noſtra ſubter firmavimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus.

Signum Hludovici piiſſimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & ſubſcripſi.

Data XI. Kal. Aprilis anno Chriſto propitio XXIII. imperii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti, Indictione XIV.

Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLI. *ITEM EXEMPLAR præcepti immunitatis Domni Hludovici Imperatoris de ſancti Carilephi monaſterio ab Aldrico Epiſcopo impetratum.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si ſacerdotum ſervorumque Dei juſtis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque juſtas & rationabiles poſtulationes ad optatum effectum perducimus, non ſolùm regiam & imperatoriam exercemus conſuetudinem, ſed etiam eoſdem pro exceſſibus

noſtris Domini miſericordiam exorandos devotiores promptioreſque facimus, atque per hoc immenſam Dei miſericordiam faciliùs nobis conciliandam eſſe confidimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtriſque præſentibus ſcilicet & futuris quia Aldricus venerabilis urbis Cenomanicæ Epiſcopus obtulit nobis quaſdam auctoritates Regum Francorum deceſſorum videlicet noſtrorum erga monaſterium ſuum quod infra terminos prædictæ urbis parrochiæ in loco qui vocatur Aniſola, in quo ſanctus Carilephus corpore requieſcit, in honore prædicti ſancti Carilephi aliorumque ſanctorum ſitum atque conſecratum eſt factas, per quas eum immunem à quibuſcunque publicis functionibus ſtatuentes ſub ſua immunitate & defenſione conſtituerunt, ſupplicitèr poſtulans ut pia facta anteceſſorum noſtrorum conſueta benignitate & manſuetudine noſtræ celſitudinis roboranda imperiali auctoritate ſanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentiſſimè accommodantes, has auctoritatis noſtræ litteras circa memoratum monaſterium fieri juſſimus; per quas præcipientes volumus atque jubemus ut nullus quiſlibet majoris aut inferioris ordinis ſeu quiſquam ex judiciaria poteſtate in curtes vel villas ſeu loca aut agros ejuſdem monaſterii ad cauſas judiciario more audiendas, vel inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejuſſores tollendos, ſeu manſiones aut paratas faciendas, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quàm ſervos diſtringendos, nec ullas redibitiones requirendas ſive exigendas ullo unquam tempore ingredi præſumat, aut exquirere audeat; ſed quicquid exinde fiſcus ſperare poterat, totum in luminaria ejuſdem Eccleſiæ atque neceſſitates congregationis in eo Domino militantis ſublevandas ac fulciendas perpetuo

cedat atque proficiat : quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam attentiùs exorare delectet. Si quis autem judiciariæ potestatis tam temerarius extiterit ut hanc nostram eorumque præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur, D C. sol. esse multandum ; ex quibus duas partes rectores memorati monasterii, tertiam verò fiscus noster accipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VII. Idus Septembris anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLII. *ITEM EXEMPLAR præcepti Domni Hludovici piissimi Imperatoris de villa Lugduno, quod fecit prædictus Imperator Cenomanicæ matri Ecclesiæ & Aldrico ejusdem Ecclesiæ Episcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solùm regiam atque imperialem consue-

tudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Banzlegbus Comes & Saxoniæ patriæ Marchio noster nobis innotuit quòd quandam villam sitam in pago Cenomanico nomine Lugdunum de jure canonicæ matris Ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & legitimos census atque decimas partibus præfatæ matris Ecclesiæ & ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Banzlegbus pertractans casum humanæ fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio à jure præscriptæ matris Ecclesiæ alienata fieret, ideoque fervens amore divino, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Lugdunum cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ sedis Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici, præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmiùs eidem Ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Banzlegbus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate imperii nostri

memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem suæ Ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili Episcopo & Banzlegbo jam dicto fideli nostro, hoc confirmationis nostræ atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus; per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere præsumat aut quamlibet calumniam ingerere, sed liceat ei & successoribus suis quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere; & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ sedis Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XI. Kalend. Aprilis anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLIII. *DE DEDICATIONE senioris altaris Anisolæ monasterii.*

ANno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXXXVIII. Indictione verò prima, anno siquidem XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris, anno sexto ordinationis Aldrici Cenomanicæ urbis Episcopi, quinto quoque Iduum Maiarum die, solemniter senius dedicatum est altare senioris Ecclesiæ monasterii Anisolæ à præfixo Episcopo Aldrico in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ sanctique Martini confessoris præcipui. In præfixo ergo Iduum die cum psallentio susceptus est jam dictus Aldricus Episcopus, primò postquam ei redditum fuit memoratum Anisolæ monasterium à Domno Hludovico Imperatore, à monachis & reliquis nobilibus hominibus in ipso monasterio; cui Dominus precibus prædictorum & omnium sanctorum æternam tribuat vitam. Amen.

Præsul, ave, noster cuncti te, Aldrice, rogamus,
Nunc altus Dominus, nunc humilisque pater.
En tua fama sacri vulgans præconia facti
Gallorum celsas venit ad usque domos.
Qui es pia spes patriæ, solamen & optima virtus, Ast murus fortis, & clipeus validus.

XLIV. *DE HOSPITALIVM constitutione & receptione, & de sex sanctorum corporibus in sinu matris Ecclesiæ delatis & collocatis, quorum nomina hic habentur inserta, & de* XII. *signis in clocariis matris Ecclesiæ collocatis per singulas horas reboandis, & de consecratione Episcoporum & sacer-*

dotum ac reliquorum graduum sive sanctimonialium, atque de commemoratione dedicationum Ecclesiarum.

MEmoratus igitur Aldricus Episcopus in præfata Cenomanica urbe duo hospitalia facere studuit. Vnum itque juxta præfatam Cenomanicam urbem super fluvium Sarthæ à radice pontis sanctæ Mariæ propter abundantiam aquarum & pascuorum construere certavit, ad receptionem videlicet Episcoporum & Comitum atque Abbatum sive cunctorum adventantium, in quo & Ecclesiam construxit, quam & in honore sancti Stephani solemniter dedicavit, & alia ædificia ad prædictum opus faciendum rationabiliter & mirificè ordinabiliterque construxit & disposuit. Alterum ergo hospitale juxta matrem & senioris civitatis scilicet Ecclesiam infra urbem construxit, in quo pauperes & debiles, cœci ac claudi, sive aliarum debilitatum subnixi & indigentes multi reciperentur, quibus alimenta & lectorum stramenta sufficienter & discretè ministrarentur. Præfixa quoque hospitia jam dictus Aldricus venerabilis Episcopus de rebus suæ sedis Ecclesiæ nobiliter dotavit, & villulas seu decimas, sicut in testamentis de eis factis continetur insertum, unà cum consensu Episcoporum multorum & suorum consacerdotum ad memorata hospitalia & ad usus hospitum ac peregrinorum atque pauperum sive reliquorum adventantium canonicè rationabiliterque contradidit, & per testamenta ab Episcopis & sacerdotibus sive reliquis nobilibus & liberis hominibus roborata confirmavit. Præscriptus quippe Aldricus jam dictæ urbis Episcopus venerabilis invenit quædam corpora sanctorum sex, quæ in desertis Ecclesiis valde divinis officiis & luminaribus atque reliquis divinis cultibus negligé-

bantur, quæ unà cum consilio consacerdotum suorum in gremio suæ sedis Ecclesiæ & in confessione senioris ejusdem Ecclesiæ altaris decenter & rationabiliter collocavit, id est, corpus sancti Iuliani præfatæ urbis Episcopi & prædicatoris primi, & sancti Thuribii prædicti Episcopi Iuliani successoris, sanctique Pavacii jam dictæ urbis etiam Episcopi & prædicatoris optimi, seu sancti Romani sacerdotis præcipui &, ut fertur, nepotis sancti Iuliani & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministri, quem etiam sanctæ Iuliæ fratrem nonnulli esse testantur, atque sanctæ Tevestinæ præcipuæ virginis, quæ & monasteriolum sanctæ Mariæ in rebus senioris Ecclesiæ unà cum adjutorio sancti Innocentis præfixæ urbis Episcopi construxit, sed & sanctæ Adæ, quæ & Adrehildis alio nomine nominatur, quæ, ut legitur, deprecante prædicto sancto Innocente de monasterio sanctæ Mariæ quod situm est in urbe Suessionis ad Cenomanicam urbem venit, & ibi in suburbio Cenomanico in præfato monasterio sanctæ Mariæ regulam sancti Benedicti docuit, & eam inibi decenter ordinavit, & partem corporis sancti Liborii supradictæ urbis Episcopi & confessoris optimi, & maximam partem corporis sancti Haduindi. Antedicta quoque corpora sanctorum in Ecclesia quam præfatus Aldricus præfixæ urbis Episcopus in honore Domini Salvatoris & sanctæ ejusdem Deigenitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii & Protasii sive sancti Stephani simulque & in veneratione omnium sanctorum solemniter consecravit, & in memorata ejusdem Ecclesiæ senioris altaris confessione prædicta corpora, ut præfixum est, solemniter decenterque & ordinabiliter collocavit, ea videlicet ratione ut inibi officia & luminaria & cetera ad divinum cultum & ad honorem sanctorum pertinentia pleniter haberentur, & post modum

ubicunque neceſſitas conſtruendorum popoſcerit monaſteriorum, ſingillatum præfixa corpora in unoquoque monaſterio collocaret; quatenus ex eorum memoriis & apertis interceſſionibus magis cultus creſceret divinus, & laus Dei in melius & multis modis multiplicaretur, ſicut in poſteris actum eſſe Domino annuente probatur. Ipſe ergo Aldricus in præfata ſeniore & matre Eccleſia civitatis duodecim ſigna ex metallo optimo fundere & firmare ſtuduit, quæ & in jam dicta ſeniore Eccleſia decenter in clocariis collocavit, & ad ſingulos curſus mirabiliter & ordinabiliter reboare & ſonare diſpoſuit, quatenus & per ea populum ad Eccleſiam decenter & ſolemniter convocaret, & ex eis plura & multimoda laus Domini exornaretur & creſceret, ut & in cymbalis bene ſonantibus cuncti aſſiduè Dominum laudarent, & quandocunque dulcis eorum ſonus in auribus populorum reboaret, de eorum ſceleribus omnes recordarentur, & pro eis Domini miſericordiam ſingulis horis invocarent, quatenus remiſſionem & abſolutionem eorum percipere mererentur, & mundi atque puri ab omnibus ſordibus peccatorum fierent, atque ad ſempiternam pervenire gloriam mererentur. Præfatus igitur Aldricus Epiſcopus tantæ fuit dignitatis & honoris amoriſque ut uſque ad Romanam ſedem ejus rumor pervenerit, eique Domnus Gregorius Romanæ ſedis Eccleſiæ venerabilis Apoſtolicus Roma in pago Cenomanico ſuum veſtimentum ſacerdotale miſerit, illud ſcilicet veſtimentum quo in Paſcha indutus fuerat. Miſit etiam ei baculum paſtorale, quod ferula nuncupatur, unà cum ſua epiſtola, vocans eum ut, ſi poſſibile foret, uſque ad eum perveniret, eique conceſſit ut qualemcunque petitionem & benedictionem à ſede ſancti Petri accipere vellet, aut per ſe ipſum aut per ſuum miſſum ei voluntariè & libenti

animo mitteret atque concederet. Fuit enim memoratus Episcopus Consiliarius Imperatoris & unus ex prioribus, quem tam Domnus Imperator quàm & sui optimates & regni proceres obtemperabant & oppido credebant atque in omnibus obedientes ei se esse & benevoli dicebant. Sed inde valde tristabatur quòd sæpissime eum in palatio retinebant, & propterea suum ministerium ei ut desiderabat & volebat perficere non licebat, quoniam erat persæpe propè unum annum quòd de palatio non absolvebatur, sed ibi, licèt invitus, morabatur; & ideo multa remanserunt tam in sua civitate quàm & in suis monasteriis sive in sua parrochia imperfecta, sed & quædam nec inchoata quæ ad divinum cultum explendum & ad laudem omnipotentis Dei magnificandam atque ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ perficiendam facere prudenter disponebat & perfici desiderabat. Prædictus quoque Aldricus Episcopus fecit ordinationes per diversa & canonica tempora sexaginta. Episcopos ergo sacravit septem, Sacerdotes verò DCCC. Levitas DCCCC. Subdiaconos quoque & reliquos ordines prout necessitas poscebat; quorum nomina propter prolixitatem & tædium scriptoris atque lectoris hic non inseruimus, sed in alia scedula, in qua nomina eorum & testes & titulos & tempora & reliqua quæ ad hoc pertinent pleniùs inseruimus; ut si quis hæc pleniùs nosse voluerit, in ea reperire valeat, vel si aliqua altercatio de eorum ordinatione futuris temporibus orta fuerit, in ipsa scedula appareat pleniter declaratum qualiter aut qua ratione sive ad quos titulos ordinati esse noscuntur. Ipsam enim scedulam apud seniorem custodem matris & civitatis Ecclesiæ reperire poterit si quis voluerit. Sacravit etiam prædictus Pontifex virgines inter monachas & Canonicas per diversa & canonica tempora CXX. In monaste-

Vide infrà cap. 72.

rio videlicet Intramnensi monachas virgines canonicè sacravit LXV. Et in monasterio sanctæ Mariæ juxta urbem super fluvium Sarthæ, quod ipse à novo fundavit & ornavit, monachas virgines consecravit XXXVIII. & reliquas canonicas virgines per diversa loca Domino militantes XVII.

XLV. *DE TRANSLATIONE corporis sancti Pavacii & dextri brachii sancti Liborii.*

ANno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXL. Indictione III. anno verò imperii Hludovici piissimi Augusti XXVII. & anno VIII. Aldrici hujus parrochiæ Episcopi atque hujus cœnobii fundatoris, VII. videlicet Iduum Iuliarum die, solemniter translatum est à præscripto Episcopo & ab aliis Episcopis & sacerdotibus & reliquis sacris ordinibus corpus sancti Pavacii & brachium dextrum sancti Liborii in hanc sancti Salvatoris Ecclesiam, hucque in nobilissima urna decenter à præfixis Episcopis & sacerdotibus subsequentibus signis humatum; quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis & cunctis frui æternaliter bonis, ipso auxiliante cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

XLVI. *CONSTITVTIO ALDRICI urbis Cenomanicæ Episcopi de luminaribus & incensibus Ecclesiæ senioris civitatis.*

COnstitutum est ab Aldrico Cenomanicæ civitatis Episcopo ut ardeant per quotidianas noctes in seniori Ecclesia de oleo à vespere per totam noctem usque mane tria, & de cera, quando tempus dictaverit, una, & ad nocturnas sive matutinas

ardeant luminaria per quotidianas noctes de oleo decem & de cera quinque, tria ante senius altare, & quartum ante altare sanctæ Trinitatis vel crucifixum, & quintum ante altare sancti Iohannis. Illa verò luminaria quæ de oleo fiunt ardeant per altaria & loca destinata, unum inter seniuś altare & sedem episcopalem, & aliud ante gradus senioris altaris, & tertium in medio choro, & quartum in exitu chori, & quintum ante altare sancti Georgii & sancti Felicis atque sancti Symphoriani & aliorum sanctorum quorum nomina super eo adscripta adesse videntur, & sextum ante altare sanctæ Agathæ & sanctæ Felicitatis & sanctæ Sabinæ & aliarum sanctarum virginum quarum nomina super illud scripta adesse videntur, septimum ante altare sanctæ Trinitatis, & octavum ante aram sancti Iohannis Baptistæ, & nonum ante altare omnium sanctorum, & decimum ante aram sancti Christophori & sancti Hyppoliti atque sancti Saturnini & reliquorum sanctorum quorum nomina super illud scripta esse videntur, & undecimum ante altare sancti Victorii & sancti Brixii atque sancti Arvei & reliquorum sanctorum in quorum honore sacratum esse cognoscitur. In dominicis verò omnibus noctibus & in festivitatibus x x. sanctorum constitutum est ut ampliùs incendantur & ardeant luminaria x x x. de oleo & quinque de cera, & in festivitate sancti Iohannis Apostoli & Evangelistæ, & in festivitate sanctorum Innocentium, & in octavis Domini, sive in octavis Epiphaniæ, & in festivitate sanctæ Agnetis, seu in festivitate sanctæ Agathæ, & in festivitate Apostolorum Philippi & Iacobi, & in inventione sanctæ crucis, & in festivitate sancti Petri, similiter & in festivitate sancti Pauli, seu in festivitate sancti Laurentii, & in decollatione sancti Iohannis Baptistæ, sive in festivitate sancti Michaëlis archangeli, atque in festivitate

vitate sancti Bartholomæi Apostoli, & in festivitate sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ, sive in festivitate Apostolorum Simonis & Iudæ, necnon & in festivitate omnium sanctorum Kalendis Novembris, atque in festivitate sancti Martini, & in festivitate sanctæ Cæciliæ virginis & martyris, atque in festivitate sancti Andreæ Apostoli. In his quoque festivitatibus ampliùs agatur, id est, in Epiphania & in Purificatione sanctæ Mariæ & in Ascensione Domini, seu in Pentecosten, & in dedicatione occidentalis partis Ecclesiæ senioris & altaris sancti Iohannis Baptistæ, quæ est XI. Kal. Iulii, & in nativitate sancti Iohannis Baptistæ, & in Assumptione sanctæ Mariæ, & in nativitate sanctæ Mariæ, seu in natale Episcopi, quæ agitur in die festivitatis sancti Thomæ Apostoli, atque in dedicatione matris & senioris Ecclesiæ suæ senioris altaris. In his namque festivitatibus constitutum est ut ardeant luminaria triplicata, id est, de oleo x c. & cera x. hoc scilicet centum vel eo ampliùs, prout opportunitas & locus fuerit. Tamen nullo modo concessum est ut minùs, sed ampliùs. In nativitate autem Domini tam festivè constitutum est fieri sicut illos dies decet; & in festivitate sanctorum Gervasii & Prothasii sive sancti Stephani prout meliùs potuerit fiat. Est etiam constitutum à prædicto Episcopo ut incensum boni odoris offeratur per singula altaria & deferatur fratribus in Ecclesiam convenientibus & populis ad Ecclesiam venientibus ad matutinas & ad Missam sive ad vesperas atque completorium. Hæc autem per singulos quotidianos dies devotissimè, in dominicis verò diebus & in festivitatibus ampliùs & solemniùs agatur.

XLVII. Placuit etiam in hac scedula, quæ de quibusdam actibus Pontificum Cenomanica in urbe degentium usque ad Aldricum ejusdem urbis Epis-

copum conscripta esse dinoscitur, inserere relationem sive memoriale qualiter prædictus Aldricus antedictæ urbis Episcopus monasterium Anisolæ, in quo sanctus Carilephus confessor præcipuus corpore requiescit, ante Domnum Hludovicum Imperatorem legibus conquisivit; ut si deinceps aliqua altercatio de eo orta fuerit, præfati memorialis exemplar in hac scedula conscriptum bonis hominibus ad relegendum appareat. Quòd si aliquis ex hoc aliquam pulsationem prædictæ matri & civitatis Ecclesiæ deinceps suisque successoribus ullo unquam tempore facere tentaverit, in hac scedula reperiatur qualiter evindicatum fuerit, & quid repetierit evindicare non valeat, sed subter inserta evindicatio firma & stabilis omni tempore permaneat.

INCIPIT RELATIO VEL evindicatio sive memoriale qualiter monasterium Anisolæ ad jus Cenomanicæ matris Ecclesiæ ante Domnum Hludovicum Imperatorem ab Aldrico Episcopo canonicè & legibus evindicatum fuit.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Temporibus Hludovici piissimi Augusti subter inserta causatio vel evindicatio fuit de monasterio Anisolæ inter Aldricum Episcopum & Sigismundum Abbatem, qui illud tunc tenebat. Nam præfatus Aldricus dicebat & scriptis & testibus approbabat quòd de jure suæ sedis Ecclesiæ præfatum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus esse debebat, & sui antecessores illud ex rebus Cenomanicæ matris Ecclesiæ magna ex parte fundarant, & ad ipsam matrem Ecclesiam subjectum esse debebat, & hoc legibus affirmabat. E contrà Sigismundus dicebat

quòd proprium Domni Imperatoris esse debebat, & non de prædicta Ecclesia : sed nullam veram auctoritatem exinde ostendebat nisi tantùm unam epistolam quam Pipinus propter odium Gauzioleni Episcopi cuidam suo monacho fecerat ut illi subjectum esset & non Gauzioleno ; & hoc propter odium Gauzioleni factum esse perscrutatum est. Quia quando fuit Pipinus Cenomanica in patria, & de quadam persecutione inimicorum suorum reversus per Cenomanicam patriam transibat, tunc eum præfatus Gauziolenus & suus frater Harivius non receperunt, sed infra Cenomanicam urbem cum omnibus quos secum conducere potuerunt se reclusserunt, & Domnum Pipinum Regem illuc introire non permiserunt, sed damnum ei de suis hominibus facere nitebantur, & suum pincernam coram eo stantem, dum sua castra in vinea sancti Petri juxta urbem Cenomanicam posita erant, interfecerunt, & alios homines vulneraverunt. Videns autem Domnus Pipinus quòd ibi proficere non potuit, vastans totam illam regionem, pergere cœpit ad Franciam. Tunc in ipso itinere venit ad ipsum prædictum monasterium Anisolam, & præcepit illis monachis ut nullam obedientiam facerent jam dicto Gauzioleno, eò quòd ei rebellis esset, sed sub suo mundeburdo vel sub sua tantummodo tuitione vel dominatione permanerent. Et tunc eis ac Siebaldo eorum Abbati talem epistolam dedit quòd propter odium, ut dictum est, Gauzioleni, & non propter ullam aliam rem aut injustitiam factum esse liquet. Tunc enim ipse Siebaldus non fuit ausus ibi remanere, sed unà cum Pipino usque in Franciam perexit. Postea verò cognoscens Pipinus quòd injustè fecisset & propter odium Gauzioleni hoc egisset, præcepit filio suo Karolo & jurejurando contestatus est ut præfatum monasterium redderet Cenomanicæ matri

Ecclesiæ, cujus justè esse debebat, ne aliquod detrimentum sua anima ex hoc haberet. Et sic fecit postea Domnus Karolus, & Franconi Episcopo illud reddidit, atque per præceptum suum prædictæ matri Ecclesiæ confirmavit. Multi autem hactenus vivunt qui Domno Karolo hoc dicere audierunt, qualiter suus pater Domnus Pipinus ei hoc contestando facere præcepit. Et quando jam dictum monasterium Branconi reddidit, multi vivebant qui hoc Domnum Pipinum Karolo præcipere & contestari audierunt. Istam verò rationem pleniter prædictus Aldricus Episcopus perscrutatam apud veridicos homines habebat, & hoc testibus veris & bonis coram omnibus affirmabat. Taliter enim Aldricus & Sigismundus altercantes, pervenit ipsa ratio usque ad Domnum Imperatorem; qui hoc firmiter inquirere præcepit, & veraciter sibi renuntiare jussit. Sed antequam ipsa causatio ante Domnum Imperatorem veniret, volebant eorum amici & boni homines eos inde pacare & concordare. Sed Aldricus Episcopus obtemperabat eorum justis petitionibus, & Sigismundus non faciebat; sed quicquid ei justè & rationabiliter sui amici agere suadebant, prædictus Sigismundus spernebat. Offerebat enim ei memoratus Aldricus Episcopus ut aliquem censum ei ex hoc solveret, sicut sui antecessores prædicti Episcopi antecessoribus faciebant, & per suum beneficium illud tenere, & nunquam ei diebus vitæ suæ de illo aliquod impedimentum facere volebat, sed quietè & pacificè unà cum suis monachis eum inibi esse permittebat. Offerebat etiam & aliam causam prædicto Sigismundo, suadentibus prædictis amicis & bonis hominibus, jam dictus Aldricus Episcopus, ut si hanc non vellet, saltem aliam faceret. Permittebat autem ei duas aut tres villas, quales sibi eligeret, per suum beneficium habere, & ex his nullum

servitium aut aliqua dona requireret, sed quicquid ex his vellet faceret. His omnibus à Sigismundo spretis, cœpit sæpedictus Episcopus suam justitiam justè & rationabiliter quærere, quia plenam & justam rationem sibi in hoc habere videbatur. Præcepit enim hanc justitiam inquirere Domnus Imperator Ebroino Pictaviensis urbis Episcopo & Erchinrado Parisiacæ civitatis Episcopo & Rorigoni Comiti & Altmaro Seneschalcho Domnæ Iudith Imperatricis & Misso palatino unà cum aliis vassis dominicis. Sed dum hæc res ad effectum tunc minimè pervenit propter alias necessitates, & hoc Domno Imperatori renuntiatum esset, præcepit ut ante se in suo palatio ipsa altercatio finiretur. Tunc ergo jussit Domnus Imperator ut haberent ambo eorum auctoritates & testimonia Aquisgrani palatio ad suum placitum quod ibi tempore quadragesimali cum Episcopis & Abbatibus & Comitibus & ceteris fidelibus suis habebat, ut ibi pleniter præfixa altercatio finem perciperet. Sed Sigismundus jam vocatus ad ipsum placitum minimè pervenit. Quâ de re iterum Domnus Imperator per suam epistolam eum vocavit ut post Pascha veniret. Qui & hoc renuens, jam tertiò vocatus minimè venit, neque missum aliquem misit cur hoc dimitteret. Tunc cernens Domnus Imperator suam inobedientiam & contumaciam, expectavit tamen adhuc post tertium condictum placitum quindecim dies ut veniret; sed cernens eum jam venire non velle, neque suam rationem justè diffinire, quia minimè hoc rationabiliter & veraciter se facere confidebat, & propterea venire ad placitum nolebat, tunc Domnus Imperator interrogavit suos Consiliarios & Episcopos sive Abbates & Comites & reliquos fideles suos quid ex hoc facere deberet, & quale consilium ex hoc ei darent, & quid de tam inobediente suo præcepto facturus esset.

Tunc respondentes dixerunt utriusque ordinis omnes. Vidimus quòd iste Episcopus vester Aldricus habet suas auctoritates & præcepta regalia tam genitoris vestri quàm & aliorum vestrorum antecessorum, videlicet Regum Francorum, in quibus, ut coram nobis relectum est, continetur insertum & sanctorum sacerdotum ac Regum manibus propriis corroboratum, quòd monasterium Anisolæ, unde agitur hæc justitia, Cenomanicæ matri Ecclesiæ traditum fuit & ab Episcopis ejusdem matris Ecclesiæ constructum & ornatum atque legibus possessum. Habet etiam præfixus Episcopus, quos videmus & audimus, suos testes veros & bonos, qui has auctoritates firmas & veras esse testantur, & jurejurando quæ dicunt affirmant. Insuper testantur quòd infra legitimo tempore prædicta mater Cenomanicæ civitatis Ecclesia vestituram legitimam habuisset de prædicto monasterio, & adhuc triginta anni non sunt transacti quòd ex eo legitimam vestituram habuit, & propterea inde fuit modò alienatum quòd Franco Episcopus prædictæ Ecclesiæ suo propinquo Adalghyso illud impetraverit, ut pro illo regalia servitia & itinera faceret, quæ ille pro sua infirmitate & senectute facere non valebat. Affirmant etiam eundem Franconem aliquas villulas & quosdam vassallos casatosque, ut nominant, ex præfixo monasterio ad suum opus, dum advixit, retinere; sed illis ambobus defunctis non fuit ad præsens Episcopus ejusdem sedis qui Domnum Imperatorem Hludovicum ex hoc interpellaret ad tempus; & sic datum est alio, & tali occasione sublatum est de præfixa sede. Sed & hoc quod isti monachi dicunt quòd vestrum proprium esset, prædicti testes Aldrici Episcopi per eorum auctoritates & per vestros vassallos & alios veridicos & bonos homines affirmant non esse. Dicunt etiam, si vestrum proprium esset, res ipsius mo-

nasterii secundùm legem Salicam aut Ribuariam tùe-rentur sicut alia loca & res quæ de vestro sunt proprio faciunt, & mancipia non partirentur, sicut de aliis locis & rebus quæ de vestro sunt proprio in illa regione est consuetudo facere ; sed de istis causis in rebus sancti Carilephi sicut in propriis Domni Imperatoris observare apud eos est consuetudo, nihil unquam conservatum fuit ; & pro istis causis affirmant & defendunt jam dicti testes sæpedictum monasterium non vestrum proprium aut alicujus esse, sed de jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ, de cujus rebus est fundatum, illud esse affirmant, quod & rationabiliter & legibus, ut nobis videtur, facere possunt. Testantur etiam suprà memorati testes quòd omnes Episcopi qui in prædicta civitate & in jam dicta sede à tempore sancti Innocentis Episcopi secundi, successoris videlicet sancti Victurij, & à tempore sancti Carilephi confessoris eximii fuerunt, prædictum monasterium sujectum habuissent, exceptis duobus. quod propter prædictum odium & pro aliqua negligentia veraciter factum esse inquisitum est. Testantur etiam quòd plus ad jus & subjectionem prædictæ matris Ecclesiæ præfatum monasterium pertineat quàm ad vestrum proprium aut ad aliam aliquam causam ; & hoc, si aliqui testes contra se venerint, falsos eos, qualiter præceperitis, facere posse testantur firmiterque affirmant. Supradicta verò ratione hanc justitiam diligentissimè ventilatam, rei veritatem cognoscentes, pleniter & rationabiliter legis divinæ & mundanæ nos utriusque ordinis vestri fideles auctoritate instructi, & plena ratione suffulti, judicamus vosque hortamur ut ei auferatur qui vobis inobediens extitit & ad vestrum placitum non solùm semel aut bis vel ter vocatus venire contempsit, quia de sua absentia culpabilis & convictus esse cognoscitur, & ei vestra auctoritate

noſtroque judicio reddatur præfatum monaſterium qui vobis inobediens non fuit, nec ad placitum venire renuit, ſed ſemper præſens cum ſuis auctoritatibus & nobilibus teſtibus affuit, & hoc pleniter & legaliter approbare eſt paratus quòd ſuæ ſedis Eccleſiæ præfatum monaſterium eſſe debet. Et propterea præfato Aldrico Epiſcopo firma auctoritate ad jus ſuæ ſedis Eccleſiæ præfatum monaſterium cum omni integritate ut reddatur judicamus. Quidam autem eorum dixerunt. De nobis ipſis aliter judicare non poſſumus, quòd ſi aliquis noſtrum licèt nemine quærente, aut aliqua cauſatione pulſante, vocatus ad veſtrum placitum venire contempſerit, ni infirmitas aut legitima ſomnis eum detinuerit, & ſi aliqua ſomnis, aut infirmitas eum detinuerit, ut ipſe ſuum advocatum aut ſuam excuſationem rationabilem ad vos miſerit, juſtè & plena ratione perdere debet unuſquiſque noſtrum quod de veſtro habet. Et propterea ſicut & de nobis, ſic & de illo judicamus; quia neutrum fecit, nec ipſe venit, nec mandare ſtuduit cur illud dimiſit. Sed ſicut iſti homines qui præſentes adſtant, id eſt, Hagano & Benedictus & alii, dicunt & affirmare volunt qualitercunque vobis placuerit, ſive ſi aliquis ex vobis aliter dixerit, ſingulare certamen cum eo præliari ſive in judicio, ſi vobis placuerit, ſeu cum ſacramento verum facere nullam ob aliam cauſam præfatum Sigiſmundum remanſiſſe, neque propter infirmitatem, neque propter aliam neceſſitatem, niſi quòd venire, ne convinceretur, noluit, quia nullam juſtitiam neque aliquam juſtam aut rationabilem cauſam in prædicta quæſtione ſe habere confidebat. Et hæc prædicti homines quotidie ante vos & ante nos & reliquos fideles veſtros clamant, & approbare, ſicut prædictum eſt, vel qualiter vobis placuerit & eis præceptum fuerit volunt. Et hoc ſæpiſſime publiciter in hoc pa-

latio est acclamatum & perquisitum nobis & ceteris fidelibus vestris audientibus ; sed nemo est qui eis contradicere aut resistere velit, sed plus dicunt omnes eos veritatem dicere. quod & verisimile nobis esse videtur. Sic vos jam quindecim dies per aliud placitum vel tertium ei concessum expectantes, neque suum advocatum aut suas auctoritates misit, neque ullam excusationem de se vel de suo contemptu facere noluit. Idcirco de sua absentia vel contumacia jam convictum atque damnatum eum esse legibus judicamus, ita ut nec ejus vox ampliùs de hac causa audiatur. Et ut hoc quod dicimus & judicamus auctoritate canonum & legis pleniùs confirmemus, precamur ut nonnullæ sententiæ ad hoc pertinentes canonum & legum ante vos legere jubeatis. Et tunc publicè coram omnibus recitatæ sunt hæ sententiæ canonum & legum.

EXCERPTVM EX DECRETIS Papæ Bonifacii, capitulo III.

MAnifestum est confiteri eum de crimine qui indulto & delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt de eo comprobentur, cùm ipsa absentia pro confessione constet. Lib. 5. Capitular. c. 37. lib. 7. c. 43.

Item ex decretis ejusdem Bonifacii Papæ.

NVlli dubium est quòd reus judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.

Item ejuſdem cujus ſuprà.

CAvendum eſt ut ſi quis adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur; ſed quæ malè pull ilaſſe noſcuntur, radicitus evellantur & emendentur.

Ex decretis Cæleſtini Papæ.

NOn caret enim ſuſpicione qui ad judicium venire contempſerit & purgari ſe diſtulerit, quia ipſa abſentia ſua eſt comprobatio. Inſuper occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit ſi ſilentio faveamus errori. Ergo corripiantur qui hujuſmodi ſunt modis omnibus, ut veritas eorum verſutiis non ſopiatur, ſed aſtuta eorum cavillatio aptiſſimè & prudenter omnibus manifeſtetur & emendetur, atque reſtituatur quod hactenus occultum & neglectum fuit.

Decreta Innoc. I. c. 35.

Item excerptum ex decretis Papæ Innocentii.

VEritas ſæpiùs exagitata magis ſplendeſcit ad lucem, & pernicies revocata in judicium graviùs condemnatur. Nam fructus divinus eſt juſtitiam ſæpius recenſeri, & errata corrigere, ablata reſtaurare. Nec otioſa ergo Dominus judex noſter in nobis eſſe patitur quæ exercenda, non negligenda donavit.

Decreta Cæleſtini l. c. 12.

Sequentia verò capitula ad eandem rationem pertinentia à ſapientibus Comitibus & Scabinis dominicis ſunt prolata; & per judicium coram omnibus ſunt recitata.

HÆC CAPITVLA QVÆ subsequuntur de lege Romana sunt assumpta.

IMperator Valentinianus inter cetera Firmino Præfecto prætorio & Patricio data. Si quis pulsatus in judicio adesse noluerit, post secundam aut tertiam conventionem sciat se contumacis sententiam subiturum, id est, ut quicquid, si fuisset in judicio, addicendus erat, petenti litigatori quasi victus exolvat. Data VII. Kal. Maii Romæ Herculano V. c. Conss. Novell unica de Episc judicio, in interpret.

Quinque capitula de effectu sententiarum & finibus litium Pauli sententiarum lib. V. Quicunque tribus auctoritatibus judicis conventus, aut trinis litteris vel tribus edictis ad judicium fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est, quod causam extinguit, fuerit evocatus, & præsentiam suam apud eum judicem à quo ei denuntiatum est exhibere non voluerit, adversùs eum quasi in contumacem judicari potest. Quinimmo nec retractari per appellationem negotia possunt, quoties in contumacem fuerit judicatum. Paul. lib. 5. sent. tit. 5. in interpret.

Item Theodosius libro quarto de sententiis ex periculo recitatum.

IMperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius A A A. Clearcho Præfecto. Quicquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari. Data Kal. April. Honorio VIII. & Boëtio Conss.

SEQVITVR SENTENTIA de eadem lege Romana, de libro Pauli assumpta.

SI enim judicibus talia conceduntur, quanto magis Regibus & Imperatoribus fræna & lora ampliora & latiora relaxantur : quoniam de crimine majestatis graviùs judicantur rei & incriminati quàm alterius alicujus generis secularis: quia honor capitis decus est aliorum membrorum, & dedecus capitis ignominia est aliorum membrorum. Porrò quia omnia membra sequuntur caput, scilicet ut in comparatione prædecessorum nostrorum, more videlicet antiquorum, loquamur, sicut ab illis non semel aut bis vel ter sed persæpe firmatum & definitum esse legimus, dehonoratio & despectio seniorum & magistrorum & contumacia eorum contumelia est subditorum & juniorum, & honor & exaltatio atque benevolentia & obedientia seniorum & magistrorum honor & exaltatio est subditorum & juniorum, quia & illi ab istis & isti ab illis mutuò foventur & exaltantur, & honor regni & populorum ampliatur, & vis atque justitia eorum crescit, & populus salvatur & exaltatur. Si quis autem contra hæc inire aut aliqua machinatione aliquid agere præsumpserit, damnatus in omnibus & ab omnibus interiùs exteriusque sententia ultionis feriatur, ne in posterum quisquam talia agere præsumat ; & si quis facere tentaverit, similiter damnetur, & ultionis sententiam non effugiat.

Item unde suprà, si quis ad placitum venire distulerit.

SI quis subterfugiendo placitum huc illucque vadit, & ad placitum venire distulerit, & maxi-

mè si vocatus à judicibus fuerit, omnimodis providendum est ne quærens suam justitiam pro tali occasione perdat, sed quasi convictus ille qui ad placitum venire distulerit, item culpabilis & convictus de sua absentia judicetur, & deinceps hoc recuperare non valeat, sed magis metallis & aliis pœnis deputetur, ne ampliùs quisquam talia agere præsumat, & ille de sua versutia & absentia vicisse non lucretur, neque subterfugisse gaudeat, neque suam justitiam perdat. Data IX. Kal. Maii.

His & aliis auctoritatibus sanctorum patrum & canonum atque legum rationabiliter instructi judicavimus & iterum judicamus ut Aldrico sæpedicto Episcopo jam dictæ res, qui semper pleniter instructus præsens adfuit, & nunquam ad suam justitiam comprobandam defuit, vestra auctoritate vestroque judicio reddantur. Et si talis firmitas ex hoc facta sit quæ in posterum appareat, nunquam deinceps de hoc in prædicta Ecclesia sibi commissa aliquod damnum aut scandalum aut ullam causationem patiatur. Et si aliquis, quod non credimus, ex hoc deinceps aliquam pulsationem aut causationem ei facere voluerit aut suis successoribus, evindicare non valeat, nec ejus vox penitùs audiatur qui hoc facere tentaverit, sed hoc judicium quod modò agitur, ratum futuris maneat temporibus, & vestra redditio firma & stabilis permaneat. His taliter peractis, hoc divisimus. Tunc Domnus Imperator coram illis reddidit Aldrico præfixo Episcopo per eorum judicium plena auctoritate monasterium Anisolæ, in quo Domnus Carilephus corpore requiescit, ad jus Cenomanicæ matris Ecclesiæ, cui præfatus Episcopus præerat, futuris temporibus possidendum, & Missos ei dedit qui ei inde plenam vestituram facerent, Fulconem scilicet Comitem palatii & Arduinum & Gaufridum Comites & Folcradum vassum

dominicum, qui postea, sicut Domnus Imperator eis jussit, plenam & legalem vestituram per cloccas & ostia senioris ipsius monasterii Ecclesiæ, in qua etiam sanctus Carilephus corporaliter requiescit, & per portas ipsius monasterii jam dicto Aldrico Episcopo multis coram testibus in ipso monasterio solemniter fecerunt. Hoc autem factum est anno incarnationis dominicæ DCCCXXXVIII. Indictione II. & anno imperii præfati Domni Hludovici piissimi Imperatoris XXV. anno verò ordinationis sæpedicti Aldrici Episcopi sexto. Pridie quoque Kalendarum Maiarum Aquisgrani palatio prædictum judicium est actum, & in ipsa die ipsa ratio à præfixo Imperatore legibus est adimpleta & plena ratione peracta. Propterea ergo hoc memoriale conscribere libuit ut si aliqua altercatio deinceps exorta fuerit qualiter hæc res acta sit, per hoc memoriale declaratum appareat; ut si aliquis ex hoc aliquam querelam facere tentaverit, evindicare minimè valeat. Actum atque conscriptum est hoc memoriale Aquisgrani palatio Kal. Maii in sacrario sanctæ Mariæ, regnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum. Hæ verò chartæ & hæc præcepta publicè relecta & recitata sunt ante Domnum Imperatorem & Drogonem ejus fratrem & Archicapellanum, sive etiam ante suos Missos quos Domnus Imperator ad hanc causam audiendam & discernendam constituit, seu ante conscriptos Episcopos & Comites & ministros ac judices, quando hoc judicium in præscripto palatio judicatum est, & quando præfatum monasterium ad jus præfixæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ est legibus redditum & supradicto prætextu evindicatum, id est,

I. Traditio sancti Carilephi quam fecit sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis.

II. Charta commendationis qualiter se Domnus Carilephus per licentiam sui Abbatis, exhortante Domno Avito, unà cum suis monachulis subdidit Ecclesiæ civitatis, & in manus sancti Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit.

III. Precaria quam sanctus Carilephus accepit à sancto Innocente de eadem re.

IV. Præceptum Childeberti Regis quod jussit facere super traditionem sancti Carilephi & super precariam quam ipse sanctus Carilephus accepit à sancto Innocente.

V. Charta donationis de rebus & villulis, & auro & argento & vestimentis tam ecclesiasticis quàm & aliis, sive libris & crucibus & capsis vel reliquiis sanctorum multorum quæ Domnus Innocens in adjutorium ad monasterium Anisolæ construendum & ornandum Domno Carilepho & suis monachalis per scripturam tradidit.

VI. Charta de conventionibus sancti Innocentis & sancti Carilephi miræ magnitudinis conscripta, & à quindecim Episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles permanerent.

VII. Precaria quam sanctus Domnolus Episcopus Abbati suo Gallo fecit de monasterio sancti Carilephi.

VIII. Præceptum quod Chilpericus Rex sancto Domnolo Episcopo fecit & suo Abbati Gallo de monasterio Anisolæ.

IX. Præceptum emunitatis quod fecit Chilpericus Rex sancto Domnolo Episcopo de monasterio Anisolę & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.

X. Precaria quam Hadoindus Episcopus de monasterio sancti Carilephi Sigranno Abbati fecit.

XI. Præceptum quod Rex Chlotarius Haduindo Episcopo & Sigranno Abbati de monasterio Anisola fecit.

XII. Præceptum emunitatis quod fecit Chlotarius Rex Haduindo Episcopo de monasterio Anisola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.

XIII. Precaria quam Domnus Berarius Episcopus de monasterio sancti Carilephi Ibboleno Abbati fecit.

XIV. Præceptum Dagoberti Regis super precariam Ibboleni Abbatis quam à Domno Berario Episcopo de monasterio Anisola accepit.

XV. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Domno Berario Episcopo de monasterio Anisola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.

XVI. Precaria quam Gauziolenus Episcopus de monasterio sancti Carilephi Didoni Abbati fecit.

XVII. Præceptum Chilperici Regis quod fecit Gauzioleno Episcopo & Sicbaldo Abbati super precariam eorum de monasterio Anisola.

XVIII. Præceptum Chilperici Regis sub emunitatis tuitione Cenomanicæ sedis Ecclesiæ factum Gauzioleno Episcopo. Simul & confirmatio in hoc ipso præcepto continetur quam fecit super precariam prædictus Rex Gauzioleno memorato Episcopo & Didoni Abbati suo.

XIX. Præceptum emunitatis quod fecit Theodoricus Rex Berario Episcopo de cellulis & villulis sui episcopii & nominatim de monasterio Anisola.

XX. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Episcopo Herlemundo de cellulis & villulis de suo episcopatu; ubi & monasteriolum Anisola commemorat, & suæ sedis Ecclesiæ esse affirmat.

XXI. Monumentum de vita sancti Innocentis Episcopi.

XXII. Exemplar de vita & actibus sancti Turibi Episcopi.

XXIII.

XXIII. Præceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Episcopo quando ei monasterium Anisola per judicium & plenam auctoritatem reddidit & suæ sedis Ecclesiæ confirmavit, sicut in eo continetur insertum.

XXIV. Præceptum quod fecit Domnus Hludovicus Imperator Franconi Episcopo de mancipiis sanctæ Mariæ & sancti Carilephi, in quo continetur monasterium Anisolæ subjectum esse debere Cenomanicæ matri Ecclesiæ.

XXV. Præceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Episcopo quando ei concessit ut hostes & itinera nulla faceret, sed Adalghisus suus propinquus omnia regalia servitia pro eo faceret, & per licentiam Franconis aliquam partem abbatiæ sancti Carilephi teneret, & post obitum Adalghisi ad jus & regimen Cenomanicæ matris Ecclesiæ absque ulla contradictione reverteretur, sicut in eo continetur insertum.

Huic judicio & redditioni interfuere subter inserti viri. Iudith Imperattix, Karolus glorioſiſſimus Rex, Drogo Archiepiscopus atque Archicapellanus, Autcarius Archiepiscopus, Hadalboldus Archiepiscopus, Amaluuinus Archiepiscopus, Aiulphus Archiepiscopus, Rataldus Episcopus, Ecardus Episcopus, Erardus Episcopus, Ebruinus Episcopus, Vviliricus Episcopus, Albericus Episcopus, Ghefridus Episcopus, item Albericus Episcopus, Simeon Episcopus, Ercanradus Episcopus, Ionas Episcopus, Vuiladus Episcopus, Ansigaudus Episcopus, Adalardus Comes, Radulfus Comes, Bonefacius Comes, Adalbertus Comes, Vuarinus Comes, Herbertus Comes, Audulfus Comes, Stephanus Comes, Rainaldus Comes, Giſlebertus Comes, Landricus Comes, Gerardus Comes, Abbo Comes, Teoto Comes, Poppo Comes, Erminus Comes, Anfredus

Comes, Adalgarius Comes, Gebuinus Comes, Tetghildus Comes, Troandus Comes, Ardoinus Comes, Rumaldus Comes, Herloinus Comes, Hungarius Comes, Theodoricus Comes, Ricboto Abbas, Hludovicus Abbas, Stolido Abbas, Hilduinus Abbas, Burchardus Abbas, Lantramnus Abbas, Godolricus Abbas, Daniel Abbas, Georgius Abbas, Elmeradus Abbas, Vuaringarius Abbas, Aldricus Abbas, Eribertus Abbas, Tethaldus Abbas, Marcoardus Abbas, Humbertus Abbas, Eginardus Abbas, Fulco Vassus dominicus & Comes palatii, Ragenarius Vassus dominicus & Comes palatii, Teutfridus Vassus dominicus, Adalelmus Vassus dominicus, Hericus Vassus dominicus, Engiscardus Vassus dominicus, Diso Vassus dominicus, Franco Vassus dominicus, Teoto Vassus dominicus, Folcradus Vassus dominicus, Bernuinus Vassus dominicus, Evrardus Vassus dominicus, Salaman Vassus dominicus, Egibertus Vassus dominicus, Vuinitmarus Vassus dominicus, Vuitbaldus Vassus dominicus, Radulphus Vassus dominicus, Gunzo Vassus dominicus, Odorricus Vassus dominicus, Cadilo Vassus dominicus, Letricus Vassus dominicus, Nantarius Vassus dominicus, Robertus Vassus dominicus, Isaac Vassus dominicus, Hugo Vassus dominicus, Dagobertus Vassus dominicus, Ebruinus Vassus dominicus, & reliqui innumerabiles quorum nomina propter prolixitatem hic non inseruimus.

XLVIII. *EXEMPLAR EPISTOLÆ quam Domnus Imperator Hludovicus Ionæ urbis Aurelianensis Episcopo & Henrico Abbati fecit de causa Aldrici Cenomanicæ urbis Episcopi suorumque monachorum de monasterio sancti Carilephi, quando illud ei Domnus*

Imperator plena ratione Ecclesiæque sibi commissæ reddidit, & propterea quidam monachi inconsultè contra omnem auctoritatem canonicam & regularem ex eo sunt egressi, & res ecclesiasticas non paucas sive sacrata vasa aurea & argentea furtim inde exportaverunt.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus Ionæ venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quòd monachi ex monasterio sancti Carilephi in egressu præsumptivo idem monasterium expoliassent ornamentis ecclesiasticis tam in thesauro quàmque in vasis seu vestimentis, necnon & libris. Quapropter tibi præcipimus & Henrico Abbati ut vos omni diligentia illud inquiratis, & cum omni integritate res ecclesiasticas eidem Ecclesiæ restituere faciatis. Vale, ex hoc habeto studium sicut de te bene confidimus, & sicut in hoc nostram cognoscis voluntatem.

XLIX. *ITEM EXEMPLAR alterius epistolæ Domni Hludovici Imperatoris de prædicta re, ad quos suprà.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus Ionæ venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quòd monachi ex monasterio sancti Carilephi egressi sunt de proprio monasterio, aliena loca quærentes, immemores propriæ promissionis eorum, in qua promiserunt obedientiam & stabilitatem propriæ promissionis loci, atque renuntia-

verunt propriis voluntatibus secundùm regulam sancti Benedicti, obliti etiam sententiam evangelicam, in qua dominicum exemplar audivimus: *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, oblitique apostolicæ sententiæ ita dicentis : *Subjecti estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Et hoc non ob aliud fecerunt nisi quòd Abbas eorum nobis inobediens apparuit, & nos eidem Abbati idem monasterium tulimus, & illud Aldrico Episcopo Ecclesiæque sibi commissæ legaliter, sicut à suis prædecessoribus possessum & constructum fuit, reddidimus, sicut lator ejus epistolæ tibi dicere poterit, quia prolixum est nobis in hac epistola omnia inserere qualiter actum & definitum rationabiliter fuit, & quia in nullo sentimus contrarium esse auctoritati canonum monachos subjectos Episcopis fieri debere. Quapropter volumus ut Missus noster sis unà cum Henrico Abbate, & eosdem monachos plena auctoritate canonum & regulari atque nostra ad proprium monasterium redire compellatis. Si verò quispiam eorum vos non obaudierit, volumus ut compellatis eum venire ad nostram præsentiam in proximo placito quod habituri sumus Domino annuente apud Carisiacum. Bene vale, & ora pro nobis Dominum.

L. *NOTITIA DE MONASTERIO sancti Carilephi in generali synodo in Carisiaco palatio regio facta ab Aldrico Episcopo per judicium Episcoporum accepta, sicut in ea continetur insertum.*

CVm in nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi Domnus Hludovicus Imperator anno incarnationis dominicæ DCCCXXVIII,

ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda in Carisiaco palatio publicè resedisset, & conventum generalem totius populi unà cum Pipino & Karolo filiis suis, gloriosis videlicet Regibus, & synodum Episcoporum & reliquorum sacerdotum ibidem generaliter ad ecclesiastica sive mundana negotia tractanda necnon & ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ fulciendam coadunatum haberet, ibique venientes monachi de monasterio Anisolæ, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, ante prædictum Domnum Hludovicum Imperatorem ampliùs quam viginti unà cum Sigemundo, qui dudum eorum Abbas fuerat, qui se injustè reclamaverunt de eorum monasterio ejectos esse, quorum causam Domnus Imperator in generali conventu ibidem habito diligenter discutere & enucleatim inquirere præcepit. Cùm autem in conspectu Episcoporum & Abbatum & reliquorum sacerdotum se pro prædicta causa advenientes reclamarent, interrogatum est Aldrico eorum & Cenomanicæ parrochiæ Episcopo & ejusdem monasterii Abbati si eos ejecisset ex eorum monasterio, aut à quo ejecti taliter vagantes discurrerent relicto loco in quo seculo renuntiaverunt, in quo etiam ecclesiasticis vel secularibus negotiis diebus vitæ eorum permanere deberent. Qui respondens ait: Nec ego ejeci eos, nec scivi eos ejectos esse. Tunc adlata est coram Rege & optimatibus ejus traditio sancti Carilephi, quam fecit sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis, & aliæ multæ auctoritates quas enumerare longum est, de quibus sæpedictus Pontifex coram omnibus in eodem Concilio consistentibus habuit suos testes tam sacerdotes quàm & veridicos laicos nobiles & bonos & legitimos sufficienter, qui eadem instrumenta chartarum approbaverunt, & ea infra legitimos annos canonicè & legibus vestita vi-

derunt, & pleniter atque legibus testificabantur plus per justitiam & legem canonicam & mundanam prædictum Anisolæ monasterium cum omnibus ad se pertinentibus ad jus Cenomanicæ matris Ecclesiæ pertinere quàm aliubi, aut fiscus dominicus aut proprium Domni Imperatoris aut alicujus hominis esse debere. Sed nullus inventus est qui contra hæc aliquid dicere aut probare voluisset. Tunc præfatus Domnus Drogo Archiepiscopus & senior Capellanus & ceteri qui præterito tempore Aquisgrani palatio fuerunt quando hæc ratio ventilata est & ad liquidum perscrutata canonicèque & legibus definita, respondentes dixerunt: Non est necesse hæc modò iterum per omnia removere neque singula retractare, quia scimus te canonicè & legibus memoratum monasterium habere conquisitum & evindicatum: sed de istis monachis, qui modò se reclamant ejectos esse de eorum monasterio, quod Domnus Imperator nobis inquirere præcepit, modò agendum est. Sed postquam perscrutatum est præscriptos monachos nullius ejectione, nec aliqua indigentia, nec culpa aut facto prædicti Aldrici Episcopi exisse ab eorum monasterio, sed eorum libitu & contumacia hoc eos perpetrasse, & ut jam dictum monasterium prædicto Episcopo auferrent & à jure suæ sedis Ecclesiæ quoquo modo potuissent substraherent vel alienarent sibique evindicarent, tunc eis præceptum est ut reverterentur ad eorum monasterium quo renuntiaverunt, ibique jejuniis & orationibus insisterent & Domino regulariter militarent. Illi verò contrà stomachando responderunt, atque illuc reverti nolle dixerunt. Tunc videntes eos omnes Episcopi & reliqui sacerdotes tantæ stultitiæ esse & taliter Domno Imperatori & omni sanctæ synodo, atque eorum proprio Episcopo inobedientes existere eorumque jussionibus & piis ac justis consiliis re-

sistere, præceperunt afferre regulam sancti Benedicti & in conspectu omnium sententias ejus legere, quibus in omnibus repugnabant, & ad ultimum de humilitatis gradibus sententiam legere jusserunt, de quibus eis nullum tenere visum est, sed magis propriis voluntatibus inservire & eorum libito inservire & insistere. Quam regulam tunc considerantes dixerunt, quoniam ea quæ levi & blando medicamine sanari non possunt, ferro abscindi necesse est. Et præceperunt afferre canones, è quibus in præsentia omnium in plenaria synodo relecta est sententia Concilii Chalcedonensis de Clericis qui præsunt ptochiis vel monasteriis, capitulum VIII. continens hæc: *Clerici qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monasteriis & basilicis martyrum, sub Episcoporum qui in una quaque civitate sunt secundùm sanctorum patrum traditiones potestate permaneant, neque per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subiciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.* Perlecta autem hac sententia, iterum interrogati sunt si adhuc essent ita inobedientes ut priùs. Illi verò in eadem pertinacia permanentes, tunc judicio omnium Episcoporum & universalis sancti Concilii secundùm hanc sententiam ab omnibus Episcopis & reliquis sacerdotibus excluſi sunt ab omni sacerdotali catalogo & communione, & extorres, si irrevocabiles persisterent, à catholica Ecclesia facti sunt. Tunc ergo ab omnibus Episcopis & reliquis Dei servis sive à generali conventu judicatum est ut reciperet præfatus Aldricus Episcopus suos monachos, & faceret ex eis quicquid ei libitum fuerit, & aliqui ei per manus à sancto Concilio redditi sunt. Et judicatum est ei ab universa sancta synodo quòd legibus evindi-

Concil Chalcedon.

catam habebat ſuam cauſam & præfatum monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus canonicè & legibus conquiſitum, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ futuris temporibus ſuiſque ſucceſſoribus lucratum, & quicquid inde eccleſiaſtico ordine facere & diſponere Domino annuente decreverit, liberam in omnibus habeat poteſtatem faciendi. Idcirco neceſſè fuit ut præfatus Epiſcopus & miniſtri ſuæ ſedis Eccleſiæ hoc evindicatum vel hanc notitiam conſilio & judicio omnium ad prædictam ſynodum convenientium Epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum acciperent; ut ſi poſt hunc diem, quod fieri minimè credimus, de hac cauſa aliqua cauſatio vel repetitio vel quædam calumnia inſtigantibus malevolis hominibus orta fuerit, coram omnibus hæc notitia vel evindicatio declarata appareat, ut quod repetit evindicare non valeat, ſed præſens conſcriptio omni tempore vel notitia firma & ſtabilis permaneat. His præſentibus actum fuit. Drogo Archiepiſcopus & ſenior Capellanus ſubſcripſit. Autcarius Archiepiſcopus ſubſcripſit. Agobardus Archiepiſcopus ſubſcripſit. Bernardus Archiepiſcopus ſubſcripſit. * Bernegarius Narbonenſis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Agiulfus Bituricæ urbis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Notho Arelatenſis Archiepiſcopus ſubſcripſit. Abtadus Genevenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Harinbertus Bajocenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Freculfus Lexovienſis Epiſcopus ſubſcripſit. Theodoricus Cameracenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Erardus Tungrenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Ragenarius Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Eccardus Noviomacenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Ebroinus Pictavienſis Epiſcopus ſubſcripſit. Gundacher Limoticinenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Ionas Aurelianenſis urbis Epiſcopus ſubſcripſit. Moduinus Oſtudunenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Heribaldus Altiſiodorenſis Epiſ-

* Bartholomæus.

copus subscripsit. Adalbertus Tricacensis Episcopus subscripsit. Dodo Andegavensis Episcopus subscripsit. Herchenradus Parisiacæ urbis Episcopus subscripsit. Humbertus humilis Episcopus subscripsit. Fulcarius humilis Episcopus subscripsit. Godofredus Senlitensis Episcopus subscripsit. Favvo Cavilonensis Episcopus subscripsit. Hildi Virdunensis Episcopus subscripsit. Lupus Cadolonensis Episcopus subscripsit. Stephanus humilis Episcopus subscripsit. Vvalafridus Diaconus rogatus recognovi & subscripsi. Data VIII. Idus Septembris anno Christo propitio imperii Domni Hludovici piissimi Augusti XXV. Indictione I. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LI. *DE RESPONSIONE Hludovici Imperatoris & judicio optimatum suorum contra præcepta quæ monachi de monasterio Anisolæ attulerunt coram eo, quando contra Aldricum Episcopum de prædicto monasterio in rationes venerunt.*

QVando Aquisgrani palatio anno imperii Domni Hludovici piissimi Augusti XXV. coram eo & principibus suis tam ecclesiasticis quàm & secularibus in generali conventu querela de monasterio Anisolæ & rebus suis inter Aldricum Cenomanicæ urbis Episcopum & Sigemundum ejusdem monasterii Abbatem agebatur & diligentiùs scrutabatur, atque jam dictus Pontifex inter reliqua instrumenta chartarum & præcepta regalia unum præceptum quod Domnus Karolus facere jussit, sua videlicet propria manu roboratum & anulo suo subter sigillatum, per quod ipse jam dictum monasterium Franconi Episcopo Ecclesiæque sibi commissæ reddidit,

& monachi prædicti Sigemundi quoddam præceptum de electione eorum, ut de semetipsis haberent licentiam eligendi Abbatem, quod dicebant jussu Domni Hludovici piissimi Imperatoris esse conscriptum. Ad quod respondit Domnus Imperator: Si ego hoc præceptum fieri jussi, nesciebam quòd prædictum monasterium de episcopio Cenomanico esset, & ignorabam quòd pater meus illud ibi per suum præceptum redderet. Sed quia vos & pares vestri hoc mihi celastis, & per fraudem & malum ingenium facere suasistis, idcirco ipsum præceptum, quod mihi præcipere fieri dicitis, vestro mendacio infirmatur, quia causa ubi fraus intercedit non valet, sed magis reproba efficitur. Et ideo vestrum præceptum stare non poterit, quia vestro mendacio & vestra fraude funditus destruitur. Si enim nos unam vobis tantùm electionem concessimus, ipsam citò finitam esse cognoscimus, quia Sigemundus, quem vobis Abbatem elegistis, memoratum monasterium sua culpa perdidit, quia nobis inobediens & infidelis extitit. Hæc taliter prædictus Domnus Imperator agens interrogavit cunctos circumstantes quid super hac re eis rectiùs videbatur. Qui respondentes dixerunt tam Episcopi quàm Abbates, sive Comites, & reliqui omnes: Hæc posteriora præcepta, quæ isti monachi afferunt, non possunt destruere anteriora quæ Aldricus Episcopus & Ecclesia sibi commissa habet; sed anterioribus cedendum est, & posteriora, quæ fraude & malo ingenio impetrata fuerunt, infirmantur & stare non possunt, quia actio qua in quibuscunque negotiis fraus interceserit non valebit. Et ut ratione & lege firmentur ea quæ testamur, aliqua ex authenticis nostris vobis testimonia indicantes proferimus. Constitutum est à sanctis patribus & bonis Imperatoribus & lege decretum ut quicquid falsa petitio à principe obtinuerit, quia fraus inter-

venit, non valebit. Item alibi : *Quæcunque contra jus conscripta fuerint non valebunt, quocunque modo fuerint impetrata.* Item alibi : *Qui falsa Principum præcepta detulerint, puniantur.* Item alibi : *Dolus malus est cùm aliter agitur, aliud simulatur.* Item alibi : *Qui dolum vel metum adhibuit ut res ad alium transiret, de doli actione tenebitur.* Item alibi : *Dolus malus est si per falsitatem voluerit quis priùs definita convellere.* Item alibi : *Redintegrandnm est à præsentibus judicibus & in ejus unde abcessit potestate revocandum quod quacunque conditione temporis aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum timore faciente deperierit.* Item alibi : *Quicquid vera seu falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus intercessit, non valebit.* Magna fraus fuit, quoniam monachi prædicti memoratum monasterium de jure Cenomanicæ sedis Ecclesiæ esse sciebant, quia non sunt adhuc xxx. anni quòd à Pontificibus memoratæ sedis possessum est ; & hæc celantes, vobisque mentientes, præcepta sibi sine consensu prædictæ sedis Pontificis, cui justè debetur, facere suadebant. Et hoc justum esset, ut si aliquis laicorum hoc feciisset, ut magnum detrimentum sustineret ; sed & pro certo judicaretur illi ut capitali sententia puniretur. Sed quia non laici sed jam dicti monachi hoc fecerunt, dignum est ut ita coërceantur ne alii monachi deinceps talia agere præsumant. Propterea nonnulli præfati monasterii monachi cum Sigemundo prædicto eorum Abbate exilio damnati sunt. Et sic confirmatum est sæpedictum monasterium Aldrico Episcopo & ejus episcopio, sicut in ejus notum est præceptis & aliis monumentis chartarum continetur insertum.

Paul. lib. 1. sent. tit. 9.

L. un. Cod. Theodos. de dolo malo in interpr.

LII. *MEMORIALE QVALITER Aniſolæ monaſterium à jure Cenomanicæ matris Eccleſiæ poſt obitum Hludovici piiſſimi Imperatoris alienatum eſt.*

SI quis noſſe deſiderat qualiter monaſterium Aniſolæ unà cum rebus ſuis de jure Cenomanicæ matris Eccleſiæ poſt obitum Hludovici ſecundi Francorum Imperatoris elapſum eſt, in hoc memoriale breviter comprehenſum aliquid invenire poterit. Defuncto præſcripto Domno Hludovico piiſſimo Auguſto anno incarnationis dominicæ DCCCXL. magna ſeditio orta eſt in imperio ſuo. Inter cetera autem mala ſurrexit quædam tyrannica poteſtas in pago Cenomanico quæ reſiſtere nitebatur Karolo filio ejus, cui prædictus Imperator inter ceteras regiones Neuſtriam dederat, & ſuos fideles valde infeſtabat. Præfatæ ergo tyrannicæ poteſtati ſe conjunxit Sigemundus, qui dudum de præfatæ Aniſolæ monaſterio Abbas fuerat, & Aldricus Eccleſiæ Cenomanicæ Epiſcopus, qui illud monaſterium unà cum rebus ſuis tunc tenuerat, fideliter Karolo ſeniori ſuo adhærebat, & licèt memorata tyrannica poteſtas eum ad ſe ſæpiſſime vocaret, & firmitatem ei facere vellent qui eam exercebant qualiter ipſe quæreret ut diebus vitæ illorum ſuos honores non perderet nec imminutos haberet, ſed majores & qualeſcunque in illa regione peteret adipiſceretur, ſi ſe illis conjungeret. Sed ille propter hæc omnia propoſita à prædicto ſeniore ſuo ſe non ſubſtraxit; ſed inconvulsè fidelis & pro viribus adjutor illi extitit, & propter illum omnia ſua dimiſit, & eum ſecutus eſt per omnia. Ceſſante verò jam dicta ſeditione, cepit Karolus Rex prædictus conſilium ut memoratos tyrannos aut à jam dictis finibus eiceret,

aut eos sibi fideles faceret. ad quos misit optimates suos, vocans eos ad se. Quibus responderunt: Nec ad illum veniemus, nec illi fideles erimus, nisi nobis convictis concedat omnibus vitam & membra & tales honores quales modò tenemus, quocunque modo eos habeamus, inter quos præfatum Sigemundum & monasterium Anisolæ cum rebus suis comprehenderit. Videns Domnus Karolus præfatus Rex, propter alias seditiones quæ undique grassabantur, sine magno discrimine aliter tunc non posse fieri, consensit petitionibus eorum, & inter reliquos Sigemundo concessit memoratum monasterium habere, & prædicto Aldrico & suæ sedis Ecclesiæ firmiter promisit illud citò redditurum: & tali occasione memoratum monasterium alienatum est tunc à jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ, non legibus evindicatum, sed tyrannicè alienatum.

LIII. Vertente autem tempore, & prædicto Sigemundo ad memoratum Regem, Domnum videlicet Karolum filium Hludovici Imperatoris, minimè veniente, & facto maximo prælio in pago Altisidiorense inter Karolum & Hlotharium, in quo à Domino Deo & salvatore nostro data est jam dicto Karolo victoria, & eo per partes Cenomanicas remeante, nec tunc memorato Sigemundo ad eum veniente, redditur Kal. Augusti in villa cujus vocabulum est Bona super fluvium Liz in pago Cenomanico à præscripto Domno Karolo legibus præfato Aldrico Episcopo per judicium multorum nobilium & sapientium virorum prædictum Anisolæ monasterium cum omnibus ad se pertinentibus; eique ibi Missi boni & strenui dati sunt qui eum & Cenomanicam matrem sibi commissam Ecclesiam legibus revestirent, & plenam ei atque legalem vestituram ex eo futuris temporibus legaliter tenendam facerent. Quod & supradicto prætextu III.

Nonas jamdicti mensis factum esse liquet. Et sic falsitas subditur veritati, atque injustè alienata justè restituuntur; quæ & hactenus à præfato Episcopo & à suæ sedis Ecclesiæ ministris legibus possidentur, & canonicè atque regulariter gubernantur.

LIV. *EXEMPLAR EPISTOLÆ formatæ quam Drogo Archicapellanus & urbis Mediomatricæ Archiepiscopus Landramno Turonicæ urbis Archiepiscopo canonicè misit ut Aldricum prædictæ urbis Mediomatricæ Cardinalem Presbyterum atque ejusdem urbis Primicerium suo permissu & jussu Domni Hludovici piissimi Imperatoris Episcopum Cenomanicæ matris Ecclesiæ ordinaret, sicut in ea habetur insertum. Talis enim est prologus prædictæ epistolæ venerabili Landramno Archiepiscopo.*

VEnerabili in Christo fratri & coëpiscopo Landramno Archiepiscopo Drogo in Domino salutem. Auditu comperi quòd Domnus Imperator concessisset Aldrico Presbytero consecrationis nostræ, qui etiam & noster tonsus doctus & Clericus fuit, episcopium Cenomanicæ urbis. Sed ille postea ad nos mittens petiit, sicut debuit, ut ei & ordinatoribus suis tibi atque suffraganeis tuis ad episcopatus culmen ordinandi assensum præbuissem & licentiam tribuissem. Cujus petitioni ita consensi, ut si ipsum per Dei voluntatem & Domni Imperatoris dignum & utilem sanctæ Dei Ecclesiæ ad hoc officium inveneris, & ita decreveris, quia ipse apud nos probos mores ostendit, licentiam à nobis concessantibus id perficiendi atque ipsum consecrandi

habere cognoscas. Oro te valere & omnes fratres, atque memor sis mei in sacris orationibus caritatis tuæ.

LV. *EXEMPLAR FORMATÆ epistolæ quam Drogo Archicapellanus & Mediomatricæ urbis Archiepiscopus Aldrico prædictæ Mediomatricæ urbis Cardinali Presbytero atque ejusdem urbis Primicerio canonicè misit, ut suo consensu & Domni Hludovici piissimi Imperatoris jussu Cenomanicæ matris Ecclesiæ à suo Archiepiscopo & reliquis comprovincialibus Episcopus ordinaretur, ideo quia populus eum sibi ordinari Episcopum petierat, & ad eum epistolam pro hoc direxerat, ut suo adminiculo & permissu antedictus Aldricus eorum atque jam dictæ Ecclesiæ Episcopus ordinaretur, canonicè eis direxit epistolam hunc modum continentem.*

Dilecto filio Aldrico * vocato Episcopo Drogo indignus Archiepiscopus in Christo sempiternam salutem. Cognoscat dilectio tua mihi placere ea quæ tibi divina largitio honoris conferre per imperialem administrationem dignata est. Sed dilectio tua, ut debuit, ad me misit ut tibi epistolam misissem ad Metropolitanum tuum conscriptam ut ei licentiam tribuissem te ordinandi. Nunc verò, quamquam decentius atque honestius fuisset mihi & tibi ut scripto à te directo iterum scriptis respondissem, tamen ne fortè occasio per me differentem donum tibi divinitus, ut credo, concessum aliquod tibi inferret impedimentum, caritate fretus feci ut petisti. Vnde duas tibi misi epistolas; quarum una ad Me-

* Vide Notas ad Capitularia pag. 1162.

tropolitanum tuum est conscripta juxta petitionem tuam, ei retribuendo licentiam; altera verò ad te, ut & tu cognoscas licentiam à nobis tibi attributam & nos potiùs in augmento honoris tui gaudere quàm ullo modò injuriam tibi aliquam inferre voluisse. Vale semper in Domino, & confortare, memor semper nostri, & fidem quam semper erga nos jure servasti inconvulsam deinceps per caritatem tuam esse rogamus. Iterumque vale.

LVI. *SVMMA DE POLECTICIS vel plenaris fratrum Cenomanica in urbe Dei servientium, de rebus quas Franco senior & Aldricus eorum Episcopi eis dederunt & testamentis atque præceptis regalibus confirmaverunt.*

DEbent homines fratrum in summa de Vmericivini modios CCCCII. de pastione vini modios CCLXXI. de hostilense argenti solidos CXLIX. Et debentur VII. multones de pascuario cum lana LXVI. sogales XLII. Et debentur II. & de laudatico solidi V. Et debentur X. de carnatico arietes LV. sine lana de lignario solidi XXVI. & debentur IX. de sensu sol. CI. de inferenda & de postiurno sive de sensatico sol. CLXXX. & debentur inde de pastione inter frumentum & sigale modii XXXIIII. & sextaria IX. sufuso, de avena modii CCCCXLIIII. axilios ad alvimannum IIII. L. & omni anno scudulas I. CCCC. L.

LVII.

LVII. *DE EIECTIONE ALDRICI Cenomanicæ urbis Episcopi, & de invasione atque vastatione Cenomanicæ matris Ecclesiæ unà cum rerum.*

DEcedente Domno Hludovico Francorum Imperatore secundo, filio videlicet Karoli magni Imperatoris, anno incarnationis dominicæ DCCCXL. Indictione III. anno siquidem imperii sui XXVII. surrexit quædam tyrannica pravitas, inter cetera mala, inter Ligerim & Sequanam, & maximè in pago Cenomanico, in quo Aldricus tunc octavum annum in episcopatus dignitate fulgebat. Et licèt prædictus Imperator inter tres filios suos regna sua divideret, id est, inter Hlotharium & Hludovicum atque Karolum, Hlotharium in media Francia, Hludovicum verò in * Hostria, & Karolum in Neustria & Aquitania collocaret, cetera verò regna & ducatus inter eos, sicut in annalibus eorum continetur, divisa consensu principum suorum partivit. Præfatum autem Pontificem memorato Karolo filio suo minori per manus commendavit. Cui jam dictus Pontifex Aldricus fidem servans debitam, ab infidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & suis à præfata tyrannica potestate in supradicto anno à præscripto episcopio & à sua sede ejectus est; & propterea multa quæ in ecclesiasticis & aliis rebus pro amore Dei facere cœperat, imperfecta remanserunt. Nam penè prædictum episcopium tunc vastatum est & quasi ad nihilum redactum. Habebat enim cœptum claustrum Canonicorum & matrem Ecclesiam in media civitate à fundamento unà cum suis porticibus & paradisum inchoatum, & maximam partem ex ea factam, similiter & ædificia monasteriorum quinque, unà cum claustris & ceteris eorum. Habebat quoque ad

* Austria.

utilitatem ejusdem Ecclesiæ fulciendam & ad paupe-
res recreandos congregatos greges jumentorum una
cum amissariis ampliùs quam octoginta, vaccarum
& ovium atque caprarum sive porcorum ampliùs
quam ducenta, annonam & fœnum ac vinum tam
ad opus congregationum hospitumque ac pauperum
quàm & ad sibi Ecclesiæque sibi commissæ servien-
tium opus sufficienter. Sed quid ampliùs dicam?
Ita habebat fundatum tam in ecclesiasticis quàm &
in aliis rebus prædictum episcopium & res sibi com-
missas qualiter non fuerunt à diebus antiquis, vel
à tempore quo alicujus ..... hominis memoria re-
tinetur. Sed hæc & reliqua bona innumerabilia a
prædictis tyrannis, sive hospitalia septem quæ ad
pauperes & hospites recipiendos & recreandos fe-
cerat, funditus vastata & diruta sunt. Propter ha
verò insidias & alias multas hæc & alia bona in-
numerabilia quæ facere voluit & cœpit in suo epis-
copio non apparent, quæ à Domino illis requirantur
à quibus hæc subversa & vastata atque prohibita
sunt, & non ab illo, qui hæc agere & adimplere vo-
luit & prohibitus atque dejectus dimisit. Præscripti
ergo tyranni de genere Herivei & Vvidonis supe-
riorum tyrannorum remanserunt.

LVIII. *SYNODVS HABITA*
ab Aldrico in urbe Cenomanica.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Al-
dricus indignus Cenomanicæ matris Eccleſiæ
Episcopus omnibus nostræ curæ commissis sacris
ordinibus & cunctis fidelibus salutem & gloriam
sempiternam. Cùm in Dei nomine anno incarnatio-
nis dominicæ DCCCXL. Indictione III. & anno
imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris
XXVII. anno verò octavo ordinationis prædicti

Aldrici Episcopi, quarto videlicet Iduum Maiarum die, synodum omnium sacerdotum ac Levitarum seu reliquorum servorum Dei Cenomanica in urbe prædictus Pontifex coadunaret, post allocutionem & admonitionem sive inquisitionem eorum, cœpit jam dictus Aldricus Episcopus unà cum eis, illisque deprecantibus, tractare quid officii unusquisque pro suis confratribus tam pro vivis quàm & pro solutis debitæ mortis diligenter ageret, & quid pro præfixo Pontifice & grege utriusque ordinis sibi commisso fideliter adimpleret. Qua de re hoc instinctu divino pariter considerantes tractavimus, simulque inter nos bono animo & pura voluntate decrevimus, ut dum [advixerit,] unusquisque nostri ordinis sacerdos pro præscripto Domno Aldrico Episcopo & pro populo sibi commisso in quarta feria unà cum letania & oblationibus Missam decantet, similiter & sexta feria faciat; & qui hoc facere non poterit, quinquaginta psalmos decantet, orantes & supplicantes Dominum cæli ut Deus omnipotens præfixo nostro Pontifici secundùm suam voluntatem hanc tribuat degere vitam, & quando ei placuerit, finisque hujus vitæ advenerit, cælestis janua ei pateat, & locus sanctorum consortii nobis deprecantibus detur. Amen. Similiter & præfatus Pontifex pro nobis omnibus aut per se aut per aliquem à se commissum est pollicitus agere. Insuper hæc tractantes in præscripto Iduum Maiarum die & in jam dicta synodo inter nos decrevimus ut unusquisque nostrum, dum advixerit, pro suis confratribus in anno duodecim cantet Missas cum oblationibus & reliquis orationibus, & quandocunque nostrum unusquisque [decesserit,] Decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra, per singula tempora, synodo deferat, & unusquisque nostrum pro illis Missas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis orationibus & vigiliam

cum novem psalmis & totidem lectionibus & responsoriis, unà cum matutinalem synaxim fideliter pro defunctis fratribus peragat, & sic hoc faciat sicut vult pro se fieri quando hoc idem ei advenerit, & sicut ante tribunal districti judicis rationem ex hoc reddere voluerit. quod hic coram Deo, & coram nostro Pontifice & coram nobis omnibus se facere sponte promisit. Tribuat Dominus omnipotens ut sic inde faciamus ut non damnationem sed plenam retributionem ex his à Domino Deo nostro percipere valeamus, & vitam habere sempiternam valeamus, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto vivit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

LIX. Hæc est Missa quæ pro Domno Episcopo & pro omnibus sibi commissis in unaquaque hebdomada, id est, quarta & sexta feria, unà cum letania adimpleri debetur; & post istam subsequitur illa quam pro nobis in invicem canere debemus; & post illam subsequitur illa quam pro fratribus nostris defunctis cantare debemus.

MISSA QVOTIDIANA. V. *Intret oratio mea.*

SAnctæ Dei genitricis Mariæ ac beatorum Apostolorum sive martyrum tuorum Gervasii & Prothasii atque sancti Stephani simulque reliquorum martyrum & confessorum virginumque atque omnium sanctorum tuorum assiduis intercessionibus quæsumus, salvator mundi, Pontificem nostrum Aldricum misericorditer protege, pariterque ei familiaritate atque consanguinitate conjunctos, & omnes sibi commissos utriusque ordinis viros & feminas ab omni pravitate defende, & secundùm tuam voluntatem eis vivere tribue, omnemque populum Christianum misericorditer custodi, & animabus famu-

lorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium requiem tribue benignus sempiternam, & sanctorum tuorum coetibus consociare digneris propitius Per Christum &c. *Epistola ad COLOSSENSES.* Fratres, non cessamus pro vobis orantes & postulantes. ℟. Domine exaudi. V. Ne avertas. *Evangelium secundùm Iohannem.* In illo tempore, sublevatis Iesus oculis in cælum dixit: Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionẽ. Pater juste, mundus te non cognovit, Ego autem novi te, & hi cognoverunt quia tu me misisti & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis. *Offert.* Exaudi Deus. *Secreta.* Oblationis hujus, Domine, placare muneribus, & intercedentibus omnibus sanctis tuis protege Pontificem nostrum Aldricum & omnes sibi commissos commissasque, atque omnem populum Christianum à cunctis defende periculis, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium sibi commissorum commissarumque atque cunctorum cunctarumque in Christo quiescentium per hæc sancta sacrificia remissionem omnium tribue peccatorum, & vitam habere concede sempiternam. *Præfatio.* Verè dignum &c. & tuam clementiam profusis precibus implorare, intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, sanctisque martyribus tuis Gervasio & Prothasio, sive sancto Stephano, & omnibus sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam Pontifex noster Aldricus consequi mereatur, & eos easque quos & quas ei cura regiminis consociasti, ac familiaritate & consanguinate junxisti, & omnem populum Christianum angelorum omnium sanctorum tuorum præsidiis tuere, & animas famu-

lorum famularumque tuarum omnium sibi commis-
sorum & commissarum atque cunctorum cunctarum-
que in Christo quiescentium ut in pacis ac lucis re-
gione constituas deprecamur. Per Christum Domi-
num nostrum. *Infra actionem.* Hanc igitur oblatio-
nem quam tibi pro Pontifice nostro Aldrico atque
grege sibi commisso & propinquitate ac familiari-
tate junctis ei atque pro salute cuncti populi Chri-
stiani suppliciter immolamus quæsumus, Domine,
ut benignus accipias, & tua pietate concedas, ut &
illis proficiat ad salutem hujus pietatis affectus, &
animabus famulorum famularumque tuarum omnium
sibi commissorum & commissarum atque cunctorum
cunctarumque in Christo quiescentium impetret be-
titudinem sempiternam, diesque nostros. *Ad com-
munionem.* Amen dico vobis. *Ad complendum.* Pu-
rificet, quæsumus, salvator mundi, Pontificem no-
strum Aldricum divini sacramenti libatio, & glo-
riosa sanctæ Dei genitricis Mariæ atque omnium
sanctorum oratio, & gregi sibi commissoac familia-
ritate & consanguinitate junctis ei & omni populo
Christiano misericordiam tuam ubique prætende,
& animabus famulorum famularumque tuarum om-
nium sibi commissorum & commissarum atque cun-
ctorum cunctarumque in Christo quiescentium re-
missionem omnium tribue peccatorum & vitam ha-
bere concede sempiternam per &c. *Alia.*

Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ Dei genitri-
cis Mariæ & omnium sanctorum tuorum pia & assi-
dua intercessione Pontificem nostrum Aldricum ubi-
que misericorditer protege & ab omnibus adversi-
tatibus corporis & animæ tua potentia defende,
commissumque sibi gregem cunctum ad regendum
custodi, & omnem populum Christianum conserva,
atque illi & omnibus in Christo quiescentibus re-
quiem tribue sempiternam, per &c.

ITEM ALIA MISSA *quam mutuò prædicti ſacerdotes inter ſe cantare debent.*

DEus, qui caritatis dona per gratiam ſancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudiſti, da famulis & famulabus tuis diverſorum cœnobiorum & titulorum atque locorum tam ſacerdotum & Levitarum quàm & reliquorum fidelium tuorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque his in titulis ſcripta continentur vocabula, fratribus ac ſororibus & familiaribus noſtris ſalutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita ſunt tota dilectione perficiant, per Dominum. *Lectio Hieremiæ Prophetæ.* Si iniquitates noſtræ contenderint contra nos, Domine, libera nos, quæſumus, fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ. Tibi peccavimus, expectatio Iſraël es ſalvator noſter, in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum ſuper nos invocatum eſt. Ne derelinquas nos, Domine Deus noſter. *Secundùm Matthæum.* In illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit &c. *Secreta.* Munera, quæſumus Domine, quæ pro noſtra & omnium, quorum quarumque memoriam recolimus, & quorum quarumque his in dipticiis nomina continentur inſerta, redemptione oculis tuis tuæ offerimus majeſtati placatus ſuſcipe, & ad perpetuam nobis omnibus tribue pervenire ſalutem, per.

Omnipotens æterne Deus, imploramus tuæ majeſtatem miſericordiæ ut nobis & omnibus quorum quarumque recolimus memoriam, & quorum quarumque nomina his in dipticiis continentur inſerta,

veniam largiri digneris peccatorum, ut ab omnibus inimici vinculis liberati, tuis toto corde inhæreamus mandatis, & te solum semper tota virtute diligamus, & ad tuæ quandoque beatitudinis visionem pervenire mereamur, per Christum.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi pro peccatis atque offensionibus nostris, & omnium quorum quarumque agimus memoriam, & quorum quarumque hic continentur inserta vocabula, offerimus, ut cunctorum delictorum remissionem consequi mereamur, quæsumus.

Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem pro quorum quarumque dilectione hæc tuæ obtulimus majestati, per Christum.

ALIA.

Da famulis & famulabus tuis, quæsumus, Domine, omnibus quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticis continentur conscripta, seu etiam ceteris fidelibus utriusque sexus, in tua fide & sinceritate constantiam, ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur, per Christum.

Item Missa pro defunctis fratribus & sororibus nostris.

DEus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticis conscripta esse noscuntur, preces nostras, & lucis eis lætitiæque regionem in sanctorum tuorum societate concede, per.

Alia.

Deus, cui proprium est misereri & preces exau-

dire ſupplicantium, propitiare animabus famulorum famularumque tuarum diverſorum cœnobiorum & titulorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque hic aſſignata continentur vocabula, ut te miſerante à vinculis peccatorum abſoluti, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur, per.

Ad Theſſalonicenſes.

Fratres, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & ceteri qui &c.

Secundùm Iohannem.

In illo tempore, dixit Ieſus turbis Iudæorum: Amen amen dico vobis quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent &c.

Secreta.

His quæſumus, Domine, placatus muneribus intende, & quod ad laudem tui nominis ſupplicantes offerimus, ad indulgentiam omnium quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina hic continentur inſerta, ſive cunctorum fidelium proficiat defunctorum, per.

Deus, qui nobis in Chriſto unigenito filio tuo Domino noſtro ſpem beatæ reſurrectionis concedis, præſta quæſumus ut animæ pro quibus hoc ſacrificium redemptionis noſtræ tuæ offerimus majeſtati ad beatæ reſurrectionis requiem te miſerante cum ſanctis tuis pervenire mereantur, per Chriſtum.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro animabus omnium quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis conſcripta eſſe noſcuntur, ſeu cunctorum cunctarumque fidelium defunctorum defunctarumque, quæſumus Domine propitiatus accipias, & miſerationum largitate tuarum concedas ut quicquid terrena converſatione contraxerunt, his ſacrificiis emun-

detur, ac vinculis mortis absolutæ, transitum mereantur ad vitam; dieſque noſtros &c.

Propitiare, Domine, quæſumus omnibus in Chriſto quieſcentibus, & animæ famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticis conſcripta eſſe noſcuntur, his purgatæ ſacrificiis indulgentiam pariter & requiem capiant ſempiternam, per.

Alia.

Deus cui poſſibile eſt omnes homines ſine difficultate ſalvare, tantò benignus animabus famulorum famularumque tuarum diverſorum cœnobiorum & titulorum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque hic aſſignata continentur vocabula, miſericordiam concede perpetuam quantò eos ad filii tui Domini noſtri pertinere gratiam tribuiſti, per.

Alia.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium, præſta propitius ut animæ famulorum famularumque tuarum quorum quarumque memoriam agimus, & quorum quarumque nomina his in dipticiis continentur inſerta, à noſtræ mortalitatis tenebris abſolutæ in perpetua cum ſanctis tuis luce lætentur per Chriſtum.

LX. *EXEMPLAR PRECARIÆ de villa Tridente, quam Aldricus Epiſcopus Bavoni Vaſſo dominico fecit tempore Hludovici piiſſimi Auguſti.*

DOmino ſancto ac venerabili baſilicæ ſanctorum Gervaſii & Prothaſii martyrum quæ eſt conſtructa infra urbis Cenomanicæ civitatem, quam Aldricus Epiſcopus in dominatione & regimine ha-

bere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti basilica. Ego enim in Dei nomine Bavo, dum & mea fuit petitio & vestra decrevit voluntas, & per permissionem Domni nostri Hludovici glorioſi Imperatoris villas vestras de ratione ipsius basilicæ, cujus vocabula sunt Tridentus & Vintleva, cum omni integritate eorum nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo, tenere & dominare facere debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos XXV. transolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni reditu; & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsas villas perdere non debeam, & ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ omnique tempore firmæ & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publicè anno XVIII. regnante Domno Hludovico glorioſissimo Imperatore IX. Kal. Maias. S. Bavonis Vassi dominici, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Vviddonis S. Vul. S. Hervei. S. Serilonis. S. Berilonis. S. Ebrulfi Vicarii. Hercheus. S. Adalberti Gislarnis. S. Adalgysi. S. Godofridi. S. Iacobi. Deusdet subscripsit. Bobilo Subdiaconus scripsit & subscripsit.

LXI. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici piissimi Imperatoris de villa Tridente, quod fecit prædictus Imperator Cenomanicæ matri Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis Episcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante cle-

mentia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solùm regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Bavo vassallus noster nobis innotuit quòd quandam villam sitam in pago Cenomanico nomine Tridentem de jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas & legitimos census partibus præfatæ matris Ecclesiæ & ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Bavo pertractans casum fragilitatis humanæ, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio à jure præfatæ matris Ecclesiæ alienata fieret, ideoque divino fervens amore, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Tridentem cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmius eidem Ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Bavo fidelis noster memoratam villam

cum omni integritate, sicut illa sub nostræ jure potestatis, quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem præscriptæ Ecclesiæ suæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuum in utilitates & ejusdem Ecclesiæ Episcopi Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico Episcopo & Bavone vassallo nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ sedis Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data IX. Kalend. Maias anno Christo propitio XXV. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LXII. *EXEMPLAR PRECARIÆ de Fraxinedo & sancto Georgio in condita Sagonense vel de aliis villis sancti Gervasii quarum vocabula in ea habentur inserta, quas Vulfingus tenet, quam ei Gauziolenus Episcopus fecit primo anno regni Pipini Regis.*

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sancti Gervasii & Prothasii infra urbis Genomanica civitatem constructæ, ubi Gauziolenus Episcopus præesse videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistentia. Ego enim in Dei nomine Vulfingus, dum & cognitum est qualiter Domnus noster Pipinus glorioſus Rex villas de sancto Georgio, sancto Gervasio, Fraxinedo, Flexobracciale, Aciago vel sancto Georgio cum appendiciis suis, Aloniaco, longa filgaria, Camiaico, Mundarias, ad ipsam Ecclesiam reddere jussit, & postea per verbum Domno nostro Pipino mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella per vestra beneficia ad usus fructuario ordine mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, & pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo pro vestro beneficio mihi licet tenere & dominare. Et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini illam hibernaticam argento libra una ad parte sancto Gervasio aut rectoris Ecclesiarum transolvere faciam: & si negligens aut tardus de ipso censo ad ipso placito fuero, fidem exinde facere debeam, & ipsam rem, dum ego advivo, perdere non debeam, & post meum quo-

que Deo jubente discessum ipsa locella cum eorum soliditate ad se pertinentis vel aspicientis vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos rectores sancti Gervasii sive ulla judicis consignatione aut heredum meorum contradictione in vestram faciatis revocare dominationem & potestatem ad faciendum quod volueritis, & hæc precaria, ac si semper per quinquiennium renovata fuisset, firma permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno primo regni Domni nostri Pipini glorioſi Regis. Signum Vulfingo, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulcoberti. S. Sichardi. S. Vildeni. Salomano rogatus subscripsit. Aiglibertus subscripsit. S. Vuamafredi. S. Giboleni. Bertobodus subscripsit. Beraldus scripsit & subscripsit.

Anteriorum Episcoporum authentica, & precariæ infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris Ecclesiæ conservantur, & propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXIII. *EXEMPLAR PRECARIÆ quam Franco Episcopus Germundo fecit de villa Fraxinedo, Flexobrachiale, Aciaco, sancto Georgio in condita Sagonense, cum appendiciis suis, & Alauniaco, seu longua filcaria, & Camiaco, atque Mundarias, cum omnibus ad se pertinentibus.*

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sancti Gervasii & Prothasii martyris infra urbis Cenomanicæ civitatem constructæ, ubi Franco Episcopus præesse videtur, ejusque congregationi ex ipsa Ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Germundus, dum & cognitum est qualiter Domnus Ka-

rolus glorioſus Rex villas ſancti Gervaſii, Fraxinedo, Flexobrachiale, Aciaco, vel ſancto Georgio cum appendiciis ſuis, Aloniaco, Longua ſilcaria, Camiaco, Mundarias, ad ipſam Eccleſiam reddere juſſit, & poſtea per verbum Domno noſtro Karolo glorioſo Regi mea fuit petitio, & veſtra dectevit voluntas, ut ipſa locella pro veſtro beneficio ad uſus fructuario ordine mihi tenere permiſiſtis, id eſt, cum manſis, caſis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, ſilvis, pratis, & paſcuis, & quantum ad ipſa loca aſpectum eſſe videtur, dum ego advivo, pro veſtro beneficio mihi liceat tenere & dominari; & ſpondimus vobis ut pro indicio ipſius ſancti Gervaſii vel veſtro non ſit annis ſingulis ad feſtivitatem ſancti Martini illa hibernatica argenti libra una vobis ad partem ſancti Gervaſii & rectoris Eccleſiarum tranſſolvere faciam, aut decimam aut nonam ex omni reditu plenitter perſolvam; & ſi negligens aut tardus exinde apparuero ad prædictum placitum, fidem exinde facere debeam, & ipſas res, dum ego advivo perdere non debeam, & poſt meum quoque Deo jubente diſceſſum ipſa locella cum eorum ſoliditate ad ſe pertinentis vel aſpicientis, vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectoris ſancti Gervaſii ſine ullius judicis conſignatione aut heredum meorum contradictione in veſtram faciatis revocare dominationem & poteſtatem ad faciendum quod volueritis, & hæc precaria, ac ſi ſemper per quinquennium renovata fuiſſet, firma & ſtabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXI. regnante Domno noſtro Karolo glorioſo Rege, in menſe Martio. S. Germundi, qui hanc precariam fieri rogavit. S. Fulcoberti. S. Sichardi. S. Vuialdoni. Haifredus ſubſcripſit. Salomon rogatus

rus subscripsit. Aiglibertus subscripsit. Vuanafredus Gibolonus subscripsit. Bertobodus subscripsit. Bavo subscripsit. Ebtardus subscripsit. S. Vultadi. Salaardus subscripsit. Vualtarius subscripsit. S. Frumaldi. S. Leuberti. Beraldus scripsit & subscripsit.

LXIV. *EXEMPLAR PRECARIÆ de villa quæ vocatur Mansiones in conditæ Diablentica, quam Merolus Episcopus Vuiliberto fecit.*

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sancti Vincentii martyris quæ est constructa extra muros Cenomanis civitatis, quam Merolus Episcopus in dominatione & in regimine habere videtur. Ego enim in Dei nomine Vuilibertus, dum & mea fuit petitio & vestra voluntas decrevit, & per jussionem Domni nostri Karoli glorioſi Regis villa vestra de ratione monasterii sancti Vincentii quod situm est extra urbem, cujus vocabulum est ad Mansiones, cum omni integritate & appendiciis in vicaria Diablentica nobis ad usitandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari facere debeam, & post meum quoque Domino jubente discessum partibus sancti Vincentii monasterii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos decem transsolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni reditu; & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem facere exinde debeam, & jam dictam villam perdere non debeam, sed hæc precaria, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, firma & stabilis permaneat. Actum Cenomanis civitate in anno XXXII. regnante Domno nostro

Karolo glorioso Rege in mense Aprili. S. Vuiliberti qui hanc precariam firmare ac fieri rogavit. S. Maginardi. S. Barivei. S. Girberti. S. Enigrimi. S. Adalberti. Bavo suscripsit. Gedeon subscripsit. Ebtardus subscripsit. S. Raginfredi. Iacob subscripsit. S. Bartaldi. S. Amalberti. S. Ioachim. S. Bosleni. Versinus Diaconus scripsit & subscripsit.

LXV. *EXEMPLAR PRECARIÆ quam Merolus Episcopus Vuiliberto de cella sancti Frambaudi fecit.*

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sanctorum martyrum Gervasii & Prothasii quæ est constructa infra urbem Cenomanis civitatem, quam Merolus Episcopus in dominatione, & in regimine habere videtur, ejusque congregationi in ipsa basilica consistenti. Ego enim in Dei nomine Vviliberti dum & mea fuit petitio & vestra decrevit voluntas, & per jussionem Domini nostri Karoli glorioſi Regis monasteriolum vestrum de ratione prædictæ basilicæ, cujus vocabulum est ad cellam sancti Frambaldi, in vicaria Gabronense, cum omni integritate sua vel appendiciis nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari facere debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum partibus sancti Gervasii revertere faciatis. Et convenit nobis annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam de argento solidos sex transsolvere debeam; & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsum monasteriolum perdere non debeam, sed hæ precariæ uno tenore conscriptæ omnique tempore firmæ & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate anno XXXII. regnante Domno Karolo glorioſissimo Rege, IX. Kal. Maias. S. Vvi

liberti, qui hanc precariam fieri & firmare rogavit. S. Gedeonis. S. Gripponis. S. Gauzberti. S. Ragemberti. S. Audulfi. S. Gheldulfi. S. Brucleni. Ionas subscripsit. S. Vvaran. S. Gulfaldi. Bavo Diaconus scripsit & subscripsit.

LXVI. *EXEMPLAR PRECARIÆ quam Merolus Episcopus Vviliberto fecit de Belfaido in canonico, & de Senmuro, & Ingranda, & Vivillare, & Fontanas, & Monasteriolum, & Bragolium, cum eorum appendiciis.*

DOmino sancto & venerabili basilicæ sanctorum Gervasii & Prothasii martyrum infra urbem Cenomanis civitatem constructæ, ubi Merolus Episcopus præesse videtur, ejusque congregationi in ipsa Ecclesia consistenti. Ego enim in Dei nomine Vvilibertus, dum & cognitum est qualiter Domnus Karolus glorioſus Rex villam sancti Gervasii Belfaidum vicum publicum cum suis appendiciis, & Senmurum, & Ingrandam, & Vivillare, sive Fontanas, & Monasteriolum, & Bragolium, sive Auciacum vicum publicum, cum omni integritate vel eorum appendiciis ad jam dictam Ecclesiam reddere jussit, & postea per verbum Domno nostro Karolo glorioso Regi fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut ipsa locella per vestrum beneficium ad usum fructuarium ordinem mihi tenere permisistis, id est, cum mansis, casis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, terris, vineis, silvis, pratis, & pascuis, vel quantum ad ipsa loca aspectum esse videtur, dum ego advivo per vestrum beneficium mihi liceat tenere & dominari. Et spondimus vobis ut pro indicio ipsius sancti Gervasii vel vestro non

sit annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti libram unam & dimidiam vobis ad partem sancti Gervasii & rectoris Ecclesiarum transsolvere faciam, aut decimam & nonam ex omni reditu pleniter persolvam; & si negligens aut tardus exinde apparuero ad prædictum placitum, fidem exinde facere debeam, & ipsas res, dum ego advivo, perdere non debeam, & post meum quoque Deo jubente discessum ipsa locella cum omni soliditate ad se pertinentes vel aspicientes, vel quicquid ibidem attrahere vel immeliorare potuero, vel quantumcunque tunc temporis ibidem inventum fuerit, vos aut rectores sancti Gervasii sine ullius judicis consignatione aut heredum meorum contradictione in vestram faciatis revocare dominationem & potestatem ad faciendum quod volueritis, & hæ precariæ, ac si semper per quinquiennium renovatæ fuissent, firmæ & stabiles permaneant. Actum Cenomanis civitate publicè anno XXIX. regnante Domno Karolo glorioso Rege in mense Maio. S. Vviliberti, qui hanc precariam fieri & adfirmare rogavit. S. Hervich. S. Adalulfi. S. Osberti. Boso subscripsit. S. Vvedranni. S. Troduini. S. Gehreii. S. Ramestani. Bavo subscripsit. Eptardus subscripsit. Salhardus subscripsit. S. Amalberti. Beraldus subscripsit. S. Pharamundi. Vinneradus Diaconus scripsit & subscripsit.

Anteriorum Episcoporum authentica & precariæ infrascriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris Ecclesiæ conservantur, atque propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXVII. *EXEMPLAR EPISTOLÆ quam Domnus Imperator Hludovicus Imperator Eliſacharo Abbati ſuoque Miſſo miſit, ut beneficia & res in ea ſcriptas Aldrico Epiſcopo vel ſuis Miſſis conſignaret, & ſuum epiſcopium imperiali auctoritate ex eis pleniter reveſtiret.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus Aldrico venerabili Epiſcopo & fideli noſtro ſalutem. Noverit tua induſtria quia miſſus tuus noſtram adiit præſentiam innoteſcens quòd quidam vaſſalli noſtri, Ghermundus, Vulfardus, Berchadus, Bodo & ſocius ſuus, beneficia ex tuo epiſcopio habent quæ olim per precarias inde alienata fuerant. Qua de re volumus ut tu noſtra auctoritate recipias uſque ad noſtram præſentiam, & de noſtra fidelitate magnam curam ſemper habeas, ſicut hactenus te habere cognovimus. Nam memoratus miſſus tuus noſtram deprecatus eſt pietatem ut aliquem Miſſum tibi dederimus qui prædictas res tibi Eccleſiæque tibi commiſſæ conſignaret & veſtituram legitimam faceret. Qua de re Heliſacharo Miſſo noſtro præcepimus ut de ſupradictis beneficiis tibi veſtituram faciat quando illas in partes à nobis directus fuerit. Volumus etiam ut quàm citiùs poteris miſſum tuum bene fidelem ad nos dirigas, qui nos certos faciat qualiter erga vos & reliquos fideles noſtros modò agatur, & quid de illis cauſis factum quas vobis agere præcepimus. Bene vale, & ora pro nobis.

LXVIII. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici piissimi Imperatoris de quibusdam beneficiis vassallorum suorum, id est, Germundi, Vulfardi, Berchadi, Bovonis, & socii ejus, quæ prædictus Imperator reddidit & confirmavit Cenomanicæ matri Ecclesiæ & Aldrico ejusdem Ecclesiæ Episcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si precibus sacerdotum, quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid intimare voluerint, aurem libenter accommodamus, eorumque justas ac rationabiles petitiones ac postulationes ad optatum effectum pervenire facimus, non solùm regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum industriæ quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus accedens ad aures nostræ pietatis retulit nobis de quibusdam beneficiis quæ ante complures annos de jure suæ sedis cum appendiciis eorum fuissent subtracta & ad publicum nostrum redacta quæ modò Ghermundus, Berthadus, Vulfardus, Bodo, & socii ejus vassalli nostri in beneficium data possident, & sic præcedenti tempore de manibus rectorum prædictæ urbis memoratorum vassallorum beneficia cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsa esse. Sed cùm nos ad rei veritatem diligentiùs investigandam fideles Missos nostros Helisacharum venerabilem Abbatem &

Vvidonem Comitem mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cùmque eorundem relatione prædictorum vassallorum beneficia non ad publicum nostrum sed ad jus præfatæ Cenomanicæ Ecclesiæ justè pertinere cognovissemus, complacuit clementiæ nostræ suprascriptorum vassallorum beneficia cum omni integritate, quemadmodum ipsos ea per singula loca à lagitione nostra accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem prædictæ Ecclesiæ suæ reddere, ut perpetuò in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerente atque rogante prædicto venerabili Episcopo hanc nostræ confirmationis atque redditionis præceptionem ei vel ad partem prædictæ urbis fieri jussimus; per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de jamdictis beneficiis vel de his omnibus quæ ad prædictorum vassallorum nostrorum, quibuscunque in locis consistant, beneficia pertinere noscuntur, memorato Aldrico venerabili Episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumant, sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas nostra perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & de anulo nostro jussimus sigillari.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data VIII. Kal. Iulias anno Christo propitio XXII. imperii Domni Hludovici piissimi Imperatoris, Indictione XIII.

Actum Stramiaco supra fluvium Rhodanum in Dei nomine feliciter. Amen.

LXIX. *CONCORDIA BETHTÆ cum monasterio sancti Vincentii.*

DVm cognitum est quòd Bethta Deo sacrata portione aliqua in locella nuncupantia Soliaco, Mansione, villam Bariaco, seu & Briscino, quam filius suus Ermenfredus quondam moriens dereliquit, & ad ipsam legibus obvenit, per vinditionis titulum ad basilicam sancti Vincentii Cenomanis civitate vindicat, & accipit exinde in pretium, quod & bene complacuit atque convenit, hoc est, auri solidos probos, optimos, atque pensantes numero ducentos. Quò veniens venerabilis frater Patuinus Præpositus de ipso monasterio unà cum vinditione ipsa, in privata conlatione ipsa protulit ad relegendum, dum inter se intenderent, (Hi sunt, Berthofridus, Dodo unà cum conjuge sua Eudilane vel Bertholanda cum infantibus suis his nominibus Ademaro & Iohanne) chartam ambagibalem ibidem præsentabant quam Bethta ad ipsos infantes suos fecerat, ubi habebat insertum, dum advivebat, & in partes duas Leogisilo quondam conjuge suo quàm & suam tertiam ad usum tenuerit, & post suum discessum ad jam dictos infantes suos tam illas duas partes quàm & suam tertiam in eorum reciperent dominatione, dum inter se intenderent, mediantibus bonis hominibus ad pacis concordiam visi sunt eos revocasse. Convenit inter ipsos quòd illa quarta parte quam Ermenfredo quondam in Mansiones debitum erat memorati infantes Berthofredo, Dodo unà cum conjuge sua Eodilane vel Bertholanda contra venerabile fratre Patuino Præposito vel ipso monasterio, quantumcunque ibidem habere videntur,

omni tempore habeant evindicatum, & reliquo verò tam in Soliacô quàm in Bariaco seu & in Brisçino quicquid Ermenfredo quondam obvenire debuit, vel quantum per vinditionis titulum memorata Bethta sive jam Noberta ad memorata basilica delegata contra ipso Berthofredo & Dodone unà cum conjuge sua Eodilane necnon & Bertolandane, tam terris, casis, mancipiis, domibus, ædificiis, accolabus, pratis, pascuis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobile & immobile, junctis & subjunctis, vel omni suprapositio, quantumcunque in jam dicta locella Ermenfredo quondam habere debuerat, pars monasterii sancti Vincentii vel ejus rectores contra ipsos homines superiùs commemoratos æquali lance dividere debent. Vnde convenit ut tres epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri & accipere deberent, quod & ita fecerunt, ut nullus contra parem suum de istis convenientiis se remutare non posset; quòd qui hoc facere præsumpserit, partem suam à pare suo amittat, & insuper fisco sociante auri libras decem argenti pondo viginti coactus exolvat, & nec sic quod repetit vindicare non valeat, & has epistolas, quas in invicem bona voluntate fecerunt, cum stipulatione intraposita firmas & inviolabiles omni tempore valeant perdurare. Actum Soliaco in rem ipsam in anno XI. regni Domni Theodorici glorioſi Regis, quod fecit præsens mensis Octobris dies XII. Dodo subscripsit. S. Eodilane conjuge sua. Berthofredus subscripsit. S. Bertolandane germana eorum, qui hanc epistolam fieri rogaverunt. Derriceus Abbas subscripsit. Beoraldus in Dei nomine Abbas subscripsit. Aiglimannus subscripsit. Iohannes subscripsit. Salico subscripsit. Cadolo Sidonianis subscripsit. Bertholaudus subscripsit. S. Vvitdoni. S. Turpaldo. Bavo subscripsit. Landulfus subscripsit. Odricus subscrip-

sit. Caldobertus recognovi & subscripsi.

Anteriorum Episcoporum authentica & precariæ infra scriptarum villarum in archivo Cenomanicæ matris Ecclesiæ conservantur, & propter prolixitatem operis in hac scedula non sunt inserta.

LXX. *PRECARIA DE VILLA Calisamen quam fecit Aldricus Cenomanicæ sedis Episcopus Agberto vasso dominico tempore Hludovici piissimi Augusti.*

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sanctæ Mariæ semper virginis sanctorumque martyrum Gervasii & Prothasii quæ est constructa infra muros Cenomanis civitatis, quam Aldricus Episcopus in dominatione & regimine habere videtur, ejusque congregationi ex ipsa consistenti. Ego enim in Dei nomine Agbertus, dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, villam vestram de ratione ipsius basilicæ, cujus vocabulum est Calisamen, cum omni integritate nobis ad usandum tenere permisistis, in ea verò ratione ut dum ego advivo tenere & dominari debeam, & post meum Deo jubente discessum partibus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii sanctique Prothasii revertere faciatis; & convenit nobis ut annis singulis ad festivitatem sancti Martini hibernaticam argenti solidos XXV. transolvere debeam, aut decimam & nonam pleniter persolvam de omni reditu, & si negligens aut tardus exinde apparuero, fidem exinde facere debeam, & ipsam villam perdere non debeam. Et ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ omni tempore firmæ & stabiles permaneant, manu nostra & aliorum nobilium nostrorum subterfirmandas esse decrevimus. Actum Pictavis civitate publicè anno XXVII. im-

perii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti, IX. Kal. Februarias. S. Agberti qui hanc precariam fieri ac firmare rogavit. S. Ragenarii Comitis palatii. S. Gauzelini manſionarii. S. Ragenaldi Comitis. S. Ramnulfi Comitis palatii. Girbertus Comes ſignavit. S. Vvalfredi Comitis. S. Vvalfredi Comitis. Eberardus Comes ſignavit. Emino Comes ſignavit. Radulfus vaſſus dominicus ſignavit. Gauziolenus vaſſus dominicus ſignavit. Rotgarius vaſſus dominicus ſignavit. Iſaac vaſſus dominicus ſignavit. Immo vaſſus dominicus ſignavit. Vvarnarius Diaconus ſcripſit & ſubſcripſit.

LXXI. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici piiſſimi Imperatoris de villa Caliſamen, quod fecit prædictus Imperator Cenomanicæ matri Eccleſiæ & Aldrico ejuſdem urbis Epiſcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si fidelium noſtrorum juſtas & rationabiles petitiones ac poſtulationes quas pro utilitate & exaltatione ſanctæ Dei Eccleſiæ expoſcunt, ad optatum effectum perducimus, non ſolùm regiam atque imperialem conſuetudinem in hoc exercemus, ſed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus & futuris notum eſſe volumus quia Agbertus Comes & Oſtiarius atque Conſiliarius noſter nobis innotuit quòd quandam villam ſitam in pago Cenomanico nomine Caliſamen de jure Cenomanicæ matris Eccleſiæ per noſtrum beneficium poſſideret, de qua per ſingulos annos nonas & decimas

atque legitimos census partibus præfatæ matris Ecclesiæ & ejusdem Ecclesiæ rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Agbertus pertractans casum fragilitatis humanæ, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio à jure præscriptæ matris Ecclesiæ alienata fieret ; ideoque divino fervens amore, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Calisamen cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ sedis Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis venerabili Episcopo præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmiùs eidem Ecclesiæ ejusque rectoribus possidendam confirmaremus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum perducere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis præceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Agbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem præscriptæ suæ sedis Ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prędictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili Episcopo & Agberto jamdicto fideli nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico Episcopo vel ad partem

jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ sedis Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XVI. Kal. Decembris anno Christo propitio XXVI. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione secunda.

Actum Pictavis civitate publicè in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXII. *EXEMPLAR PRÆCEPTI*

Domni Hludovici piissimi Augusti quod precante Aldrico Episcopo fieri jussit quando ei concessit ut haberet suum œconomum qui pro illo secundùm jussionem suam gereret exteriores curas & regalia servititia, & itinera faceret, & prædictus Pontifex sua in parrochia resideret, & suum ministerium absque impedi-

mento adimplere curaret, & reliqua ſicut in eo continentur inſerta.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si ſacerdotum Dei juſtis & rationabilibus petitionibus aurem libenter accommodamus, eaſque ad optatum effectum perducimus, non ſolùm regiam & imperatoriam exercemus conſuetudinem, ſed etiam eoſdem pro noſtris exceſſibus Domini miſericordiam exorandos devotiores promptioreſque facimus, atque per hoc immenſam Dei miſericordiam faciliùs nobis conciliandam eſſe confidimus. Idcirco notum eſſe volumus omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris præſentibus ſcilicet atque futuris quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis Epiſcopus innotuit celſitudini noſtræ quòd multa ex his quæ in ſua parrochia agere debebat, & ad ſuum miniſterium pertinebat, propterea quòd jam aſſiduè in noſtro ſervitio vel etiam nobiſcum detentus tamdiu commorabatur, neglecta erant tam in prædicatione ſeu confirmatione atque doctrina quàm & in reſtauratione Eccleſiarum, vel pravorum hominum correctione, ſive in aliis atque in aliis Eccleſiæ ſibi commiſſæ utilitatibus, & cleri vel populi neceſſitatibus. Innotuit etiam quòd mater Eccleſia infra prædictam civitatem à multis temporibus conſtructa propter maceriarum imbecillitatem quotidie ad caſum ſe præparabat, quam ideo à novo fundare & in meliorem ſtatum & locum ædificare ſe velle dicebat. Lacrymabili quoque vultu coram nobis & fidelibus noſtris aſſerebat quòd ſi aliter ad ſuum peragendum miniſterium otium à nobis impetrare non poſſet, magis vellet honores ſibi conlatos dimittere quàm clerum & populum ſibi commiſſum negligere, &

propterea in perditionem, quod absit, incidere. Quapropter humiliter deprecatus est nostram clementiam ut liceret ei juxta canonicam auctoritatem habere œconomum qui pro illo exteriores curas gereret, & nostra servitia atque itinera, prout meliùs posset, sua vice faceret, & prædictus Episcopus ad ea quæ Dei sunt intenderet & ad suum ministerium perficiendum certaret. Deprecatus est etiam ut si in proprio clero & in sua parrochia talem œconomum qualem volebat, aut qualem necesse erat, sibique secundùm canonum institutionem per omnia obedientem invenire minimè posset, ut haberet licentiam undecunque & quemcunque de nostris fidelibus vellet tam infra palatium quàm extra palatium sibi Ecclesiæque sibi commissæ eligere adjutorem & defensorem, & quotiescunque necesse fuerit mutare, & meliorem vel utiliorem statuere. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, præscriptis suis petitionibus assensum præbuimus, & postulationes ejus ad effectum usque perduximus. Concedimus quippe memorato Pontifici per has auctoritatis nostræ litteras, quas ei fieri jussimus, concessumque in futuro esse volumus ut præfatus Episcopus quietè, dum voluerit, in sua resideat parrochia, & pro nobis & pro commisso nobis à Deo populo Dominum exoret, suos verò homines cum suo œconomo vel quemcunque, ut dictum est, elegerit, ubicunque nostra fuerit jussio vel necessitas ingruerit dirigat. Præcipientes ergo per hoc nostræ auctoritatis præceptum volumus atque jubemus quòd si jam dictus Episcopus nobis superstes fuerit, ut nullus filiorum aut successorum vel fidelium nostrorum præscripto Pontifici Ecclesiæque sibi commissæ ullam perturbationem aut calumniam ingerere præsumat, aut facere volentibus consentiat, sed mundeburdum vel defensionem pro Dei amore & pro nostra reve-

rentia ei pleniter faciant, ut quietè & pacificè, ut præscriptum est & ei à nobis concessum, in sua Ecclesia absque ullius impedimento ei residere & suum ministerium agere liceat : quatenus memoratum Pontificem pro nobis & pro liberis nostris sive pro stabilitate & pace imperii à nobis Deo commissi attentiùs exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi.

Data XV. Kal. Martias anno Christo propitio XXVII. imperii Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione tertia.

Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXIII. *EXEMPLAR PRÆCEPTI Domni Hludovici piissimi Augusti de villa Bonalla quod fecit prædictus Imperator quando illam reddidit Cenomanicæ matri Ecclesiæ & Aldrico ejusdem Ecclesiæ Episcopo.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina repropitiante clementia Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones & postulationes, quas pro utilitate & exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solùm regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus

sentibus scilicet & futuris notum esse volumus quia Adalbertus Comes & Consiliarius noster nobis innotuit quòd quandam villam sitam in pago Carmicense nomine Bonalla de jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas & legitimos census partibus præfatæ matris Ecclesiæ & ejusdem Ecclesiæ rectoribus persolveret. Qua de re idem Adalbertus pertractans casum humanæ fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio à jure præscriptæ matris Ecclesiæ alienata fieret ; ideoque divino fervens amore ad clementiam nostram suppliciter deprecans accessit ut memoratam villam nomine Bonallam cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmiùs eidem Ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci servorumque Dei inibi Deo famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis præceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Adalbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem præscriptæ suæ sedis Ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deoque in ea deservien-

tium permaneat. Idcirco ſuggerentibus atque humiliter poſtulantibus prædictis fidelibus noſtris, memorato videlicet Aldrico Epiſcopo & Adalberto jamdicto fideli noſtro, hoc noſtræ confirmationis atque redditionis præceptum ſæpedicto Aldrico Epiſcopo & ad partem jam dictæ urbis fieri juſſimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus ſub ditione imperii noſtri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuſcunque pagis & locis ſæpedicto Aldrico Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præſumat; ſed liceat ei & ſucceſſoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis ſive mancipiis & cum omnibus ad ſe pertinentibus jure eccleſiaſtico tenere & poſſidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ ſedis Eccleſiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus futuris temporibus habeant poteſtatem faciendi. Et ut hæc noſtræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro ſigillavimus.

Signum Hludovici Sereniſſimi Imperatoris.

Erminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & ſubſcripſi.

Data XV. Kalend. Maias anno Chriſto propitio XXVII. imperii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti, Indictione prima.

Actum Aquiſgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

VITA BEATI GERALDI *Archiepiscopi Bracarensis, auctore ejus discipulo Bernaldo Archidiacono Bracarensi.*

CVpientes minùs eruditos ad fidei incrementa provehere, beati Geraldi Bracarensis Archiepiscopi vitam & miracula quæ Deus omnipotens in ejus honore mundo hominibus exhibuit describere dignum duximus, quatinus ipsi tanti viri virtutibus auditis, ad eum imitandum zelo vitæ similis accendantur. Ad hoc autem explendum sancti spiritus opitulationem flagitamus, ut in hoc opere auctor sermonis dignetur adesse.

I. Beatus igitur Geraldus nobili prosapia ortus, Cadurcensis regionis oriundus fuit. Parentes verò ejus & nobilitate & seculari potestate non mediocriter pollebant; à quibus nimirum parentibus in cœnobio quod dicitur Moysiacum Deo & sancto Petro puer parvulus oblatus est, ubi & regularem disciplinam didicit, & ordinem monasticum perfectè observavit. Beatus itaque Geraldus in ordine monastico constitutus, tanta virtute cœpit pollere quòd majores natu præclaræ sanctitatis ejus exemplum imitari cupiebant. Castitas enim, quæ angelis est socia, in eo præcipuè viguit. In gradu etiam humilitatis persistens, superbiæ fastus & cetera vitia quæ homines infestare solent, à se omnino extirpavit. Quia verò divinæ scripturæ pabulo refici magnopere exoptabat, armarii in quo libri divini reponebantur custos factus est. in cujus officii obedientia annis multis perduravit. Tali quippe refectione imbutus, fratribus in Capitulo fluenta prædicationum effundebat, & eos spiritali cibo jugiter reficiebat. Musicæ quoque, necnon etiam artis gramma-

ticæ scientia eruditus, in monasterio chorum, utpote bonus primicerius, doctissimè regebat; & monachos minùs eruditos tam in musica quàm etiam litterali disciplina diligenter edocebat. Et quia scientiæ donum & docendi gratiam omnipotens illi concesserat, Abbati & fratribus utile visum est ut beatus Geraldus monasterii cellas visitaret, & fratres ibi commorantes in sancta doctrina & in ordine sancto reformaret. Hæc de causa in urbe Tolosa ad quandam cœnobii Moysiaci obedientiam quæ sancta Maria deaurata nuncupatur, quæ est sita in ripa Garonæ, delegatus est: ubi religiosè vivendo, & monachis exemplum sanctitatis ostendendo, prolixi temporis moras contraxit.

II. Illo autem temporis discursu, dum tantus vir ibidem moraretur, Archiepiscopus venerabilis memoriæ Toletanus, domnus scilicet Bernardus, curiam Domini Papæ Vrbani adivit, & in reditu, cognita sanctitatis ejus opinione, & quia ipse Archiepiscopus ejusdem ordinis erat, ut tantum virum in consortio suo habere posset, Abbatem Moysiacensem & totum conventum precibus & supplicationibus multis attentiùs obsecravit. Postquàm verò Archiepiscopus petitionis suæ compos extitit, cum gaudio non mediocri thesaurum pretiosum secum ducens, Toletum remeavit, & beato Geraldo chorum Ecclesiæ Toletanæ regendum & Clericos edocendos commendavit. Qui nimirum in Ecclesia illa quasi lucerna lucens extitit, filios sibi commendatos edocendo enutrivit, scientia & religione eos instruxit, de virtute in virtutem eos instruendo ad altiora provexit. Licèt ipse sub alia constellatione maneret, & aliorum hominum conversatione uteretur, in religionis tamen reverentia jugiter perseveravit, & à proposito regulari nullo modo potuit dimoveri.

III. Eo itaque tempore, dum beatus Geraldus Toletani Archiepiscopi & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legati consortio fungeretur, Bracara metropolis quasi desolata absque Metropolitano existebat, & clerus Bracarensis omni consilio destitutus pastorem habere modis omnibus cupiebat; sed persona quæ tali cathedra digna existeret, in episcopatu Bracarensi reperiri non poterat. Coacti verò Pontificis necessitate Bracarenses, plures personas Domino Legato præsentarunt. Sed quia idoneæ minimè videbantur, repulsam passi sunt. Hoc autem divina dispensatione factum est ut ad electionem beati Geraldi hoc modo perveniretur. At verò beatus Geraldus hujus rei inscius, circa ordinis religionem operam dabat, Missarum sollemnia frequentabat, orationi vacabat, obedientiam sibi injunctam pro viribus adimplere satagebat, de tali honore adipiscendo nullatenus cogitabat.

IV. Postquam igitur beati Geraldi sanctitas ad aures Bracarensium pervenit, tam clerus quàm populus uno consensu, una intentione, uno eodémque animo, eum in Pontificem elegerunt. Sed antequam voti sui compotes extitissent, in conspectu Domini Legati infinitas preces proculdubio effunderunt. Indissolubili namque vinculo dilectionis Dominus Legatus eum amplectebatur, & tantum lumen à se nolebat removeri. Tandem verò Archiepiscopus Toletanus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, tot & tantis precibus convictus, petitioni eorum adquievit, & beatum Geraldum in Episcopum apud sanctum Facundum consecravit, & eum cum Clericis & Abbatibus, qui ejus ordinationi interfuerunt, ad sedem Bracarensem cum gaudio remisit. Cùmque urbem Bracarensem ingrederetur, & situm loci barbarum & depopulatum ruinæque subjacentem videret, ingenti stupore attonitus, Deo gra-

tiasegit, qui ei locum in quo desudaret concesserat.

V. Braçarensis namque Ecclesia absque pastoris procuratione diutino tempore permanserat, & ideo per manus vicarii non bene pertractata, de amissis nihil adquisierat, de possessis verò multa per incuriam amiserat. Populus etiam totius pontificatus, qui à procuratore sedis Bracarensis fuerat corrigendus & docendus, in crimina multa sine aliquo cultu correctionis lapsus fuerat, in incestum scilicet, in rapinam, in fornicationem, in furtum, in homicidia, in odium, & cetera criminum genera quæ homines ducunt ad mortem. Sicut enim agricola deserta loca fructifera reddere gestiens, primùm extirpat quæ infructuosa sunt, deinde terram excolit, postea seminat, tandem fructum metit, eodem modo beatus Geraldus facere sollicitus facinora hominum arguendo refecare non cessavit, vomere correctionis corda eorum attentiùs excoluit, verbo prædicationis in populo jugiter seminavit, ut de grege sibi commisso Deo fructum reddere posset. Circa Ecclesiæ quoque ordinationem sollicitus, Clericos quos ibi reperit de ordine ecclesiastico perfectè edocuit, bonis ditavit, alios, quos dignos & idoneos cognovit, illis aggregavit, & ita pulcrum & optimum conventum in Ecclesia instituit. Insignia pontificalia multa ibi composuit, ornamenta alia plurima, scilicet calices argenteos, capas sericas, libros divinos, thuribula argentea, & cetera quæ minèr erant ibidem adquisivit.

VI. Postquam autem sanctificationis doctrinam in clero & in populo sibi commisso aliquantulum propagavit, ad Ecclesiæ suæ dignitatem recuperandam operam dedit. Bracara enim per multa temporum curricula in ruina & destructione jacuerat, àtempore scilicet beati Fructuosi usque ad tempus venerabilis Petri Episcopi; qui quidem quia pallium

& privilegium à Papa Clemente accepit, ab Archiepiscopo Toletano & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato depositus est : cui post annos multos beatus Geraldus successit. Qua de re Bracara, quæ antiquitus fuerat metropolis, modernis temporibus propria fuit dignitate privata. Vt autem beatus Geraldus sedi Bracarensi propriam dignitatem restitueret, Romam petiit ; & à Domino Papa Paschali honorificè susceptus, palleum & privilegium & auctoritatem Ecclesiæ suæ inde apportavit. In Concilio enim Palentino, quod venerabilis Ricardus Cardinalis Romæ celebravit, Episcopis & Abbatibus & optimis Clericis Hispaniæ circumsedentibus, Romanum privilegium in auribus omnium recitatum est, & juxta tenorem ipsius privilegii Bracaræ metropolis suffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarensi Metropolitano justitia dictante & Cardinali præcipiente obedientiam & reverentiam promiserunt, & eum per Bracarensem provinciam incedentem tamquam proprium Metropolitanum in propriis sedibus honorificè susceperunt, & ei deinceps reverentiam exhibuerunt.

VII. Beatus enim Geraldus, Ecclesia Bracarensi in pristina dignitate reformata, ad tempus Bracarensem provinciam visitabat, Episcopos de sanctitate admonebat, conventus monachorum in sancto ordine monastico attentiùs informabat, Presbyteros per parochias constitutos de doctrina canonica diligenter instruebat, principes regionum ad pacem tenendam, ad justitiam exercendam vigilantiùs incitabat, verbum prædicationis plebibus effundere non cessabat. At verò in episcopatu proprio synodos frequentiùs celebrabat, plebis sibi commissæ vitia, Clericorum offensas, precibus humilitatis obsecrando, & zelo disciplinæ arguendo, viriliter rescindebat. Humiles diligebat, superbis resistebat, egenos

& epulis & indumentis assiduè confovebat; hominibus in scelere perseverantibus & ad Deum converti nolentibus nunquam consentaneus, immo acerrimus existebat. Totus quippe divino servitio deditus, à bono opere numquam otiosus esse voluit. Dedicationes enim Ecclesiarum, ordinationes Clericorum, multiplices confirmationes populorum jugiter frequentabat, boni pastoris officium adimplere proculdubio satagebat. Media verò nocte ad matutinos semper surgere consueverat. Quibus nimirum recitatis, solus in Ecclesia remanebat, ubi non mediocres lacrymarum fluctus ante sanctum altare prostratus effundebat, incomprehensibiles quoque gemitus de sacratissimo suo pectore profundiùs anhelando emittebat, necnon etiam supernæ * patriæ visionem toto mentis effectu desiderans attingere, alta cordis suspiria trahebat; & ita sacris orationibus vacans, flexis genibus & cubitis usque ad solis ortum in oratorio perdurabat. Sanè circa curam accipitrum, aut circa venationem canum, sive circa ludos alearum nunquam operam dedit. In die enim divinæ lectioni, nocte verò orationi insistebat. In celebrationibus Missarum frequens semper studium adhibuit. Nam mundus corpore & spiritu ad corpus dominicum consecrandum cum ingenti devotione & cum magna lacrymarum effusione semper accedere consuevit, & tantum sacramentum, negligentia omni remota, spatiosè & religiosè semper curabat consummare. Certè & turpiloquium & scurrilitas & cetera stulliloquia, quæ ad vanitatem pertinent, ab ejus ore procul extiterunt. Institutionis autem sanctæ & bonitatis, non exemplum nequitiæ, sibi subditis ubique demonstravit. Operum namque merita à prædicatione minimè discrepabant. Virtutum autem sanctarum clypeo munitus, recto tramite semper incedere nitebatur, & per devia vi-

* patriæ

tiorum digressionem facere modis omnibus devitabat. Erat quippe ei præcipua humilitas, amplifica misericordia, mansuetudo pacifica, moderata abstinentia, splendida pudicitia, longanimis patientia, caritas in Deum & proximum flagrantissima; & ceteræ virtutes quæ ex his oriuntur semper ei assistebant.

VIII. Crimina verò quæ in clero aut in populo pullulare videbat, statim resecare festinabat. Verùm crimen illud quod incestus nuncupatur, qui in gente sibi commissa jam radices affixerat, summo nisu divellere anhelabat. Vnde beatus Geraldus inter ceteros quendam Militem, qui Egeas Pelagii vocabatur, qui quidem in incestu per multos annos permanserat, semel & bis ac tertiò, utpote filium, diligenter admonuit, obsecravit, ut tantum scelus dimitteret, & pœnitentiam duceret. Miles verò incorrigibilis & duræ cervicis diabolo instigante existens, verba sancti viri attendere noluit; sed sanctæ correctionis contemptor, in proposito nefando persistere præsumpsit. Quocirca sicut putre membrum, quod aliquo medicamento sanari non potest, de corpore amputatur, ita Miles præfixus pœnitentiæ medicamentum suscipere nolens, gladio anathematis de corpore Ecclesiæ abscisus est. Accidit autem eo tempore ut ex præcepto Comitis Henrici, qui tunc Portugalensi terræ dominabatur, omnes proceres Portugalenses, & ille cum eis qui pro incestu excommunicatus fuerat, Vimaranas convenirent. Ad quod nimirum conventiculum, causa necessaria exigente, vir vitæ venerabilis accessit. Dum autem in Ecclesia Vimaranensi vir Dei Missam celebraret, Comite Henrico & uxore ejus venusta Regina scilicet Tharasia præsentibus, & cum eo maxima procerum multitudine assistente, prætaxatum excommunicatum in Ecclesia adesse cum ceteris recogno-

vit, ſtatim ſe ab officio divino ſuſpendens, in conſpectu aſtantium proclamavit virum inceſtuoſum, divinæ admonitionis contemptorem, à conſortio fidelium jam ſequeſtratum, Eccleſiæ uniri vel incorporari non debere. At verò ille diabolico inſtinctu afflatus, præſumptuosè agens, obſtinatiùs cœpit inſiſtere, & de Eccleſia egredi recuſavit. Tandem tamen Comite præcipiente, & aliis eum impellentibus, extra Eccleſiam egreſſus eſt; ubi continuò à ſpiritu maligno, populo aſpiciente, arreptus eſt. Deus autem, qui ſuperbis reſiſtit & humiles perfectè diligit, iſtius ſuperbiam voluit conterere, & ob reverentiam ſancti viri hujuſmodi miraculum in oculis aſtantium dignatus eſt exhibere, ut criminoſus ille non periret, & alii tali ultione perterriti tantum ſcelus committere non auderent. Completo itaque Miſſæ officio dæmoniacus Miles ſuprà memoratus miſericordiam & pœnitentiam expoſtulans ad pedes beati Geraldi proſtratus cecidit, ſe à via veritatis erraſſe & diabolum magiſtrum habuiſſe recognoſcens. Quem nimirum ſanctæ matri Eccleſiæ homo Dei reconciliavit, & ei pœnitentiam de commiſſis diſcretè & ſapienter injunxit, & erga eum valde miſericorditer egit.

IX. Beatus igitur Geraldus, providus & prudens paſtor, in agri ſui cultura proficere geſtiens, imbrem prædicationis plebibus irrigabat, zizaniam de cordibus hominum eradicare ſatagebat. Dum vero in tali miniſterio ſtudium exhiberet, & homines in criminibus detentos ad emendationem revocaret, duos regionum magnates contagio inceſtus ſimiliter inhærentes, Pelagium ſcilicet Petri & Adefonſum Petri nominibus nuncupatos, in epiſcopatu reperit, quos quidem diligenti admonitione de converſione ſæpiſſime hortatus eſt. Cui cùm obedientes & obnoxii pro correctionis beneficio eſſe deberent, con-

vitia plurima nonnullasque inhonestationes è contrario rependerunt. Venerabilis tamen Geraldus contumelias & opprobria sibi illata sub silentio præteriens, quatinus ipsi resipiscerent, & in facinore non persisterent, eos sæpius flagitavit. At verò illi magis magisque in dies obdurati, non solùm sancti viri monita contempserunt, verùm etiam aditum terræ suæ beato viro temerariè interdicendo clauserunt, & Clericos vel Abbates sub jure suo commorantes venerabili viro obtemperare vel obsequium impendere prohibuerunt. Ad cumulum etiam iniquitatis suæ alter eorum, Pelagius videlicet Petri, in virum Dei impudenter exarsit, multiplices blasphemias ei inreverenter objecit, falsum monachum, hypocritam, simoniacum eum appellans, & sanctitatem ejus unum gallum affirmans non valere. Vir equidem sanctus patientiæ innixus, in bono malum vincere volens, eos ad emendationem sine intermissione invitabat. Sed quia pertinaces in pravitate disciplinam recipere respuerunt, ab Ecclesia sequestrati, quasi ethnici & publicani reputati sunt. Omnipotens itaque, cujus judicia abyssus multa, qui iniquitates hominum in virga & in verberibus peccata visitat, horum contumaciæ arrogantiam ob beati viri reverentiam penitùs voluit confundere. Divina enim dispensatione factum est quia isti iram domini sui, Comitis scilicet Henrici, & uxoris ejus venustæ Reginæ Tharasiæ incurrerunt, & universa quæ possederunt oppida, munitiones, hereditates, cunctasque gazas omnino amiserunt, atque ad tantam inopiam devenerunt quòd Pelagius Petri solus pedes cum filio suo parvulo & cum cane suo gallico Maurorum terram laboriosè appetierit. Alter verò, scilicet Adefonsus frater ejus, idem refugium denique requisivit. Iste nimirum in Christianos ulcisci cupiens, ingentem Sarracenorum exercitum super

eos addúxit ; & bellum cum Christianis Sarraceni inierunt. in quo bello interfectus est. cujus corpus vultures & corvi in eremo comederunt. Pelagius autem Maurorum conversatione utens, exul & quasi captivus apud eos obiit. Certè hujusmodi ultiones à Deo fuisse factas pro sancti viri reverentia proculdubio reputamus.

X. Reverentissimus igitur Geraldus de virtute in virtutem ascendens, animabus hominum alimenta doctrinæ incessanter ministrabat, & quanto eum omnipotens apud homines per miraculorum ostensionem exaltabat, tanto magis se in conspectu divinæ majestatis humiliabat, & nec sibi nec viribus suis sed Deo omnipotenti magnalia quæ fiebant attribuebat. Dum itaque quodam in tempore pro consuetudine ad sedem Bracarensem veniret, & ad flumen quod Cadanum nuncupatur accederet, vadum in flumine non comparuit. Ergo exiguus lembus ad fluvium transeundum quæsitus, repertus est. Clientes verò priùs cum supellectile sua lembum ingressi sunt. Flumine autem vento & fluctibus insurgentibus tumescente, lembus cœpit vehementer titubare ; & quia uno solo digito ab aqua distabat, infra se non modicos fluctus cœpit admittere. Rector autem lembi periculum sibi imminere cognoscens, in flumen prosiliit, & natando exivit. Pueris siquidem sine remige remanentibus & jam periclitari incipientibus, necnon etiam virum Dei orationis adminiculum una voce deposcentibus, ipse vir Dei in ripa fluminis residens, rivulos lacrymarum fundendo, obnixè Deum deprecatus est ut misericordiam exhiberet & clientulos à periculo liberaret. Completa autem oratione, lembus quietè & suaviter usque ad tutum locum pervenit ; & ita precibus sancti viri naufragium imminens pueri evaserunt.

XI. Sanè virtutum insignia, non solùm in præ-

sentia sancti viri, Christo pro eo operante clarescebant, sed etiam eo absente multis in orationibus ejus fiduciam habentibus plurimæ virtutes ad eorum petitionem succurrebant. Contigit autem eo tempore ut Archidiaconus quidam nomine Mido cum quodam monacho de introitu cujusdam Ecclesiæ, quam à laica manu acceperat, altercationem haberet. Vnde monachus ille valde indignatus, more seculari in eum ulciscì cupiens, insidias ei molitus est. At verò Archidiaconus hujusmodi insidiarum inscius, dum quadam die juxta affinitatem ipsius monachi equitando super mulam parvulam pigrè incedentem transiret, dno ex parte monachi insidiatores in equis cursoribus equitantes post Archidiaconum armati veloci cursu tendere cœperunt. Archidiaconus nimirum illos post se cursitare prospiciens, incertus quid agere deberet, beato viro & orationibus ejus se commendavit, & mulam calcaribus urgere cœpit; cui nimirum tanta cursus valitudo continuò Deo volente adfuit quòd ipsa currendo veloces hostium equos superavit, quæ quidem nec antè nec deinceps in tanto cursu, quamvis stimulata, unquam potuit comprobari. Absentis igitur venerabilis viri confisus reverentia Archidiaconus ab insidiis hoc modo liberatus est.

XI. In eadem etiam regione quædam fuisse matrona nomine Tota perhibetur, quæ generoso sanguine orta, hereditatum copia & infinito censu affluenter abundabat; cujus nempe opulentiæ quidam magnatum Portugalensium valde invidentes, dedecus & detrimentum ejus moliebantur, ut facultates ejus aliquo modo adipisci valerent. Cum quodam igitur egredii Comitis Henrici villico de servili genere orto, Ordonio vocitato, æmuli illi consilium inierunt ut ipse eam raperet & cum ea matrimonium contraheret, quatinus ipsa

tali connubio defœdata honoris dignitatem amitteret. Prædictus itaque villicus pro consilio æmulorum matronam rapuit, magnum convivium celebravit, thalamum adoptavit, paratus nefas committere. At verò mulier nobilissimisima magis mori quàm degere cupiens, nimia anxietate oppressa, quid faceret incerta, Deo & beato Geraldo integritatem corporis & animæ commendavit. In crepusculo autem noctis cubicularis suæ indumenta assumpsit, & ipsam pedisequam suis propriis ornamentis indutam in thoro maritali vice sui recubare præcepit. Ipsa verò vili habitu pedisequa sumpto, in humero suo urnam deferens, & quasi ad fontem haurire aquam tendens, extra palatium egressa est. Deinde Christi & beati Geraldi subsidium obnixè deposcens, communem callem fugiendo devitavit, & in frutice cujusdam silvæ diutiùs latitavit. Ille quippe qui illicitas nuptias celebrare affectaverat, ad thalamum accedens, domina non reperta, spe gaudii sui frustratus est. Vnde villicus valde ad bilem commotus, circa exitus viarum, per devia montium, per frutices silvarum, plures cum canibus vigiles ad nobilem feminam investigandam undique adhibuit. Sed Deo miserante, & fiducia viri Dei ei succurrente, nulla potuit indagatione matrona reperiri. Tertia siquidem die hujusmodi quæstionis causa sedata, proba femina de silva pedetentim egrediens, per quendam Clericum propter silvam in quadam Ecclesia commorantem venerabili viro & captionem & evasionem suam significavit, supplicans vehementer ut de ea ducenda deinceps sollicitus esset. At verò vir Dei humanitatis & misericordiæ non oblitus, optimis Archidiaconibus ad latibulum delegatis, eam ad sedem Bracarensem salvam & incolumem ducere prudenter molitus est. In præsentia igitur viri Dei matrona persistens, ei im-

mensas gratias egit, & quia in sanctitate ejus confisa periculum evaserat, in auribus omnium enarravit. Deinde beato viro & sedi Bracarensi optimam hereditatem, quæ Nogariola vocitatar, contulit. Insuper etiam alia donaria, quæ altari beatæ Mariæ deserviunt, ei concessit, caritati & orationibus ejus se in perpetuum commendans.

XIII. Iste etiam villicus, villicationis suæ potentiam supra modum excedens, Ecclesias violare, Clericorum & Ecclesiarum res per violentiam auferre præsumebat. Vnde vir Dei valde molestus, eum ad emendationem sæpius advocavit. Ille verò tyrannidem & rapinam ubique exercere non desistens, cum viro Dei colloquium habere contempsit. Beatus autem Geraldus plenus humilitate & mansuetudine, sacrilegum illum à nequitia sua volens revocare, ad castellum quod Lagenosa dicitur, ubi ipse erat, accessit, & per ardua loca incedens, penè usque ad supremam munitionem ascendit, cupiens nequissimum illum Deo reconciliare. At verò ille veteris serpentis veneno imbutus, in arce castelli arroganter residens, non solùm ad virum Dei descendere neglexit, sed etiam contumeliosa in sanctum Dei verba proferens, quod malè egerat emendare recusavit. Deus autem, qui unicuique secundùm opera sua retribuit, patentem in istum ultionem voluit exhibere. Nam inimici ejus in proximo tempore eum aggredientes in loco illo quo sanctus Dei ad locutionem ejus constiterat, & ad quem ille sacrilegus descendere neglexerat, ipsum turpiter interfecerunt.

XIV. Non solùm itaque venerabili viro absente virtutum insignia in ejus invocationem declarabantur, verùm etiam eo præsente plura signorum magnalia in conspectu hominum ad ejus petitionem effulgebant. Illo etenim tempore dum vir Dei à se-

de Aurienſi rediret & Bracaram tenderet, in rue quod Rivus calidus nuncupatur hoſpitatus eſt. Il nimirum luce ſecutura per locum difficilem qui Po tella hominis vocitatur tranſituro, hyemalis tem peſtas & infinitæ pluxiæ inundatio exorta eſt : qu quidem toto noctis ſpatio pluere non ceſſavit, & die ſequenti integra magis augmentata perdura vit. De capella verò ſua, ne tanta imbrium inun datione madefieret, homo Dei ſollicitus, Do mino ſuo profundos gemitus pro hac cauſa effudit, & Clericis eum comitantibus ſeptem pſalmos i orationem pro eodem negotio recitare præcepit. Cùmque autem ad hoſpitium altera die perveniret, Clerici qui duplici aut triplici indumento tegeba tur, nimborum impetu omnia transfundente, uſqu ad interulas & uſque ad femoralia penitùs made facti reperti ſunt. Capella verò ſola juxta votum viri Dei ab omni prorsùs humefactione immuni proculdubio inventa eſt.

XV. Inter cetera verò vir Dei circa Eccleſia rum libertatem præcipuè invigilans, quorundam relatu didicit unum regionis magnatem, Suarium ſcilicet Menendi nuncupatum, quendam in quadam Eccleſia Clericum abſque Bracarenſis vicarii li centia intruſiſſe. Quo audito vir Dei principem illum ad ſatisfactionem invitavit, eumque diligen ter edocuit eccleſiaſtica jura nec laica manu pe tractari nec ſanctuarium Dei à laicis hereditario jure debere poſſideri. At verò ille cùm reatum ſuum recognoſcere & Prælato ſuo ſatisfacere debuiſſet, ad rixam devenit, & verba veritatis non atten dens, cum juſto viro cauſari & ſecularibus argu mentis ratiocinari diutiùs præſumpſit. Denique ipſe tyrannus nimia bile commotus, quaſi cauſæ finem imponere cupiens, ſententiam protulit in hunc mo dum dicens. Vterque ego & vos Domino noſtro

Ieſu

Iesu Christo & glorioſæ virgini Mariæ preces fundamus quòd alter noſtrum qui alii in hac cauſa injurioſus exiſtit, ad finem præſentis anni vivus non pertingat. Quia verò frater, beatus vir inquit, evangelicæ doctrinæ diſciplinam non attendis, & canonica ſequi juſſa contempnis, in providentia & in diſpoſitione illius cujus in oratione tua mentionem feciſti, iſtud negotium pertractandum & judicandum committimus. His dictis, princeps ſuprà memoratus receſſit, & uſque ad dimidium annum non pertingens, non in proprio, ſed in alieno ſolo quaſi vilis occubuit.

XVI. Sanè præter iſta miraculorum dona beatum virum ſpiritum prophetiæ in quibuſdam habuiſſe cognovimus. Dum enim in cathedra pontificali vir Dei quadam die reſideret, & cauſa neceſſaria exigente Colimbrienſis Epiſcopus, ejuſdem metropolis ſuffraganeus, venerabilis ſcilicet Mauricius, Bracaram adveniret, Bracarenſis Eccleſiæ Præcentor, domnus videlicet Mido, viri Dei conſpectui ſe præſentans, qualiter prædictum Pontificem ſuſcipi juberet, ab eo requiſivit. Cui pater venerandus, Iſtum, inquit, Epiſcopum Colimbrienſem honorificè & cum venerabili proceſſione ſuſcipere debetis, quia eum in Dominum & Metropolitanum in Eccleſia Bracarenſi poſt deceſſum meum proculdubio habebitis. Hoc autem quemadmodum à ſancto viro prædictum eſt, in effectu rei conſtitit eveniſſe.

XVII. Omnia igitur virtutum inſignia quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus in vita beati Geraldi pro ejus reverentia & honore manifeſtè exhibuit, enarrare per ſingula non valemus, tædium auditoribus generare verentes. Per eum enim infinita populi multitudo ad Deum converſa eſt. Nonnulli in ſanctitate & orationibus ejus confidentes, à periculis

imminentibus liberati sunt. Insuper plurimi prædicationem & doctrinam ejus deridentes, & in eum contumeliosè agentes, divina ultione percussi sunt. Clerici quoque castimoniæ & ejus munditiæ vestigia sequentes, virginem castam se Christo exhibuerunt.

XVIII. Beatus itaque Geraldus terminum depositionis suæ jam appropinquare in spiritu prævidens, gentem incultam in montanis demorantem dignum duxit visitare, ut populus ille rudis, qui Pontificis prædicationem nequaquam audire consueverat, sanctificationis doctrinam & sacræ confirmationis inunctionem ab eo susciperet. Cupiebat enim omnes tam nobiles quàm ignobiles salvos fieri, & neminem per negligentiam sui volebat perire. Et ideo, licèt ægritudinem in suo corpore jam esse sentiret, devoto tamen animo, remota omni desidia, rudes illos edocebat, ad cognitionem veritatis eos convertebat, Ecclesias inter abrupta montium constitutas dedicabat, confirmationes incultæ gentis tota die jejunus celebrabat, circa hujusmodi officium incessanter desudabat, in populo Dei ante obitum suum concupiscens fructificare. Viro autem Dei in grege sibi commisso hoc modo fructificante, ægritudo vehementer convalescens corpus ejus cœpit non mediocriter aggravare. Et licèt ingenti onere infirmitatis beati viri caro premeretur, supra vires tamen enitens, Ecclesiam in loco qui Bornos dicitur constitutam, ad quam consecrandam ipse & infinitus populus convenerat, celebriter dedicavit, & congregatæ gentis inopinatam multitudinem, quamvis nimiùm fatigatus, expergiscens, sancti chrismatis inunctione confirmavit.

XIX. Peracto autem utriusque sanctificationis officio, ægritudinis validitudo cœpit supra modum augmentari; & jam exitus sui diem propè imminere

cognoscens, thorum in quo ipse jacebat ad Ecclesiæ ostium præcepit collocari, unde Missam & horas quæ in Ecclesia dicebantur liberè posset audire. Videns denique quia jam hora sui transitus instaret, Missam cum reverentia & humili devotione audivit, eucharistiam accepit, crucem argenteam cum crucifixo argenteo sibi jussit præsentari, & illi quem illa effigies repræsentabat cum ingenti cordis compunctione, cum magno gemitu, cum nimio fletu, se de multis accusando, transgressiones ordinis sui, si aliquando contigerint, coram astantibus confessus est. Deinde in cinere & cilicio corpus suum mandavit reponi, & Clericos jussit esse paratos, ut quando exhalaret, cum psalmis & hymnis animam ejus Deo commendarent.

XX. Dum verò ista agerentur, quidam Diaconus ejus febre acuta arreptus, gravissimè in illa ubi sanctus Dei jacebat mansione ægrotaverat: cujus spiritus quasi in extasi raptus, angelos Dei intuitus est diadema pretiosum inæstimabili gemmarum ornatu decoratum manibus suis deferentes, & in hæc verba eidem Diacono colloquentes. Ista corona quam, frater, intueris, manibus summi artificis est fabricata, & à Domino Iesu Christo ad beati Geraldi animam coronandam nobis ministrantibus huc est destinata. Cujus equidem animam tali diademate coronatam sequenti die cum summo tripudio portantes divinæ majestati præsentabimus, & cum illo cui in vita sua fideliter ministravit per infinita seculorum secula regnabit. Anima verò tua corpori suo ad vitam ducendam relinquetur. Sed ideo hujusmodi visio tibi revelatur ut tanti gaudii testimonium illis quibus patronus extitit sine dubio patefacias.

XXI. Diacono nempe visionem hujusmodi intuente, Clerici qui ei assistebant transitum ejus

præstolantes, eum inconsideratè spiritum exhalare putaverunt, & statim corpus ejus terræ nudæ posuerunt. At verò ipse in cinere positus, quasi expergefactus, oculos aperuit, & eis in hæc verba locutus est. Quod putatis, nondum est factum. His dictis, in stratu suo iterum positus à Clericis circumstantibus, oculos suos avertit, & conversus ad parietem, vidit malignum angelum in conspectu suo astare. Cui, cunctis qui circumstabant audientibus, sic inquit. Insidiator pessime, & seductor maligne, ut quid huc advenisti? Vade, & procul hinc recede, quia in me partem non habebis. Statim ad hæc verba Sathan maledictus evanuit.

XXII. Postremò verò Diacono revelationem angelorum Dei quam viderat Clericis enarrante, ipsi de tanta visione plurimùm gavisi, secundùm dicta ipsius Diaconi transmigrationem viri Dei expectabant. Beatus autem Geraldus die ab angelis prædicta discipulos suos in unum convocavit, eis benedictionem adtribuit, Missam audivit, rursus communicavit, & sic migravit ad Christum. cujus spiritus cum beatis confessoribus in cælestibus regnat.

XXIII. Tanto igitur patrono orbati Clerici, monachi, sanctimoniales, necnon laici senes, juvenes, virgines, pueri, & matronæ omnes æquanimiter ad exequias ejus confluentes, planctum magnum super eum fecerunt, orbitatis suæ desolationem lacrymando deplangentes. Discipuli verò ejus ad sedem Bracarensem corpus sanctum efferre cupientes, feretrum quo dignè & convenienter posset deferri composuerunt. Et quia maxima tam montium quàm vallium inæqualitas difficultatem itineris ad corpus deferendum faciebat, quædam nobilis matrona Osenda nuncupata magnum suffragium hominum eis ministrans, usque ad flumen

quod dicitur Tamica cum sanctissimo corpore pervenit. Flumine quippe extra alveum decurrente, magna in eis orta est sollicitudo quomodo feretrum cum glorioso corpore ultra flumen transducere possent. Erat ibi quidam molendinus cujus de causa sepes quædam de sudibus & lapidibus composita per medium fluminis extendebatur, per quam scilicet unus homo solus & pedes vix securè poterat transmeare. Qua videlicet reperta, matrona præfixa in auribus omnium proclamavit hoc modo dicens. Carissimi fratres, omnes communi orationis consensu Dominum nostrum Iesum Christum deprecemur quòd si patronus noster, venerabilis scilicet Geraldus, sanctus Dei est, ut credimus, per istud sepis articulum meatus hodie sine læsione pervius nobis & feretro pateat. Oratione peracta, homines qui sanctum corpus deferebant, sine aliqua offensione illud artum iter transierunt. Aliud etiam mirabile quod eis in ripa fluminis persistentibus accidit non silentio præterire judicavimus. In exiguo namque liburno duo pueri fluvium illum transmeabant, sed gurgite ipsius fluvii tumescente & liburnum subvertente, pueri in flumen ceciderunt, qui cum impetu fluvii euntes procul inde profluxerunt. Hoc audito, omnes quicunque adfuerunt beati Geraldi pietatem deprecantes, incolumitatem puerorum summa devotione deposcebant. At verò sancti confessoris misericordia statim suffragante adolescentuli sani & incolumes periculum evaserunt. Inde verò procedentes, ad sedem metropolitanam cum thesauro pretiosissimo pervenerunt, ubi planctus non minimus à clero & à confluente populo iterum renovatus est. Sepulcrum autem idoneum ad corpus sanctum sepeliendum in urbe Bracarensi reperiri non potuit. Vnde Bracarensibus opportunum visum est ut ipsi sepulcrum

marmoreum, quod alio in tempore de colina Tibianis translatum fuerat, requirere deberent. Tempore enim præterito, mortuo quodam magnate Portugalensi, Tibianenses monumentum in quo sepelirentur præ manibus non habentes, in colina ubi cimiterium Regum antiquitus fuerat fodientes, illud ad monasterium attulerunt; in quo videlicet magnus prædictus sepultus est. Sed quia in somniis in illo sepulcro ardere videbatur, de eodem ejectus, in alio humatus est, & ita usque ad obitum beati Geraldi sepulcrum illud vacuum permanserat. ad quod mirum tunc temporis transferendum plurima juga boum plurimùm desudarunt, & plura plaustra fracta fuerunt. Ad illud verò modò reducendum unum solum jugum & plaustrum minùs validum proculdubio sufficerunt. Certè translatio sepulcri de Bracara ad Tibianas tunc difficilis & laboriosa fuisse perhibetur, quia ad virum criminosum & peccatorem sepeliendum deferebatur. Reportatio verò ipsius de Tibianis ad Bracaram sine aliqua vexatione levis & suavis profectò extitit, quia ad virum sanctum & justum inhumandum reducebatur. In quo scilicet monumento insignibus pontificalibus egregiè indutus, positus est in Ecclesia beati Nicolai, quam ipse construxit, & quam festivè & celebriter dedicavit, requiescit.

XXIV. Ad cujus equidem sepulturam quidam Clericus, cujus nomen Sesgudus, dinoscitur venisse, qui quendam morbum quem medici fistulam vocant in crure suo multo tempore passus fuerat, & diversis herbarum medicaminibus adhibitis sanari non valebat. Morbus enim in crure jam plura fecerat foramina, & humores superflui exeis jugiter emanabant, & homo assidua morbi comestione afflictus dolorem intolerabilem patiebatur. Vnde suffragium beati Geraldi obnixè deposcens, medelam

salutis ab eo devotiùs requirebat. Æger denique misericordia à sancto viro impetrata post temporis exiguum sanus factus est.

XXV. In territorio Bracarensi erat quædam nobilis matrona quæ habebat filium qui à dæmonio vexabatur, quæ quidem ad sepulcrum ejus cum humili devotione accedens, beati viri misericordiam pro filio suo attentiùs exoravit, ibi diutiùs lacrymata est, filium glorioso confessori repræsentans. Beatissimus verò confessor pro consuetudine sinum pietatis aperiens, puerum sanitati restituit.

XXVI. In Pannoniis autem quidam Clericus demorabatur, qui difficillimam ægritudinem, quam medici cephaleam vocant, in capite suo patiebatur. Qua nimirum ægritudine anno integro molestatus, nullo medicamine remedium inde habere valebat. Tandem ad beati confessoris sepulcrum confugium faciens, ibi tota nocte psalmos cum lacrymis & cum precibus recitavit. Media verò nocte, dum ipse orationi insisteret, medelam salutis ei sanctus Geraldus attribuit. Deinde Clericus Dei nostri & beati Geraldi laudem ubique glorificans, ad locum suum sanus & incolumis reversus est.

XXVII. In urbe etiam Bracarensi quædam dicitur mulier habitasse cujus filius parvulus dum pisces quadam die comederet, arista piscis gutturi ejus adhæsit, & ita puerulus intolerabili dolore fatigatus nullo potuit medicinæ remedio mitigari. Mater verò ejus causam doloris ignorans, tempora fletus agebat. Quapropter ad sepulturam sancti Geraldi miserabilis & gemebunda parvulum in ulnis deferens cucurrit; & plorans ibi tota nocte, tanto dolori remedium fieri postulabat. Ad lacrymas miserabilis genitricis sanctus Geraldus respiciens, quod puerulo in gutture adhæserat dimovit, & dolorem penitùs mitigavit. Nocte verò sequenti genitrici pue-

ruli in visione vir sanctus & glorioſus apparuit hoc modo dicens. Paſſio quæ filium tuum moleſtabat, te igorante intolerabilis erat. Spina enim piſcis guttur illius inhærendo occupaverat, quam quidem carnibus infixam virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti opitulante divulſi. Mulier expergefacta, gloriam omnipotentis magnificans, ſancti Geraldi magnalia ubique celebravit.

XXVIII. In eadem quoque civitate erat quædam muliercula domum hoſpitalem inhabitans, quæ inopinata ægritudine ſuperveniente omnibus membris contracta facta eſt. cujus etiam corpus tanta lepræ valitudo occupavit quòd carnes de corpore ejus fruſtatim cadebant. Ipſa verò ad beati Geraldi ſepulcrum quodam vehiculo tranſlata, vigilias & obſecrationes infinitas ibi diutiùs eſt executa. Ad ultimum ſanctus Geraldus mulierculæ ſuſpiria & compunctiones attendens, membrorum contractione diſtenta, ei greſſum reſtituit, & eam lepra penitùs emundavit. Quæ verò ad beatum confeſſorem pedibus alienis miſericordiam requirere venerat, virtutis miraculum repræſentans, propriis veſtigiis ad domicilium ſuum proculdubio eſt reverſa.

XXIX. In villa autem quæ Concieria nominatur, quidam perhibetur homo fuiſſe cui in oculo apoſtema validum inolevit. Cum tanto enim tumore impetus apoſtematis jam ei inſurrexerat quòd oculus de capite penè egredi videbatur. Valde in arta dolore poſitus, ſancti Geraldi adminiculum ſine intermiſſione depoſcebat. Cui beatus confeſſor ſolita pietate ſanitatis medelam exhibuit. In priſtina demum ſalute reſtitutus, ad locum glorioſi confeſſoris cum magna devotione accedens, quæ facultas ſuppeditavit ſepulcro ejus obtulit, & immenſas gratias agens, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & ſanctum Geraldum, qui miſericordiam ei exhibuerat, propenſiùs glorificavit.

XXX. Inter duo verò flumina, scilicet inter Hominem & Cadavum, quædam mulier morabatur quæ per quatuor annos infirmitatem quam medici asma vocitant sustinuerat; quam nimirum asmatis effocatio jam ad tantum malum perduxerat quòd anhelandi officium vix implere valebat. Nullo igitur medicaminis suffragio remedium adipiscens, ad beatum confessorem accessit, tantæ passioni mitigationem fieri nocte diéque expostulans. cujus quippe virtus eam in oratione assidua constitutam dignata est visitare. Namque ipsa prorsùs ab ægritudine liberata & sanitati reddita beato Geraldo & se & virum suum & filios suos deinceps obsecuturos contradidit.

XXXI. In episcopatu quoque Bracarensi quædam dicitur femina fuisse quæ per unius anni spatium languerat, ab officio membrorum suorum destituta: quæ quidem in præsentia corporis sancti constituta, lacrymas innumeras effundendo, clementiam sancti Geraldi assiduè deprecata est. cujus lacrymæ non frustra sunt proculdubio effusæ. Nam incolumitate corporis sui consecuta, hilaris & gaudens ad proprium locum est reversa.

XXXII. Quædam etiam puella maniaca ad sepulcrum ejusdem confessoris perducta fuisse memoratur, quæ anno integro per devia montium furibunda vagando incesserat. cui beatus Geraldus visibile exhibuit miraculum. Namque furore prætermisso, ipsa sancti Geraldi suffragio ad sanam redire mentem concessa est.

XXXIII. Clericus autem quidam Bracarensis, cujus nomen Honoricus, dum Hierosolyma navigio rediret, tempestas valida in mari exorta est. unde navigantes naufragium incurrere ilico metuerunt. Quapropter ipse Clericus valde pavefactus patronum suum, beatum scilicet Geraldum, attentiùs de-

poſcere cœpit. cujus quidem ſanctitatem circumſedentibus enarravit, eos ad eum in tanto periculo invocandum ſic inflammando exhortans. Omnes itaque, jam maris naufragio incumbente, beati Geraldi opitulationem unanimiter petierunt. quorum quidem petitio à Deo exaudita eſt. Nam pro beati Geraldi reverentia magna repentè tranquillitas eis à Chriſto facta eſt. Ad portum namque ſalutis ſine detrimento pervenerunt.

XXXIV. Sanè quidam monachus, Pelagius nuncupatus, qui beato Geraldo viventi ſedulus comes extitit, dum quadam die de actione obedientiali rediret, ad flumen Cadavum acceſſit, ſed tranſmeare nequivit. In altera nimirum partæ ripæ, nullo homine exiſtente, lembus exiguus conſiſtebat. Pelagius verò monachus undique circumſpiciens, & quærens qui ſibi miniſtraret & lembum adduceret, nullum tranſeundi conſilium potuit reperire. Quia verò feſtivæ diei, qui in ſede metropolitana erat celebrandus, intereſſe ſatagebat, animum ejus anguſtia tranſeundi vehementiùs momordit. Ad ultimum valde gemens, & ſuſpitans, domini ſui, beati videlicet Geraldi, conſuetæ miſericordiæ conſolationem, ne ſolemnitatis officio careret, medullitus poſtulavit. Ad hæc verba, quod eſt mirabile dictu, lembus per ſe ſolus ſine aliquo ductore à ripa dilapſus medium fluminis alveum ſulcando uſque ad Pelagium monachum in altera ripa exiſtentem procul dubio pervenit. Nec mirum; quia qui dæmoniacos curabat & ægros ſanabat, ad lignum per aquam tranſducendum profectò compos potuit eſſe. Pelagius itaque monachus cum tanto virtutis miraculo flumen tranſmeavit, & quid & qualiter ſibi contigerat ſodalibus Bracarenſibus enarravit.

XXXVI. Quidam autem homo morabatur in villa quæ Siccaria nuncupatur, qui habebat filium

ab aurium, oculorum, manuum, & pedum officio destitutum. Hic nimirum ad pedes beati confessoris præsentatus, immobilis quasi truncus ibi permansit, assuetæ clementiæ præstolans auxilium. Nec mora, libertas membris reddita est ; & membrorum usus officio, virtutis manifestæ testimonium ostendens, ad propria absque vehiculo reversus est.

XXXVII. Ego verò Bernaldus natione Gallicus ad partes Bracarensium à beato Geraldo ductus, & ab eodem ad archidiaconatus apicem in Ecclesia Bracarensi promotus, quod mihi mirè accidit in commune volo deducere. Artificio namque medicaminis humorum superfluitates opportunitate temporis exigente detrahere consueveram ; sed obsequio egregiæ Reginæ Tharasiæ, cui ad tempus serviebam, occupatus usum medicinæ pro consuetudine implere nequivi. Vnde humores extra cursum naturæ defluentes, in gutture modo apostematis collectionem adunarunt. Quod nimirum apostema usque adeo crevit quòd mihi anhelitus penè intercluſus est. Esca enim & potus præ nimia angustia per hisophagum transglutiri nequibant. Tanta suffocatione coartatus loquelam amiseram. Multis & diversis medicaminibus adhibitis tantum apostematis malum dimovere tentavi. Duritia tandem tantæ collectionis invalescente, me colla neci dare penitùs existimavi. Pecuniarum facultates Clericis, monachis, pauperibus distribui, jam de vita corporali desperatus. Ad ultimum verò patrocinii quod sanctus Geraldus oppressis & infirmis facere consueverat reminiscens, ad sepulcrum ejus, quamvis corpore debilitatus, cucurri, & diutiùs ibi lacrymatus sum, inter quas lacrymas verba in hunc modum protuli dicens. O beate & sanctissime confessor Geralde, ad memoriam quæso reducas quia ad hujus regionis climata me quondam perduxisti,

& me in Clericum sublimasti, atque Ecclesiæ Bracarensi me mancipare præcepisti. Pro tua igitur jussione Ecclesiæ Bracarensis qualiscunque coadjutor procurationem ejus pro scire & pro viribus meis utcunque sustentavi. Locum tuæ sepulturæ relinquere non præsumpsi, opitulationis tuæ confidentiæ vehementer innixus. Nunc autem gravissima ægritudine molestatus, quasi exul & advena in alieno cespite mori compellor. Tuam igitur clementiam suppliciter deposco quatinus apud Dominum tuum Iesum Christum, cui fidele & legitimum exhibuisti servitium, medelam salutis mihi impetres, ut restituta sanitate deinceps dignam sine labe vitam valeam ducere, ipso eodem juvante sine cujus gratia nemo veram salutem adipiscitur. Sæpe hanc orationem replicando, in Ecclesia beati Nicolai ante sepulcrum ejus vigilias tota nocte perduxi. Mane autem facto domum repetens, ad statum meum reversus sum, beati confessoris virtute me comitantes. Nam tussicula me repentè invasit, & ex inspecto gutturis apostema crepuit, & ita Dei omnipotentis & beati Geraldi gratia imminens mortis periculum evasi.

XXXVIII. Copia ergo signorum quæ à beato confessore facta sunt me minùs sufficientem ad proferendum per singula reddidit, cùm etiam præ multitudine scire, necdum illa scribere, nequiverim. Quicunque enim in Bracarensi episcopio demorans ægritudinis molestia in corpore imminet, si ad sepulcrum ejus properat, statim doloris remedium procul dubio sentit. Alij verò longè distantes, & pre magno objectu terrarum glorioſi corporis præsentiam adire non valentes, si aliqua corporis passione fuerint molestati, pro sola sancti Geraldi invocatione sanitatis medelam consequuntur. Plures etiam in mari navigantes, si quando eis tempestas oriatur,

sanctitatis ejus nomen unanimiter invocantes, tranquillitatem securi sine mora suscipiunt In Ecclesia autem beati Nicolai, in qua sanctissimum corpus ejus requiescit, plurimæ cereæ effigies ante sepulchrum ejus dependentes, quas scilicet qui infirmantur illuc transmittant, argumentum tanti patroni sanctitatis visibile profecto ostendunt. Quicunque enim capitis aut ceterorum membrorum molestiam patitur, ad instar membri dolentis imaginem de cera compositam illuc dirigit, & statim sanitatem sine dilatione consequitur. Omnes itaque qui diversorum criminum vulneribus sauciati jacemus, hujus beati confessoris propitiationem medullitus deposcamus, quatinus ipso mediante & intercedente perfectam nanciscí salutem valeamus à Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum.

INCIPIT TRACTATVS DE conversione Pontij de Larazio, & exordij Salvanienſis monaſterij vera narratio. Auctore Hugone Francigena monacho ejuſdem monaſterij.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis unius veræ & summæ sempiternæque & ineffabilis deitatis patris & filij & spiritus sancti. Ego frater Hugo omnium minimus monachorum pro capacitate sensus mei & ingenij modulo qualicunque stili officio referre curavi monasterij nostri, videlicet Salvanienſis cænobij, prima principia, & quasi infantiæ ipsius prima cunabula ad memoriam studui revocare, qualiterque cura cælestis gratiæ, velut bonæ nutricis studio diligentiaque, in virile robur excreverit, & in ipsum statum, quem modò habere

decernitur, protegente Deo pervenerit, conatus ſui
litterarum tradere monumentis ad honorem & glo-
riam & laudem illius qui de minimis magna face-
conſuevit, qui de quinque panibus quinque milli
hominum ſatiavit, immo qui in principio mundi de
nihilo cuncta creavit ad memoriam etiam futuro-
rum, quatenus cognoſcat ſucceſſionis noſtræ po-
ſteritas omnis à qualibus quantiſque patribus reli-
gio domus noſtræ ſumpſerit exordium, ut bonæ ar-
boris generoſa radice cognita, ſecundùm generis ſui
ſpeciem fructus afferre ſtudeant qui maneant ſemper
immarceſcibiles ad teſtimonimm & laudem & glo-
riam arboris hujus pulcherrimæ, videlicet Salva-
nienſis Eccleſiæ matris noſtræ, quam ab initio cœle-
ſtis agricolæ manus tamquam humile virgultum ſem-
per excoluit & excolere ſemper non deſinit, incre-
mentum ei tribuens & augmentum, irrigans eam
plurimis beneficiis tamquam cœleſtibus pluviis, cu-
jus ſtudio diligenti atque inter cetera ligna ſilvarum
jam in tantum cacumen extulit ut operiat monte
umbra ejus; in qua ſpirituales animæ diverſarum vir-
tutum pictæ coloribus, tamquam cæleſtes aves nidi-
ficantes, ſtudiorum bonorum fœtus enutriunt, ſi-
mulque vocibus aſſiduè laudes reſonant creatori.
Simplices etiam quique atque manſueti tamquam
animalia Dei bona ſub umbra ejus ab æſtu carnalium
vitiorum jugiter requieſcunt, ſecundùm illud pſal-
miſtæ: *Animalia tua habitabunt in ea.* Sed ſi ali-
quis fortè me reprehenderit quòd in talem tantam-
que materiam mittere manus præſumpſerim, homo
ingenio hebes, eloquio impeditus, & nullius fere
ſcientiæ, ſciat hujuſmodi me non præſumptione te-
meraria ductum aut inanis vento gloriæ promotum,
ſed ſalutaris obedientiæ vinculo conſtrictum hoc in-
cepiſſe, præcipiente hoc mihi Domino Pontio Ab-
bate meo & ſingula ſuggerente quæ vel ipſe vidit ab

initio, vel audivit ab eis qui viderunt & interfuerunt, immo ab ipsis qui primi institutores & fundatores hujus loci fuerunt, nonnullis etiam de fratribus nostris hoc attestantibus, qui solo auditu cuncta didicerant. Sed illorum testimonio innititur magis nostra narratio qui ab initio cuncta noverunt, & laboris & patientiæ participes extiterunt, videlicet Hugonis Presbyteri & Raimundi Alzarani, de quorum testimoniorum veritate nullus permittitur dubitare. Sed hæc præfationis loco dicta sufficiant.

II. Regnante igitur Ludovico filio Philippi, Domino Petro Episcopo præsidente cathedræ Lodovensi, Domino nostro Iesu Christo imperante in cœlo & in terra & in mari, fuit vir unus in Lodovensi pago, Miles officio, nomine Pontius de Larazio, quod erat castrum ejus inexpugnabile. Hic secundùm seculi dignitatem genere clarus, opibus dives, possessionibus felix, ingenio acer, viribus potens, armis strenuus, municipio firmus, & in omni gloria seculari conspicuus inter ceteros eminebat; qui in primæva quidem ætate secularia desideria sectatus, multis vicinorum suorum extitit importunus. Quosdam enim sermonum astutia circumveniebat, alios armorum violentia perturbabat omnes verò quoscunque poterat rebus propriis viduabat, die noctuque rapacitatis actibus insistebat. Qui licèt isto vitio notaretur, per cetera tamen non minùs reprehensibilis habebatur. Sed pius Dominus, qui non mortem peccatoris sed pœnitentiam desiderat, qui quibus vult miseretur, & quos vult indurat, cor ejus timoris sui jaculo percussit, & à pristinis eum actibus penitùs immutavit. In semetipsum namque rediens, considerare cœpit mala quæ fecerat, pensare judicium quod talibus actibus imminebat; & tactus dolore cordis intrinsecus, totus ad pœnitentiam est conversus; & ut deleret maculas criminum, die noctuque deduce-

bat flumina lacrymarum. Dumque assiduè secum tacitus cogitaret quomodo vel quali satisfactione iram superni judicis placaret, quibusve actibus ejus misericordiam impetraret, placuit ei subitò ut seculum omne desereret, & residuo vitæ suæ tempore deinceps pœnitentiæ actibus vacaret. Sed quia uxorem habebat, sine cujus assensu hoc facere non valebat, consilij sui ei secretum credidit, utque ipsa taliter faceret magnis precibus exoravit. Quæ, ut erat nobilis genere, mente nobilior, piis viri votis libenter annuit. Pietatis tamen mota visceribus, & tota perfusa lacrymis, patrem pro suis liberis exoravit. Filium namque & filiam habebat, quorum affectu maternum pectus pietas agitabat, Sed pater providus, dum bene sibi cavere studuit, etiam filiis bene cavit. Matrem enim & filiam cum magna suæ portione substantiæ in monasterium virginum quod Drinonia dicitur honorificè collocavit. Filium verò in monasterio Lodovensi, quod sancti Salvatoris dicitur, monachorum cœtui sociavit. Et hæc fuit prima ejus oblatio, quam gratam obtulit trinam trino.

III. Cùmque vicini ejus & amici omnes pariter mirarentur, & secum singuli quærerent quid agere vellet vel quid disponeret, cogitantibus omnibus in corde suo, atque dicentibus aliis quidem sic, & aliis sic, amicorum turba familiaris eum alloquitur, volentibus omnibus scire quid animi haberet vel quid facere cogitaret. Quibus ille cordis sui propositum per ordinem enarravit; & hac occasione accepta, de contemptu mundi, de timore judicij divini, de pœnitentiæ fructu, de pœnis malorum, de gaudio beatorum sermonem faciens, ut erat disertus atque facundus, licèt laicus, luculentissimè peroravit. Cujus eloquio inflammati quidam atque compuncti, omnem mundi fastum spernentes, ad pœnitentiam protinus sunt conversi, & ei jugiter adhærere

deinceps

deinceps cupientes, societatem ei inseparabilem promiserunt, dextras dederunt, parati cum illo & in mortem & in vitam ire. Ex quibus primus fuit Raymundus de Pireto bonæ memoriæ vir, qui in monachali conversatione postea floruit. Secundus Guiraudus Presbyter, tertius Petrus Alzarran Miles, quartus Guillelmus de Rota, quintus Hugo Magnus, sextus Guillelmus Desparron. Septimus ipse fuit, qui eos verbo & exemplo convertit. Vt ipso numero daretur intelligi eosdem ipsos illuminatos gratia septiformi ad perfectionem venturos conversionis & vitæ, qui à perfectò numero incepere.

IV. Carnalis igitur amoris vinculis absolutus, & societate sibi à Deo parata factus robustior, evangelicum præceptum illud aggreditur quo Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Factoque præconio, possessiones suas emptoribus omnes exposuit. Tunc multi homines, Milites & pagenses, divites atque mediocres, Clerici & laici, refertis marsupiis undique convenerunt, quod cuique placuerat bene sibi emere cupientes. Et cùm eis pecunia defecisset emptis jam plurimis, & adhuc plurima emenda supereſſent; etiam de pretio emptoribus dedit consilium, dicens se pro pretio accepturum animalia cuncti generis jumentorum, nec non & terræ fructus omnes quibus alitur vita mortalium. Quod certa de causa facere voluit, sicut ex sequentibus apparebit. Ipse enim sciebat quid esset facturus. Factum est igitur ut distractis immobilibus universis, rerum mobilium haberet plurimam multitudinem, in equis videlicet & equabus, mulis, mulabus, bubus & vaccis, ovibus & capris, & aliis multis quæ denumerare longum est. Cùmque secundùm Domini præceptum distribuere cuncta vellet egentibus, Ecclesiis, & monasteriis,

hoſpitalibus & ſenodochiis, pauperibus atque pere-
grinis, viduis & pupillis, minùs Deo acceptum hoc
fore credidit niſi ea primitus redderet quæ violenter
quondam abſtulerat. Mittit ergo nuntios per pro-
vinciam circumquaque, per civitates, & caſtella,
villaſque, ubicunque conventus hominum fiebant
cauſa mercatus ſive nundinarum, & per Eccleſias,
qui publicè proclamarent, ut omnes quibuſcunque
Pontius de Larazio vel aliquid debebat vel aliquid
per vim abſtulerat, ad eum venirent apud villam quæ
Peguerolas dicitur ſecunda vel tertia vel quarta fe-
ria poſt ſolemnitatem palmarum, ſua ſinguli recepturi. Erat enim proximum Paſcha, dies feſtus Chriſtianorum.

V. Adveniente igitur die dominica quæ in ramis
palmarum dicitur, de ſua ſalute bene ſollicitus, apud
Lodovam poſt proceſſionem lecto evangelio, ſtante
Epiſcopo cum Clericis ſuis, ſuper gradum qui factus
fuerat ad loquendum in platea circumſtante populo
venit Pontius de Larazio cum ſociis ſupradictis nu-
dus & diſcalciatus. Ducebatur autem à quodam col-
lo ejus innexo vinculo ligneo quod vulgò redorta di-
citur, tanquam maleficus; & qui eum ducebat, vir-
gis eum aſſiduè flagellabat. Sic enim ipſe fieri juſſe-
rat. Perveniens itaque ad Epiſcopum tamquam ſer-
vus fugitivus qui à bono domino receſſiſſet, per ma-
nus illius ſe Deo reddidit, flexis genibus veniam poſ-
tulavit, chartam quam manu ferebat, in qua peccata
ſua cuncta deſcribi fecerat, Epiſcopo tradidit, & ut
in auribus totius populi legeretur, multis precibus
exoravit. Epiſcopus verò ejus verecundiæ parcens
hoc fieri primùm prohibuit; ſed ipſe in petitione ſua
inſtantiſſimè perſeverans, ut hoc fieret tandem ob-
tinuit. Itaque Epiſcopo concedente charta legitur.
Ipſe verò in confractione perſiſtens cum virgis cædi-
tur, & ut duriùs cædi debeat enixiùs deprecatur,

tantorum criminum se reum esse viva voce fatetur, solum lacrymis rigabat, omnemque populum in fletum & lacrymas commovebat. Omnes quicunque aderant mirabantur, & eum affectu nimio venerabantur, ejus pœnitentiam prædicabant, eumque Dominum respexisse veraciter affirmabant. Precabantur etiam pro eo, ut qui ei pœnitentiæ dederat gratiam, donaret etiam in bono perseverantiam. Fuit autem ista confessio utilis & necessaria, non solùm ei qui confessus est, sed & aliis multis qui verecundiæ pudore timidi peccata sua celaverant, nunc autem ejus animati exemplo, dum eum sic confitentem viderunt, ad confessionis & pœnitentiæ lavacrum cucurrerunt.

VI. His igitur ita gestis, & solemnitate ramorum rite peracta, ad Ecclesiam itum est. Altera autem die, id est, secunda pœnalis hebdomadæ, nec non & tertia & quarta feria, affuerunt loco quem suprà diximus clamatores multi ex diversis partibus congregati, quæ quondam amiserant sua singuli requirentes. Convenientes igitur ante ipsum velut ante judicem, de ipso tamquam de reo ipsius tamquam testis testimonium contra se flagitant. Ipse verò sui ipsius accusator & judex, reus & testis, omnes judicij personas in se suscipit, dum omnibus satisfacere cupit; accusat se ipsum, testimonium contra se perhibet, se ipsum judicat tanquam judex, pœnam suscipit ipse reus. Tandem singulorum pedibus provolutus, in primis veniam postulabat, deinde secundùm quantitatem amissorum de suis facultatibus singulis perdita restaurabat. Et quoniam, sicut suprà diximus, diversorum animalium multitudinem possidebat, necnon & pecuniæ omnis quæ in usus hominum est necessaria, qualia quisque amiserat talia recipiebat, ut non tam aliena recepisse quàm sua propria invenisse se crederent. Maledictiones igitur antiquas in bene-

dictiones convertentes, valedicentes & benedicentes ei, cum gaudio ad propria sunt reversi.

VII. Tunc pagensem quendam vicinum propè videns adstare dixit: Heus, inquit, tu quid expectas? Quare clamoris tui causam non indicas? Ego, inquit ille, Domine mi, adversùm te clamoris causam non habeo; sed multùm te laudo & benedico, quia in multis me adjuvasti, & in causis plurimis contra adversarios mihi patrocinium præbuisti; nihil unquam mihi nocuisti, nihil injuriæ intulisti. Ad quem ipse: Immo, inquit, tibi nocui; malum feci, damnum intuli; sed tu forsitan ignorasti. Numquid tali tempore, tali nocte, gregem tuum de caulis tuis non perdidisti? Perdidi, inquit ille, Domine mi, verè perdidi, sed quis mihi damnum fecerit, ignoravi; te damni mei conscium non agnovi. Ego, inquit Pontius, illud feci, per satellites & complices meos totum egi. Quapropter, obsecro, da mihi veniam, & postea quod tibi abstuli reddam. Indulgeat, inquit, tibi Dominus de cœlo. Nam ego hoc tibi libenter remitto. Accipe, inquit, animalia hæc quæ remanserunt, & sint tibi loco eorum quæ tibi aliquando perierunt. Tunc ille pecuniam illam susceptit, de cœlo eam lapsam credidit; & eum qui damnum sibi aliquando fecerat, non malefactorem, sed magni muneris largitorem cum gaudio prædicabat.

VIII. Ipse verò de facultatibus suis, quæ superfuerant, egentibus cuncta distribuit, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* Feria autem quinta, quæ & cœna dominica nuncupatur, tredecim pauperes assumpsit, cibis tempori convenientibus copiosè refecit; pedes lavit, lacrymis rigavit, capillis tersit, & omnia secundùm Domini mandatum fideliter adimplevit.

IX. Vespere autem facto, cùm sol occidisset, dominicæ passionis nequaquam immemor, noluit dare

somnum oculis suis nec palbebris suis dormitationem; sed sicut Dominus noster Iesus Christus eadem nocte ad passionem pro peccatoribus perferendam spontaneus properavit, sic & ipse ad labores pœnitentiæ perferendos spontanea voluntate exiens, passionum Christi particeps effici voluit, ut resurrectionis & gloriæ consors effici mereretur. Igitur ipse & socij ejus cum eo pariter intempestæ noctis silentio egredientes de terra sua & de cognatione sua & de domo patris sui, nil præter simplicem vestem, & ipsam vilem & religioni congruam, baculumque & peram singuli deferentes, peregrinationis iter arripiunt quod ducit ad sanctum Guillelmum. Ibant autem pedibus nudis. quod in usu minimè habebant, & ideo duriùs hoc ferebant. Via autem qua incedebant, non solùm nudis pedibus ambulantibus, sed etiam calciatis, & equitantibus, & etiam per diem pergentibus valde difficilis. Est enim amfractibus tortuosa, collibus elata, vallibus demissa, lapidum fragmentis aspera & tota horribilis; qua dum incedentes sermocinarentur, & se ad pœnitentiæ labores perferendos invicem cohortarentur, nescio quo divino judicio accidit eis quiddam triste atque terribile. sed credo quòd voluntas Dei fuit ut tentarentur, tentati probarentur, & territi purgarentur. Nam subitò ventus vehemens irruit à regione deserti, qui concussit cælum, & turbavit aëra. Tunc luna, quæ priùs fulgebat, delituit subitò, stellarumque globi omnes pariter aufugerunt; sed & densa nubes montes operuit, & tenebræ factæ sunt. Tunc mugire tonitrua, fulgura coruscare, lapidesque grandinis ruere cœperunt. Irruit super eos formido, & pavor magnitudine tempestatis. Tandem inter coruscationes crebras consideraverunt & inspexerunt sibi locum habitationis cujusdam, qui factus est eis in securitatem & in absconsionem à turbine & à pluvia,

Priùs tamen quàm ad illum venirent, tanta passi sunt ut meritò de eis dicatur quòd lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt. Mane autem facto, ibant gaudentes in conspectu Domini, cùm digni habiti sunt pro amore ejus aliquem laborem pati.

X. Tandem ad sanctum Guillelmum perventes, multitudinem ibi Militum aliorumque hominum invenerunt, qui ex more convenerant, sicut omni anno faciunt die ista, ad adorandam crucem; cum quibus & ipsi vivificum lignum, in quo nostros actus actor luit hostia factus, devotissimè adoraverunt. Cùmque eorum humilitatem & devotionem pariter omnes mirarentur, cognovissentque quòd Lodovenses erant, eò ampliùs eos venerabantur. Aderat autem inter eos vir quidam potens & dives, videlicet Raymundus Petri de Aguantico, qui eos multis precibus exoravit & opidò coëgit ut in die dominicæ resurrectionis apud Aguanticum cum illo manerent ob honorem tantæ solemnitatis: qui acquiescentes ei abierunt cum illo, fueruntque ibi altera die, quæ est post Paraseven, & die dominicæ resurrectionis; audieruntque ibi Missarum sacrosancta solemnia, & dominici corporis & sanguinis viaticum susceperunt.

XI. Altera autem die, id est, secunda feria paschalis hebdomadæ, valedicentes hospiti, iter apud sanctum Iacobum sunt aggressi, illum in peregrino habitu quærentes & invenire omnimodis cupientes qui, sicut in eadem die legitur, in peregrino habitu duobus discipulis euntibus in Emaus apparuit, in quo itinere quot labores quotve cruces passi sint in labore & ærumna, in vigiliis, in jejuniis, in fame & siti, in frigore & nuditate, solus ille novit qui eorundem laborum remunerator & testis fuit. Dedit autem eis Deus gratiam in conspectu omnium qui viderunt eos ut ex ipsa vultuum specie facilè omnes

agnoscerent eosdem viros esse virtutis & verè religiosos. Vnde quæ victui eorum erant necessaria multi eis libentissimè ministrabant. Si quando verò divites eis plurima obtulissent, tantum inde accipiebant quantum ad ipsius diei victum sufficere poterat, cetera reddebant. coacti verò eadem retinere, pauperibus ilico dividebant ; & ne in pecunia spem ponere viderentur, quam in Deo totam posuerant, nihil in posterum reservabant, credentes ei qui dixit, *Nolite cogitare de crastino*, & illud: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adicientur vobis.* Quapropter absque ciborum sustentamento dies plurimos transegerunt; sed non minùs Deo gratias reddiderunt. In omni autem itineris spatio maxima illis cura fuit atque præcipua sanctorum loca invisere, religiosos viros ubique quærere, orationum suffragia postulare, modum etiam vitæ addiscere quo omni tempore deinceps possent Domino innocenter servire.

XII. Fuit autem omnium qui eis consilium dederunt una sententia, intentio eadem, idem sermo, idem consilium ; quippe qui uno spiritu omnes edocti fuerant, dicentibus omnibus atque laudantibus illis ut eremi loca incolerent, labore manuum victum acquirerent, in quo in simplicitate atque puritate vitæ Deo servirent, & religionis suæ heredes post se relinquerent. Quod consilium maximè roboravit atque intimavit eis Archiepiscopus Iacobensis, qui quidem in episcopatu suo primitus eos voluit retinere & locum congruum eis assignare ; sed postea intra se cogitans quòd si inter homines alterius linguæ remanerent, parum proficere possent, & dum loquentes non intelligerentur, barbari à barbaris haberentur, ad notas regiones illos remittere studuit, in sancto proposito perseverare monuit, & de Dei bonitate præsumens, à Deo eis grandia repromisit. Cu-

jus sermonibus roborati, benedictione firmati, per aliam viam revertentes in regionem suam, Michaëlis archangeli memoriam, quæ in monte sita est in periculo maris, adierunt, beati Martini Turonensis Ecclesiam visitarunt, sancti Martialis causa Lemovicas abierunt, beati Leonardi basilicam intraverunt, ad ultimum Ruthenensem urbem ingressi, cùm ad Ecclesiam beatæ Dei genitricis & Virginis Mariæ orarent, Episcopo nunciati & ab eo vocati sunt.

XIII. Ipse erat domnus Ademarus Ruthenensis Episcopus, piæ memoriæ & magnæ auctoritatis vir; qui cùm cognovisset quòd Lodovenses homines erant noti & vicini, nobiles etiam atque generosi, cum magna veneratione & alacritate eos suscepit; votum eorum etiam cognoscens, se eis in omnibus profuturum, consilium & auxilium collaturum repromisit, si in episcopatu suo remanere vellent. Comes etiam Ruthenensis audiens quòd Pontius de Larazio in episcopio esset, voluit eum videre tanquàm sibi notum & familiarem Militem & quondam amicum suum: cujus cùm desiderium agnovisset, pollicitus est ei semper se adjutorem & defensorem in omnibus affuturum. Obtulit etiam eis loca quædam ad monasterium construendum tam ipse Comes quàm Episcopus, videlicet villas & Ecclesias desertas. Sed ipsi hominum frequentiam fugientes, secreta sylvarum nemorumque magis abdita desiderabant.

XIV. Quapropter cum gratia Comitis & Episcopi benedictione recedentes, venerunt in terram quæ Camares nuncupatur. quæ terra nemorosa est, & silvis obsita, ardua montibus, devexa collibus, irrigua fontibus, rivis, atque fluminibus; in qua dominabatur vir quidam magnus & potens, qui Arnaldus de Ponte dicebatur. Cognoscebant autem eum ex multo tempore, scientes quia homo erat benevo-

lus & lætus, & ad omne opus virtutis promptus. Qui venientes eos ad se conspiciens, antequam eos cognosceret dixit eis: Quid veniunt ad me domini mei, aut quid volunt? ad quodcunque volueritis scitote me esse paratum. Postquam autem eos recognovit, cum honore magno & devotione suscepit, causamque propter quam venerant diligenter inquisivit. Cui respondentes, locum aliquem religioni congruum, ab hominibus remotum atque secretum, ubi manerent & Domino servirent, se quærere confessi sunt. Quis, inquit, his votis vestris satisfacere potest sicut ego, aut quæ terra convenientior tali proposito poterit inveniri? Ecce terra coram vobis est. Vbicunque vobis placuerit manete; ædificate, seminate, plantate, novellate, & orate pro me. At illi elegerunt sibi quendam locum qui antiquitus Silvanium dicebatur; quem ipsi sive successores eorum Salvanium vocaverunt, *i* mutato in *a*; ut qui ante Silvanium à silvis dicebatur, Salvanium à salvatione deinceps diceretur; in quo casulas propriis manibus fabricantes, manserunt bestiis sociati, cotidiano tamen labori insistentes, dumeta falcibus resecantes, terram ligonibus proscindentes, locum habitabilem ex inhabitabili reddiderunt.

XV. Tunc fama religionis eorum circumquaque diffusa, ad aures pervenit vicinorum Pontificum, Ruthenensis scilicet, atque Lodovensis, sive Biterrensis, deinde ad totius populi. Tunc plurimi eos visitare cœperunt, munera offerentes, eos in omnibus adjuvantes. Quod maximè feciſſe noscuntur homines Lodovenses, sicut in sequentibus pleniùs ostendemus.

XVI. In tempore illo facta est fames incomparanda in illa regione. Negavit enim terra fructum cultoribus suis, & luxerunt omnes qui colebant eam, cùm spe sua frustrati fuerant; & illusi

Cereris fide, quernas ibant ad arbores. In anno il-
lo, secundùm Isaiæ vaticinium, triginta modii semen-
tis vix feciſſe dicuntur modios tres, & decem juge-
ra vinearum vix implere potuerunt lagunculam
unam. Tunc apud Salvanium congregata eſt paupe-
rum multitudo & gens magna qui obſederunt do-
mum in circuitu tamquam exercitus, omnem vitæ
ſuæ ſpem in ejus alimoniis collocantes. Erat autem
domui illi & fratribus illis ab initio inolita conſue-
tudo, & quaſi pro lege tenebatur omnes hoſpites
recipere, alere agentes, pauperes recreare, nudos
veſtire, mortuos ſepelire, & cetera pietatis & mi-
ricordiæ opera adimplere. quæ conſuetudo uſque in
præſentem diem ſecundùm loci poſſibilitatem fa-
vente Deo durare cernitur. Videntes autem fratres
tantorum pauperum multitudinem, conturbati &
contriti dixerunt alter ad alterum: Aut fugiendum
nobis eſt de loco iſto, aut moriendum cum iſtis. Vi-
dete quid faciendum nobis ſit. Quis eos vel paucis
diebus poterit ſuſtinere. Si enim locus iſte cum do-
mibus & habitatoribus ſuis panis eſſet, à tanta mul-
titudine brevi tempore devorari poſſet.

XVII. Tunc Pontius de Larazio murmur eorum
compeſcuit dicens: Si fugere, inquit, voluerimus,
non effugiemus. Neque enim patet evadendi via,
neque ab oriente, neque ab occidente, neque à de-
ſertis montibus, cùm Deus judex eſt. Denique qui
ad fugam properant, victos ſe eſſe demonſtrant; &
victos ignominia, victores verò gloria manet. Nos
autem non ad fugam venimus, ſed ad pugnam. Stare
ergo nos oportet, non fugere, & viriliter decertare,
quia non coronabitur niſi qui legitimè certaverit.
Recordamini priſtinos dies converſionis veſtræ, in
quibus magnum certamen laboris & patientiæ per-
tuliſtis, & quomodo de omnibus tribulationibus &
anguſtiis liberavit vos Dominus; & nunc credite

quòd similiter vobis subveniet. Mementote quòd olim populum Israël quadraginta annis, absque pane terreno, cœlesti manna pavit Deus in solitudine, & in diebus Heliæ in Sarepta Sidoniæ viduam & domesticam ejus familiam cum Propheta multis diebus pavit ex hydria farinæ & lecytho olei, ita quòd hydria farinæ non defecerit, & lecythus olei non est imminutus. Sed & in tempore Helisei, quando obsessa est Samaria, & obsessi famis angustia periclitabantur, Deus in una die tantam eis ciborum abundantiam contulit ut modius similæ statere uno esset, & duo modij hordei statere uno, in porta Samariæ. In evangelio etiam audistis Dominum ex quinque panibus quinque hominum millia satiasse; post quorum refectionem Apostoli duodecim cophinos fragmentorum substulerunt ex quinque panibus illis quæ superfuerant illis qui manducaverant. Numquid invalida facta est manus Domini ut nunc talia facere non possit? Tantus est nunc quantus erat tunc. Non potest esse minor, non potest esse major. Credamus in eum, fratres, quòd omnia possibilia sunt credenti. Spem nostram omnem ponamus in eo, quia ipse est liberator omnium sperantium in se. Timeamus eum, scientes quòd voluntatem timentium se faciet. Diligamus eum, quia custodit omnes diligentes se. Sed nunc tempus postulat, fratres, ut iterum faciatis quod olim feciste vos meministis. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, olim propria, nunc communia. Ecce habetis boves & oves, jumenta & pecora. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ nihil remaneat quod non vendatur & detur egenis fratribus. Fratres etenim nostri sunt, eundem patrem habent nobiscum Deum, cui omnes dicimus *Pater noster*. Eodem pretio redempti sunt quo nos, id est, sanguine Iesu Christi. Quòd si post omnia nos mori contigerit, moriamur omnes in simplicitate nostra,

scientes quòd sicut Christus pro nobis animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere. Interim ego vadam ad optimates populorum qui sunt in seculo, & pro mendicis mendicus ipse efficiar. Et his dictis, asellum ascendit; ferulamque manu bajulans, profectus est.

XVIII. Fratres verò cuncta quæ possidebant vendere parabant, sicut ipse jusserat. Quod audiens Dominus Arnaldus de Ponte, hoc fieri modis omnibus prohibuit, timens ne iterum locus in solitudinem deveniret; & aperiens horreum suum, dedit eis alimentorum quippiam, unde pauperes vel pauco tempore sustentarentur. Tunc videns Dominus fidem illorum, dedit benedictionem suam super domum illam à die illa & deinceps. Nam si quando pauca grana molari machina frangebantur, farina collecta dolia replebantur; & quando conspersiones fiebant, divinæ benedictionis fermento magides redundabant; & cùm in parva forma clibanus panes suscipiebat, in magna reddebat; & quando iidem panes frangebantur, magnæ sportulæ implebantur, quæ à dantibus vix evacuabantur. Multiplicabatur enim magis dispendio panis suo, & edentium sub dentibus crescebat in ore cibus. Et ita benedictionis divinæ gratia redundante pastus est populus ille in ista eremo quasi cœlesti manna toto illo tempore usque ad tempus novarum frugum.

XIX. Pontius verò de Larazio post paucos dies rediens, & ipse benedictionis divinæ consolationem non minimam afferens, lætificavit domum & habitatores ejus universos. Audiens verò quanta Deus fecisset mirabilia gavisus est gaudio magno valde. Et omnes cum eo pariter benedicebant Dominum in hymnis & confessionibus, dicentes: *Quia memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Expleto autem

tempore usque ad nativitatem sancti Iohannis Baptistæ, in ipso die convivium fecit populo; & refectis omnibus abundè, valedicens omnibus, jussit eos abire ad loca sua in nomine Domini. Illi autem profecti prædicaverunt ubique dicentes quòd verè Dominus est in illo loco, & non est aliud ibi nisi domus Dei.

XX. Deinde pauco tempore in tantum locus profecit & excrevit, non tantùm rebus, sed etiam religiosis personis & possessionibus, ut abbatiæ construendæ & tenendo ordini idoneus diceretur. Facta est ergo contentio inter eos quis ordinum videretur esse major, aliis laudantibus ordinem Cistercienſium, aliis verò ordinem Carthusienſium, quibusdam etiam sanctimonialium virginum monasterium construere dicentibus dignum. Tunc hanc causam ponere placuit in arbitrio Carthusienſium. Ob quam causam Pontius de Larazio pergens Carthusiam, Priori ceteriſque fratribus causam exposuit. Qui inspecta regula veritatis, præ ceteris cunctis ordinibus Cistercienſium ordinem laudaverunt, eumque potiùs expetendum eidem Pontio mandaverunt. Cui consilio hoc insuper addiderunt, ut de illa abbatia ordinis quæ loco illi vicinior videretur, ordo deduceretur, ne in eundo sive redeundo laborem nimium paterentur.

XXI. Tunc Pontius de Larazio vale faciens illis, ad Mansum Adæ venit, capitulum intravit, per manus Domni Petri Abbatis, qui tunc eidem loco præerat, Salvanienſem domum Cistercienſi ordini reddidit, & Abbati eidem prædictæ domus curam imposuit. Tunc Domnus Petrus primus Mansiadæ Abbas piæ memoriæ, vir sanctus & Deo dignus, viros quosdam electos illuc direxit, qui officinas aptarent, & locum ordini præpararent. Fratres verò Salvanienſes ad se venire præcepit, & eos secundùm

regulam beati Benedicti per annum probatos & eru-
ditos monachali habitu induit, benedixit, atque re-
misit. Ex quibus unum virum sapientem & bonum,
litteris eruditum, videlicet Domnum Ademarum,
illis præposuit, & Abbatem esse constituit, domus
curam illi tradidit, & dimisit.

XXII. Tunc primùm Salvaniensis Ecclesia in
abbatiam surrexit, anno videlicet ab incarnatione
Domini millesimo centesimo tricesimo sexto. Tunc
in ea religio cœpit florere, ordo succrescere, cari-
tas fervere. Tunc illustres viri & fideles homines de
rebus & possessionibus suis dare ei plurima cœpe-
runt, & non solùm vicini, sed etiam ex longinquis
partibus, atque transmarini. cujus etiam domus reli-
gio Principes orbis non latuit, qui ob salutem & re-
demptionem animarum suarum sua illuc munera
transmiserunt. Fecit hoc Imperator Constantinopo-
litanus, hoc etiam Siciliæ Rex sive Dux Rogerius,
hoc & mirabilis vir & sua sanctitate & devotione
toto orbi cognitus Comes Theobaldus, hoc & multi
alii, qui in æternæ beatitudinis albo conscripti, de-
votionis suæ à Domino præmia receperunt. Inter
quos præcipuè recensendus & æternæ memoriæ com-
mendandus est vir quidam nobilis & dives Guille-
mus nomine, qui de transmarinis partibus ad con-
struendam Salvaniensem Ecclesiam misit ducentas
marchas argenti; cujus memoria in benedictione in-
ter speciales amicos & familiares nostros, non so-
lùm anniversario cursu, sed etiam quotidiano usu
celebratur & colitur. Sed & vir quidam nobilis ac
prædives civis Lodovensis nomine Petrus Aibrandi
fecit dormitorium. ad quod opus faciendum centum
marchas argenti obtulit. Filius verò ejus Aibrandus
fecit refectorium.

XXIII. Postea verò procedente tempore pla-
cuit Domno Abbati Guiraldo & fratribus universis

ut propter insolentiam secularium hominum & alia multa incommoda monasterium mutari deberet in locum alterum qui melior & religioni convenientior videbatur & aliis abundans multis commoditatibus. qui locus non longè aberat à monasterio, sed quantum arcus balistæ mittere potest. Erat autem alienus à possessione monasterii, & non nisi magno pretio haberi poterat. Quo audito supradictus vir Guillelmus, qui ad construendam Ecclesiam ducentas marchas argenti miserat, voluit & præcepit ut de ipsa pecunia locus emeretur in quo Ecclesia fundaretur. quod & factum est. Mille enim solidorum pretio idem locus emptus est cum omnibus pertinentiis suis, prædium pulchrum & delectabile, religionique valde conveniens. Cœperunt ergo in eo novum monasterium ædificare. In quo loco Petrus Aibrandi venerabilis sacrista Lodovensis Ecclesiæ filius prædicti Petri & fratres ejus Guiraldus, ambo fecerunt dormitorium majoris magnitudinis & excellentioris pulchritudinis quàm priùs fuerat. Refectorium verò fecit Richardus Clarii venerabilis Ecclesiæ prædictæ Clericus. Isti sunt constructores sive fundatores Salvanienſis monasterii, qui merito suæ devotionis inter amicos & familiares nostros primi esse meruerunt: quorum memoria non derelinquetur in seculum, cùm quandiu Cistercienſis ordo durare poterit, non præteribit dies aliqua in qua non habeatur eorum commemoratio & solemnis pro eis fiat oratio. Illi verò qui suis laboribus locum primitus inceperunt, in sanctitate vitæ, in humilitate & obedientia permanserunt, donec terræ corpora, cælo animas reddiderunt.

XXIV. Frater autem Pontius de Larazio, qui humiliorem locum semper eligere studuit, in habitu laicorum fratrum conversus permansit, ut omni domui liberiùs provideret, & servorum Dei servus semper existeret. quod & fecit, donec beato fine in

Domino quievit. Hic pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit, & quietus, vita dum præsens vegetavit ejus corporis artus. Qui mense Augusto, prima die mensis, viam universæ carnis ingrediens, non obiit, sed abiit ad patres suos, de morte ad vitam, de labore ad quietem, de exilio ad patriam.

XXV. Isti viventes in carne plantaverunt Ecclesiam istam labore suo. Modò coronantur, & accipiunt palmas laborum suorum. Horum animabus nos omnes debitores sumus, & omnes qui in loco isto futuri sunt usque in finem. Ipsi laboraverunt, & nos in labores eorum introivimus; ipsi seminaverunt, & nos messuimus. quamvis nos eorum orationibus magis indigeamus quàm ipsi nostris, quorum meritis & intercessionibus Deus locum istum semper regit & protegit. Horum exemplo multi viri militaris ordinis in hoc loco ad Dominum sunt conversi, quorum unus fuit Dominus Arnaldus de Ponte, de quo superiùs mentionem fecimus, qui eundem locum dedit, in quo post modum quievit in pace. Sed & alii plures materialia arma deponentes, spiritalia sumpserunt contra spiritales nequitias pugnaturi: qui conflarunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; qui non levabunt amplius contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium. in quibus etiam illud impletum est: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas.*

XXVI. Interea fratres divinis laudibus vacantes, cotidianis laboribus insistentes, seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis, & benedixit eis Deus, & multiplicati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo; dedit illis Deus mansiones gentium,

gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

XXVII. De situ loci scribere supersedi, cùm cotidie eum videamus. Hoc solum propter absentes dixisse sufficiat, quia montes in circuitu ejus sunt, & Dominus in circuitu populi sui. De materialibus etiam ædificii dicere superfluum judicavi, cùm cotidie renovantur, vetera destruuntur, & nova ædificantur, & Deo propitio in melius assiduè commutantur. De spiritualibus autem sciendum est quia domus hæc fundata est supra firmam petram, id est, Dominum Iesum Christum, quæ columnis septem in altum erecta nubes transit, sydera transcendit, & usque ad solium superni judicis pertingit, ubi Regum Rex & dominus rerum sceptrum tenet, orbisque habenas temperat, & volucrem currum stabilis regit. In ea lapides magni, lapides vivi, lapides pretiosi dolantur, quadrantur, & poliuntur, de quibus Hierusalem cælestis ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

XXVIII. Primus Abbas hujus loci Domnus Ademarus fuit, qui in eo sex mensibus vixit. Secundus Desiderius extitit, qui octo annis ibidem præfuit. Tertius Domnus Guiraldus fuit, qui jura regiminis decem & septem annis strenuè gubernavit, monasterium multis possessionibus ampliavit, & multa bona in eo patravit; inter quæ & domum de Annonenca fundavit, & in ea religionem sanctimonialium propagavit. Obiit autem anno gratiæ millesimo centesimo sexagesimo primo, mense Septembri, decimo quinto Kalendas Octobris. Huic successit Domnus Pontius Abbas meus totius assensione conventus, eodem anno, mense Octobri, de Priore in Abbatem assumptus, qui Abbatum ordine fuit quartus. Ipse est qui hoc scribere nos præcepit, qui ea quæ diximus aut vidit aut audivit,

& testimonium scriptis perhibuit, & scimus quòd verum est testimonium ejus.

XXIX. Lætare igitur Salvanienſis Eccleſia mater bona, gratulare & jubila, dilata locum territorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos. ad dextram enim & ad lævam penetrabis, & ſemen tuum montes hereditabit. Gaude & exulta in Domino Deo tuo, qui dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit, dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ, ſemper honos nomenque tuum laudeſque manebunt, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit tractatus de converſione Pontii de Lauzano & exordii monaſterii Salvanienſis vera narratio.

ELOQVENTISSIMI VIRI Leonardi Aretini oratio in funere Nanni Strozæ Equitis Florentini.

LEx fuit vetuſta Solonis, ut opinor, ſapientiſſimi viri, à ſapientiſſima quoque civitate comprobata uſu atque recepta, ut qui cives pro patria bellando interiſſent, iis poſtea domi publicum exhiberetur funus cum magnificentiſſimo tum rerum apparatu, tum etiam verborum. Res quidem erant ad pompam funeris accommodatæ, verba autem ad laudum eorum qui interierant explicationem. Prospexerat & illorum natis eadem lex, ut quaſi publicam civitatis ſobolem publica educatione & cura atque omnium rerum indulgentia civitas eos proſequeretur. Providentiſſima certè atque optima lex dignaque Solonis auctoritate, qui & ſapiens fuit unus è ſeptem. Quæ enim utilior quæve honeſtior lex excogitari poteſt, quæ & honore allicit homines

ad patriam defendendam, & casum parentum levat orbatorum cura susceptra ? Plerunque enim quamvis fortes viros à periculis revocare solet non tam sui ipsius formido quàm filiorum respectus, maximèque parvulorum, quos desertos facere orbatosque relinquere velle contra naturæ quodam modo legem videtur esse, quæ quos ipsi genuimus alendos nobis tuendosque præscribit. Nec justitia verò nec gratitudo major esse ulla potest quàm qui propter patriam orbati sunt, eos filiorum loco à patria suscipi; ut non detrimentum filiis glorioſa parentum mors, sed amplitudinem & augmentum videatur attulisse. Hujus celeberrimæ laudatissimæque legis memoriam renovavit nunc mihi glorioſissima mors clarissimi viri Nannis Strozæ Equitis Florentini, qui hoc bello quod adversùs Mediolanensium Ducem civitas nostra Venetique nunc gerunt bellando interiit, natosque reliquit ætate parvulos, parentis cura destitutos atque orbatos, caritatem patriæ anteferens natorum caritati ; ad cujus fatum quoniam illa concurrunt omnia quæ Solonianæ legis providentia sanxit, cuncta nimirum sibi natisque exhibenda censemus, meritò quidem atque optimo jure. Quis enim propior legis casus evenire potest ? Sed de funeris quidem publici honore natorumque educatione & cura ii qui possunt & debent, ut spero, providebunt. Laudationem verò illius merito congruentem nos interim parare illi juxta legem conemur ; quæ ita scribetur à nobis quasi in ipso funeris extremo dicatur oratio.

Iubemur nunc ad funeris honorem summo huic viro præstitum verborum insuper commendationem adjungere, quò rebus honestatus magnificè, verbis ornatus insigniter, cunctis à patria cumulatissimè persolutis fatalem viam feliciter gradiatur. Circumspecta quidem legislatoris mens & multifariam lau-

danda provisio. Ornatu quippe verborum magnificentiæ rerum adhibito & viventium gratitudo conspicua fit, & defuncti virtutes & opera quasi splendore quodam illustratæ patescunt, & propinquorum mœror pro rerum gloria delinitur. Mihi verò potissimùm hoc laudandi munus esse commissum haud quaquam gravarer si tantum ingenii facultatisque adesset ut huic amplissimo generi dicendi satisfacere possem. Sed intelligo pro dignitate id facere difficillimum esse nec nisi à summo ingenio summaque eloquentia tentandum, præsertim cùm in laudatione funebri & publica civitatis quoque laudes admisceri conveniat, civitas autem sublimiorem quendam, ut ita dixerim, sonum ac magnificam dicendi præstantiam flagitet, nec est cujusvis ista præstare posse, sed peritissimi rerum hominis ac genere ipso dicendi facundiaque eminentis. Nam laudatio quidem omnis si languidior sit, permultum illis ipsis detrahit quos laudare velis, & periclitatur eorum existimatio in laudatoris peritia; ut satius interdum sit omnino tacere quàm imperitè commendationem dixisse. Accedunt eorum qui audiunt voluntates toto judicio inter se dissidentes. Nam benevolentia quidem affecto nihil videtur satis, invidus verò ac malivolus auditor cuncta quasi plus nimio superlata contemnit; ut in tanta varietate hominum impossibile quasi sit multitudinis auribus moderari. Sed me, licèt has difficultates minimè ignorantem, cùm benevolentia hominis, tum patriæ jussus auctoritasque pervicit ad hæc ut potero transigenda. Precor autem atque obtestor omnes qui audituri sunt ut conatum potiùs meum quàm profectum inspiciant. Ac finem præfandi faciens, rem jam ipsam aggredior.

Funebris quidem oratio hæc una est in qua nec fletum ne lamentationem adesse conveniat. Nam

illis quidem mœror debetur qui sic è vita decedunt nihil ut habuerint quod superstites consolari possit. Hujus autem vita optabilissima fuit, mors verò admodum glorioſa ; ut tanta cumulatione bonorum viventem morientemque perfunctum lugere ingratissimum videatur. Sed in explicatione bonorum quamplurima atque maxima huic sorte quadam divina contigerunt. Primus honor patriæ meritò defertur. Est enim illa primum ac præcipuum felicitatis humanæ fundamentum, parentibus etiam venerationis merito præferenda. A patriæ igitur laudibus incipientes, rectum dicendi initium suscepisse videbimur.

Natus est enim in civitate amplissima atque maxima, lati dominii, summæ auctoritatis, Etruscarum quidem civitatum sine controversia omnium principe, Italicarum verò nulli neque genere neque opibus neque magnitudine cuiquam secunda ; ad cujus originem civitatis duæ nobilissimæ ac præstantissimæ totius Italiæ gentes coierunt, Tusci veteres Italiæ dominatores, & Romani, qui terrarum omnium virtute sibi & armis imperium pepererunt. Est enim civitas nostra Romanorum colonia veteribus Tuscorum habitatoribus permixta. Tusci autem prima semper Italiæ gens & auctoritate opibusque suprema fuere ; quorum ante Romanorum imperium ea potentia fuit ut utrique mari quo Italia cingitur nomen ab hac una gente datum constet, & ab Alpibus ad fretum Siculum, quantum Italiæ longitudo protenditur, ab eadem hac una gente per multa secula imperatum. Ab hac una denique gente cultus deorum immortalium, ab hac una disciplinæ & litteræ in Italiam perlatæ. Ab hac una omnia pacis bellique ornamenta ceteri Italiæ populi susceperе. Nam de Romanorum quidem potentia, excellentia, virtute, gloria, magnanimitate, sapientia,

magnitudine imperii tacere omnino satius est quàm pauca dixisse. Quæ civitas igitur generosior, quæ nobilior, quæ veterum parentum gloria abundantior esse potest? Aut quænam est potentissimarum civitatum in hoc genere laudis huic nostræ comparanda? Digni etiam commendatione majores nostri, qui hanc civitatem per manus suscipientes ita instituerunt atque gubernarunt ut à virtute illorum à quibus orti sunt minimè degenerasse videantur, qui sanctissimis legibus stabilitam rempub. ea sapientia moderati sunt ut exemplo ceteris gentibus bene vivendi essent, ab aliis verò exemplum ipsi non peterent, qui auctoritatem atque potentiam continuato studio ita vel conservarunt sibi vel auxerunt ut, quantum memoria extat hominum, nunquam non caput Etruriæ hæc civitas fuerit. Digni etiam laude & qui nunc sunt in præsenti ætate constituti cives, qui civitatis potentiam de patribus acceptam magis etiam extulerunt, Pisis & aliis quibusdam magnis urbibus virtute & armis ad imperium adjunctis. Neque nunc bella & pugnas & rerum gestarum series commemorandi tempus. Prolixam quippe materiam, & non unius diei sed annalium multorum laborem & operam flagitant. Sed externis vel relictis nunc vel dilatis, in ipso, ut ita dixerim, civitatis corpore prospiciendo contemplandoque insistamus.

Forma reipub. gubernandæ utimur ad libertatem paritatemque civium maximè omnium directa: quæ quia æqualissima in omnibus est, popularis nuncupatur. Neminem enim unum quasi dominum horremus, non paucorum potentiæ inservimus. Æqua omnibus libertas, legibus solùm obtemperans, soluta hominum metu. Spes verò honoris adipiscendi ac se attollendi omnibus par, modò industria adsit, modò ingenium & vivendi ratio quædam probata & gravis. Virtutem enim probitatemque in cive suo

civitas noſtra requirit. Cuicunque hæc adſit, eum ſatis generoſum putat ad rempub. gubernandam. Superbiam verò ac faſtidia potentiorum ſic vehementer odit ut plures acrioreſque in id genus hominum leges quàm in ullam rem aliam ſanxerit, donec domitos ſuperbos & quaſi adamantinis legum catenis devinctos ſubdere tandem colla & infra mediocritatem etiam ſeſe humiliare coëgerit; ut ſummi jam beneficii loco concedatur ex grandioribus familiis ad plebem tranſire. Hæc eſt vera libertas, hæc æquitas civitatis, nullius vim, nullius injuriam vereri, paritatem eſſe juris inter ſe civibus, paritatem reipub. adeundæ. Hæc autem nec in unius dominatu nec in paucorum poſſunt ſubſiſtere. Nam regiam quidem gubernationem qui anteferunt, eam virtutem in Rege effingere videntur quem in nullo unquam fuiſſe concedunt. Ecquis enim fuit unquam Regum qui cuncta eorum quæ regno ſubſunt hominum cauſa fecerit, nihil verò ſui gratia præter nudam nominis gloriam concupierit? Ex quo fit ut monarchiæ laus veluti ficta quædam & umbratilis ſit, non autem expreſſa & ſolida. Regibus, inquit hiſtoricus, boni quàm mali ſuſpiciores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. Nec multò ſecùs accidit in dominatu paucorum. Ita popularis una relinquitur legitima reip. gubernandæ forma, in qua libertas vera ſit, in qua æquitas juris cunctis pariter civibus, in qua virtutum ſtudia vigere abſque ſuſpicione poſſint. Atque hæc honorum adipiſcendorum facultas poteſtaſque libero populo hæc aſſequendi propoſita mirabile quantum valet ad ingenia civium excitanda. Oſtenta enim honoris ſpe, erigunt ſeſe homines atque attollunt; præcluſa verò inertes deſidunt; ut in civitate noſtra cùm ſit ea ſpes facultaſque propoſita, minimè ſit admirandum & ingenia & induſtriam plurimùm

eminere. Multitudinem verò civium tam numerosam nostra civitas habet ut præter hanc ipsam innumerabilem copiam in patrio solo degentem, infinita insuper quædam civium vis per universum orbem terrarum diffusa conspiciatur. Nam ut omittam Italiæ urbes, quarum nulla protinus Florentinis civibus caret, ut eos præterierim qui Romæ, qui Neapoli, qui Venetiis, qui Bononiæ, qui Ferrariæ, qui Arimini, qui Mantuæ, qui ceteris Italiæ oppidis consistunt, nullus est tam remotus neque tam avius mundi locus in quo Florentinus aliquis non incolat civis. Nam sive tu Britanniam quæras extremam penè mundi insulam in oceano sitam, permagna tibi illic aderit nostrorum civium multitudo; sive tu Galliam sive Germaniam lustres, permulti etiam ubi minimè opineris cives nostri occurrent. Quid memorem Parisius, quid Barchinonam, quid Avinionem? quibus in urbibus agmina profectò nostrorum civium habitare consueverunt. Nam quid ego de Pannoniis dicam, quid de Sicilia quondam celeberrima insularum? Denique, ne per singula vager oppida, de Tanai atque Mæotide ad Herculis columnas & oceanum mare nullus locus vacuus Florentinis civibus reperietur. Quare si omnis absentium multitudo civium nostrorum quæ per universum terrarum orbem variè diffusa est huic præsentium multitudini adjungatur, resultet profectò infinita quædam & innumerabilis multitudo populi, cui nulla penitùs civitatum Italicarum in ista quidem parte fuerit comparanda. Ingeniis verò ac intelligentia sic valent cives nostri ut in ea quidem laude pares non multi, qui verò anteponendi sint, nulli reperiantur. Acritas quidem inest atque industria, & in rebus agendis celeritas & agilitas, animique magnitudo rebus sufficiens.

Nec in moderanda repub. solùm, nec in dome-

stica tantùm disciplina negotioque passim optando valemus, sed etiam bellica gloria insignes sumus. Nam majores quidem nostri in pulvere & acie bella complura glorioſissimè confecerunt, finitimos omnes populos virtute bellica superarunt, mille cuneos hostium perfregerunt, innumerabilia penè trophæa bellantes constituere. Nostra insuper civitas potentissimis Regibus principes militiæ dedit, scientissimos rei militaris duces procreavit.

Nam quid ego de litteris studiisque nunc dicam, qua una re maxima quidem ac luculentissima principatus concessu omnium civitati nostræ tribuitur? Nec ego nunc de vulgaribus istis mercenariisque, quamquam in illis quoque nostri excellunt, sed de politioribus illis divinioribusque studiis, quorum excellentia major & gloria sempiterna immortalisque habetur, & loquor & sentio. Quis enim vel nostra vel superiori ætate poëtam aliquem nominare potest nisi Florentinum? Quis hanc peritiam dicendi jam planè amissam in lucem atque in usum vitamque revocavit præter cives nostros? Quis Latinas litteras priùs abjectas atque prostratas & ferè demortuas agnovit, erexit, restituit, ab interitu vendicavit nisi civitas nostra? Quare si Camillus rectè conditor urbis Romanæ dictus est, non quia condiderit eam ab initio, sed quòd amissam occupatamque restituerit, cur non eadem ratione civitas hæc nostra Latinæ parens linguæ meritò nuncupetur, quam perditam dudum atque profligatam in suum nitorem dignitatemque restituit? Atque ut Triptolemo triticum exhibenti quicquid postea natum est attribuimus, ita civitati nostræ quicquid litterarum politiorisque disciplinæ ubique coaluit ferri debet acceptum. Iam verò litterarum Græcarum cognitio, quæ septingentis ampliùs annis per Italiam obsoleverat, à civitate nostra revocata est atque reducta, ut &

summos philosophos & admirabiles oratores cete-rosque præstantissimos disciplina homines, non per ænigmata interpretationum ineptarum, sed de facie ad faciem intueri valeremus. Denique studia ipsa humanitatis, præstantissima quidem atque optima, generis humani maximè propria, privatim & publicè ad vitam necessaria, ornata litterarum eruditione ingenua, à civitate nostra profecta, per Italiam coaluerunt. Opibus verò atque divitiis quantum possit civitas nostra vereor ne invidiosum sit inexhaustam quandam magnitudinem pecuniarum referre. Declarat hoc Mediolanense longissimum bellum incredibilibus penè sumptibus agitatum, in quo supra tricies quinquies centena milia impendimus, & tamen promptiores nunc ad extremum in tributo sunt homines persolvendo quàm ab initio fuerant belli, ut quasi re divina quædam pecuniarum vis quotidie domi pullulare videatur.

Hanc igitur tam generosissimam, tam laudabiliter institutam, tam populosissimam, tam acerrimam, ditissimam, ornatissimamque patriam nactus hic quem laudamus, permagnam statim ab initio felicitatis partem est à diis immortalibus consecutus; ut in hoc quidem genere bonorum præclariùs quàm actum est secum agi nequiverit. Neque verò dici potest ut in patria quidem clarissima amplissimaque natus sit, genere autem obscuro & sordido; sed planè sic est, ut quemadmodum civitas hæc ad alias civitates, ita genus hoc ad cetera genera. Est enim familia splendidissima, ornatissima, opulentissima, multis equestribus imaginibus, multis præstantissimis viris clara, & tam domi quàm militiæ summæ auctoritatis, nec ita vetusta ut putrida sit, nec rursus ita nova ut non vetere gloria suorum abunder. Qua quidem in famillia Vexillifer justitiæ, qui est amplissimus apud nos magistratus, eo ipso anno fuit

quo primùm in republica à majoribus noſtris creari eſt cœptus. Deditque hæc una gens reipub. domi quidem graviſſimos & ſpectatiſſimos viros, foris autem ſtrenuos atque bello inſignes. Nec deeſt huic familiæ qui apud majores noſtros equitatus Florentini populi dux in bello fuerit, & dimicans cum hoſte victoriam reportarit. Multitudine verò gentilium agnatorumque ita hæc familia abundat ut ſi quis populoſiſſimam eam familiam dixerit, non indigno uſus verbo pro rei magnitudine videatur. Divitiis verò uſque adeo opulenta ut nonnulli ex ea familia ſupergreſſi civilem divitiarum modum, pares regulis opes reddituſque poſſideant. Et à familia quidem talis eſt, ut ex multis pauca comprehendam. Parentem verò habuit Karolum Strozam. Quem virum, dii boni! quanta gravitate, quanta ſapientia, quanta induſtria, ut non in familia modò, verùm etiam in civitate principis locum perfacilè obtineret. Erat illi patrimonium amplum, ſed amplius conſilium. Abundabat natorum multitudine, ſed multò magis familiari diſciplina. Erat in eo divitiarum ſplendor, ſed multò magis eminebat induſtria. Erat nobilitas generis; ſed ipſe quoque talis ut ubicunque natus eſſet, ſibi ipſi facturus nobilitatem per virtutis præſtantiam videretur. Denique talis vir fuit ut paucos admodum illi pares hæc civitas procreaverit. Videor mihi per gradus quoſdam aureos deſcendiſſe, ſiquidem ampliſſima de patria in clariſſimum genus, de genere autem clariſſimo in parentem nobiliſſimum ſpectatiſſimumque deſcenderim. Hæc autem omnia cui evenerint, quis negare poteſt huic præſtantiſſimam quandam bonorum accumulationem ſtatim ab initio nativitatis ſuæ contigiſſe. Sed prima hujus commendatio jam hinc vel incipitur à nobis vel proſequetur quòd propria virtute fretus per omnem vitam ſubſecutis operibus effecit ut patriæ &

familiæ perdigna soboles haberetur. Et puerititiam quidem totamque illam castissimi diligentissimique parentis disciplinam transgressus, cùm tandem in adolescentiam evasisset, confestim non mercaturis neque negotiis obeundis neque rursus agro colendo aut venando mentem intendit; sed cuncta hæc inferiora ducens, equos & arma & gloriam bellicam concupivit: quarum sibi rerum quò facultas major inesset, relicta patria ad Principes Galliæ profectus, Nicolao Estensi adhæsit, cui par juventa atque voluntas rerumque gerendarum frequens erat occasio. Hic ea continuò edens opera quæ generosum invictumque deceant animum, cùm multis in locis jampridem claruisset, tandem in expugnatione urbis Veronæ virtutem ac magnitudinem animi in periculis ostentans, equestribus insignibus donatus honestatusque est, militiæque perpetuo fulgore devinctus. Hinc ille jam veluti sacris quibusdam se initiatum putans, reliquam omnem vitam ita transegit ut juxta sapientissimum illud oraculum se ipsum cognoscere videretur. Est enim judicio meo primum quodam modo militaris disciplinæ fundamentum, se ipsum cognoscere, id est, intelligere atque videre quæ sint hominis in ea dignitate constituti partes & munera. Ita enim officium suum rectè implere poterit si intelligat quæ dignitas illa religioque efflagitet, vitamque deinceps suam veluti ad regulam quandam institutumque direxerit. Non enim aurum usque adeo neque cingulum illustrant militem, quamquam sunt illa quidem equestris militiæ signa, quantum vita & opera professioni suæ consentanea: quæ si omittat is qui equestri dignitate insignitus est, splendor ille auri omnino sordescit, & arguere delatorem suum exprobrareque videtur, nec tam decus quàm dedecus sibi afferre. Duram profectò rem, & quam pauci cognoscant, pauciores adimpleant. Primùm

enim sit oportet in eo qui hac perpetua militiæ religione sacratur magnitudo animi bellorum periculorumque capax, sique propositum ejus grande atque elatum, nonnisi de fama, de gloria, de amplitudine cogitantis. Bellandi verè peritia excellat; ut si manus conferendæ sint, nec imperitus in suo proprio munere neque ridiculus habeatur, sed pro tempore ac dignitate utilis esse possit. Equi insignes & arma decora magis eum delectent quàm aut conviviorum apparatus aut vestimentorum splendor & sumptus. Denique quia miles est, militaria tractare gaudeat. In his magnificentia magis eluceat quàm in reliquis vitæ partibus. Mercimonia verò & quæstus & negotiandi curam ita contempnat atque despiciat quasi certissimum dedecus professionis suæ. Celsiora quædam majoraque affectet, nec pecuniarum cumulationem sed famæ & gloriæ sibi propositam intelligat. Cogitet etiam suorum civium tuitionem & curam sibi per militiam esse commissam, nec quicquam magis officio contrarium suo quàm si aut perniciem aut injuriam civibus machinetur; nec unde salus petita sit, inde scelus emergat. Denique si quid in pace moliatur, caveat id ne sordidum sit, neve humile, neve cujusvis, sed elegans, sed admirabile, sed rarum, & quod ad dignitatem magnificentiamque referatur. Sit præterea fides incorrupta, & factorum dictorumque virilis constantia, ut nihil protinus agat quod inficiari expediat, nihilque inficietur quod unquam effecerit. Hæc sunt quæ militem intelligere decet ex vi naturaque professionis sibi incumbere, seque ipsum assiduè intueri atque cognoscere, vitamque suam ad hæc ipsa dirigere, ac sese quasi intra claustra quædam hujus propositi continere. Sed qui sunt, quæso, qui hæc adimpleant? Qui sunt qui non quasi transfugæ quidam aberrent? Possum referre permultos qui hanc egregiam dignitatem

ridiculo habuere. Sed nobis non detrahere cuiquam propositum est, sed hunc nostrum laudare, cui hæc omnia sic affuisse comperiemus ut vel cum paucis sui ordinis impleſſe id munus per omnes officij gradus videatur. Etenim quis negare potest magnitudinem animi huic viro egregiam fuisse? Quis ejus propositum mentis altum atque elatum non fateatur? Domi credo desedit quietas res agere, in otio vivere, aut negotium aliquod in civitate gerere, communi hac nostra consuetaque ambitione prensandis civibus magisteriisque urbanis gerendis contentus? Atqui licebat sibi hæc omnia facere. Civitas erat illustris & florens, familia nobilis, agnati gentilesque gratiosi, rerum urbanarum proclivis facultas. Sed ipse hæc omnia viliora ducens, nequaquam sibi vivendum existimavit nisi famam & gloriam majoribus in rebus consequeretur. Itaque in arma se contulit, pericula capessivit, militiam sublimem egregiamque laudis materiam esse duxit. Nec semel tantùm prælia iniit, postea verò quievit; sed eadem res initium famæ, eademque ipsa res finis vitæ glorioſissimæ fuit. Peritiam verò bellandi habuit maximam, utpote qui summo studio ei uni rei per omnem vitam præcipuam semper operam dedisset, sæpe dux in bello administrando, sæpe præfectus, multisque & variis bellorum casibus exercitatus; in quibus egregia quædam celsitudo cordis ad pericula capessenda, & inter ipsa pericula invictum corporis atque animi robur apparuit. Itaque fiduciam suis & terrorem hostibus illius præsentia plurimum afferebat; & erat utiliſſimus cùm opere, tum etiam exemplo. Inter ceteras ejus laudes magnificentia quædam militaris oculos hominum perstringebat, insignium ornatiſſimorumque equorum apparatus ingens, & studium eorum propè nimiùm ardens; in iis atque in decoris armis illius cura propè eximia

versabatur, cùm ceteris in rebus esset modestior. Non enim vestitu nimius erat, neque superfluus. Quamquam non deerat illi splendor & cultus, tamen infra normam honestatis coërcitus. Sed militiæ propria instrumenta equos & arma censebat esse, non vestimentorum væsanam intolerabilemque jactantiam, neque epularum conviviorumque detestandam sumptuositatem. Putabat enim militi fortitudinem convenire, & instrumenta virtutis, non luxuriæ, adamabat. Nec de lustris popinisque sollicitus erat, sed de continentia & frugalitate. Hanc enim temperantiam consentanei sequebantur effectus. Necesse est enim qui superfluo erogant, inhonestis impleri. Ex quo fit ut hujusmodi homines prodigi simul avarique reperiantur, ut in consumendo nimij, sic in rapiendo scelesti & turpes. Hujus autem laudabilibus sumptibus laudabilis acceptio respondebat. Nulla in eo rapina, nulla fraudatio, nulla detorsio reperiebatur. Sumptus pro redditu liberalissimus erat, pro dignitate rerum personarumque collatus. Mercimonia verò & quæstus sic abhorrebat quasi certissimam perniciem gloriæ militaris. Denique si quid in pace agendum erat, ad ornatum magnanimitatemque referebat. Domus erat hospitalissima ac celeberrima & cum gravitate abundantissima, comites honesti dignitatique congruentes, familia pudica atque modesta. Eminebatque in ejus vita veracitas quædam ingenua, procul à fuco & ostentatione. Nihil in eo fictum erat, nihil simulatum, nihil vacillans, sed dictorum factorumque firma immobilisque constantia. Non enim facie neque vultu decipiebat homines, nec aliud verbis, aliud corde gerebat impressum. Gravitas erat in rebus, auctoritas in verbis, fides in promissis. Quod enim seriò fatus esset, id factum & immobile censebat esse, nec mutari quidem id vel occultari licere. Nihil

enim turpius magno viro existimabat quàm inconstantiam & vacillationem. Recta igitur & simplex & ingenua vivendi ratio in illo conspiciebatur, firmaque & immobilis, ut ita dicam, fidelitas. Nec id modò inter cives atque amicos, sed apud omne genus hominum eadem utebatur vivebat constantia, ut si quid etiam hostibus promisisset, sacrosanctum & inviolabile haberetur. Nam hostes quidem homines intelligebat esse, & virtute, non fraude vincendos censebat, promissaque & humanitatis jura illis servanda existimabat. Patriæ verò salutem usque adeo caram habuit ut huic uni se rei maximè natum arbitraretur. Ostendit verò id tota vita, quæ sic ab eo transacta est ut cuncta retulisse ad patriam videretur. Nam primæ quidem illæ artes quibus adolescens summa cum laude exercitatus est, præparamenta quædam fuere ad fortitudinem comparandam, honestissima quidem possessio, ac laudis acquirendæ instrumentum permaximum. Ea siquidem virtus una est quæ homines magis illustrat quàm ulla virtutum ceterarum. Itaque res bellicæ pacis artibus sine controversia præferuntur. Est verò proprius earum campus in patria protegenda atque tutanda. Nemo autem potest fortitudinem habere nisi usu exercitationeque illam adeptus. Non enim innascitur virtus illa nobis, neve quasi infunditur, sed experiendo agendoque acquiritur. Propositum igitur ejus magnanimum exercitationem, exercitatio autem virtutem, virtus verò gloriam comparavit. Quarum autem rerum finem conspicimus, ejus rei gratia res fuisse confitendum est. Prælia ergo juventæ totaque illa certaminum meditatio ceu athletarum præparamenta fuere ad famam, ad gloriam, ad amplitudinem claritatemque nominis per fortitudinis opera comparandam. Fortitudinem verò patriæ maximè se debere putabat, eique per omnem vitam accumulatissimè

tissimè præstitit. Prima ejus opera secundo Mediolanensi bello eluxit. Quo in tempore cùm hostis rebus Etrus cismira calliditate se inserens civitates primò inter se conflictatas atque defessas quasi per favoris speciem in suam potestatem ditionemque recepisset, ac tandem Bononiam occupasset, insurgentibus contra vim ejus nostris ac majore conatu rem capessentibus, tunc primùm adolescens incredibili magnitudine animi laborumque patientia in ea expeditione militavit. Quo quidem in tempore ita se gessit ut indoles ejus miro favore omnium probaretur. Bononia deinde recepta, cùm hostium opes fractæ ac pluribus locis pulsæ in extremum se contraxissent, tepescentibus nostrorum aliis & post longam militiam quietem respicientibus, hunc ceu generosum catulum aviditate insequendi pertractum non laborum magnitudo, non periculorum formido, non montes interpositi, non fluviorum cursus, non interjectæ paludes remoratæ sunt quò minùs ad ipsa, ut ita dixerim, lustra ferarum indeficibili cursu penetrasset. Præfectus siquidem equitibus ad persecutionem hostium missus non antè destitit quàm transversis difficilimisque itineribus in agrum Mediolanensem transgressus, populata regione, arma atque signa nostra in ipso propè hostilis urbis vestibulo posuerit, longèque & latè vastato agro, cunctisque belli cladibus regione afflicta, magnis rebus gestis, inclitoque inde nomine parto, ingenti cum gloria remeavit. Post hæc alia militia ad Veronam susceptа, consilium quidem in rebus ambiguis, fortitudinem verò & audaciam in periculis ostendens, oculos omnium in se unum convertit, probatus quidem duci, militibus verò carus, omnibus locis omnibusque temporibus perutilis cognitus. Qua quidem in expeditione ob præstantem egregiamque virtutem insigniri tandem donarique promeruit. Sed ceteris omissis quæ vel suo vel

alieno auspicio multis variisque locis egregiè gessit, ad extremum ejus inclitum factum atque ad hoc hujus belli tempus festinat oratio.

Quemadmodum bellum hoc ab initio conflatum sit, & quàm lætum habuit principium, ac velut serpens latitando dissimulandoque irrepsit, omnibus nobis notum existit. Cùm enim vires hostium per pacis speciem negligentiùs observatæ brevi quidem spatio mirabili successu in formidabilem potentiam evasissent, & non pacem ab hoste quæsitam sed bellum esse dilatum appareret, ac jam contra fœdus apertissimè veniretur, suspicionibus variis non frustra nec indignè coortis, confestim hic assurgens pietatem debitam patriæ in medium protulit. Quod enim familiaritas & amicitia sibi privatim fuerat cum hoste, ad illum profectus & rogare ut Principem & obsecrare ut potentem & monere liberiùs perrexit, multaque illi jam inde augurari atque prædicere. Et fuit magna quidem spes ab initio componi rem posse, & ultro citroque sæpius remeavit. Tandem verò cùm mala prævalere consilia videret apertèque rem ad bellum spectare, in patriam reversus arma & honesta & necessaria cepit, & caput pro salute civium suorum periculis objectavit. Vtrumque mehercule summa cum laude. Nam & bellum ne existat occurrere atque obviare boni & prudentis est civis; & postquàm mederi non possis, sese periculis objectare fortis viri laudibus est ascribendū. Et utrumque certè pietatis opus, & consilio bellum & armis opprimere.

Multa post hæc vel culpa vel proditione duorum nostrorum consecuta sunt, & aliquot clades obiter acceptæ; in quibus illud de hoc præstantissimo viro dicere licet, non defuisse ullis in locis publicæ rei, & inter ipsas clades magnum invictumque robur animi præstitisse, ut nec prosperis elatum rebus, ita nec fractum adversis. Relevata deinde civi-

tate hostra ob Venetorum societatem, cùm hostium copiæ Flaminiam Etruriamque relinquere in Galliamque se referre domestici metu periculi cogerentur, & omnis eò belli moles depulsa esset, insecutus hostium vestigia nunquam destitit, nec ullo unquam per Galliam loco defuit expeditionibus nostris. Multa post hæc pericula variæque pugnæ per Galliam consecutæ sunt, utpote inflammatis utrinque animis longitudinem suscipiente bello. Post multos varioque casus ac belli vices, cùm tandem pax recepta quidem ab hoste, sed paulò pòst nequaquam servata, majorem in modum animos irritasset, eximio rursus studio certamen susceptum est, apparatusque majores de industria facti, copiæque ingentes hinc inde contractæ quantas nec antea per Italiam nostra aut parentum nostrorum memoria fuisse accepimus, & quarum magnitudinem vix creditura posterior ætas videatur. Cùm igitur placuisset totis copiis hostem invadere, vocatus hic eximius vir ex agro Parmensi, ubi distinendi avertendique hostis causa fuerat collocatus, cum equitatu nostro in majora castra profectus sese duci conjunxit. Inde hostilem ingressi, cùm aliquot jam castra movissent, apud Gotholinghum hostium castellum prælium atrox & periculosum, non ex præparato & aperto, sed ex insidiis commissum est. Nam hostes quidem dissimulanter nimis atque otiosè superioribus diebus nusquam se offerentes, cognito nostrorum proposito, in oppido ne suspicantibus quidem nostris antevenerant, collatisque insidiis adventum nostrorum militum præstolabantur, non damnia-licujus aut prædæ spem, sed totius exercitus nostri versuram fugamque & pleniſſimam sibi victoriam proponentes. Nam & hostium copiæ permagnæ erant, ac viri delecti. Insidiæ verò & repentina vis spem conficiendi maximam afferebat. Cùm igitur ante castellum perveniſſent nostri, & labor itineris & calor in-

credibilis, qui præter ſolitum ea die exarſerat, viros pariter equoſque fatigaſſet, & monſtrato caſtrorum loco, pars tabernaculis parandis, pars reficiendo corpori intenta eſſet, repentè ex inſidiis proſilientes hoſtes magno & alacri impetu noſtros invaſere. Fa fuga primò noſtrorum & diſſipatio maxima. Hic quantum inter externi militis ac civis amorem interſit perfacilè apparuit. Ceteri enim nihil magis quàm ſalutem propriam æſtimantes è veſtigio ceſſerunt; hic autem caritatem patriæ ſaluti propriæ anteferens obtulit ſeſe ſtatim pugnæ, corporeque ſuo viam claudere hoſtibus perrexit, compellans commilitones atque adhortans, hoſtique manu & pectore reſiſtens, impetum omnium aliquandiu ſuſtinuit. Et quo factum eſt ut vis illa acerrima retardaretur hoſtium, & noſtrorum quidam verecundia victi converterentur. Ita increſcente pugna, cùm undique permulta & acciperentur vulnera & inferrentur, tandem hic fortiſſimus vir glorioſiſſimè corruit, unoque tempore & ipſe ſublatus noſtrorum manibus in caſtra ſemianimis relatus eſt, & hoſtes vi fracti & ad mœnia repulſi. Quo quidem hujus diei caſu res in dubio ſtetit, ut minimè ambiguum ſit, ſi hoſtes, ut ſperarunt, primo illo impetu noſtros diſſipaſſent, quam plena eis victoria totius belli atque certaminis fuiſſet proventura. Quod ne accideret, hujus eximia virtute & paucorum concurſu atque auxilio factum eſſe conſtat.

Ego igitur tuam hanc egregiam fortitudinem, tuam hanc egregiam operam patriæ ac civibus tuis & libertati impenſam laudare magis cupio quàm pro meritorum magnitudine laudare poſſim. Non enim tu operam modò neque laborem aut induſtriam, ſed vitam tandem & ſanguinem patriæ impendiſti. Abjeciſti animam pro patriæ caritate, vitam tuam patriæ honori & gloriæ poſthabuiſti, vir verè nate patriæ

ac civibus tuis, fortitudinis exemplar, ac summi viri gloriam non immeritò consecute. Est enim fortitudo splendidissima virtus, ac nescio an supereminentissima virtutum ceterarum, plena spiritus, plena vigoris, plena justissimæ animositatis, mascula profectò quædam atque invicta. Honoratissimam verò esse omnium ex eo patet quòd statuas defunctorum videmus ferè militari habitu insignitas, quasi excellentissimum sit in eo genere laudis potissimùm claruisse. Hujus enim propriè campus in bello existit, in maximo certè pulcherrimoque periculo. Bellum autem justius esse nullum potest quàm quod aut lacessitus referas, aut pro patria libertateque suscipias. In hac igitur vir fortis maximè excellit; & pericula celso invictoque animo capessere assuetus, & præsentia tolerat intrepidè, & imminentia non pavidè nec inconstanter expectat; facitque hæc omnia non temerè nec fortuitu, nec perturbatione aliqua tractus, sed firmo stabilique judicio per electionem suscepto. Non enim ignorat se ipsum vir fortis, nec in periculis obliviscitur sui; sed novit se, ac vitam suam plurimi facit, & caritate suorum permaximè distinetur. Attamen ista, quamvis grandia, quamvis carissima & jocundissima, posthabere decernit, quò pietati, patriæ, honestatique non desit. Intelligit enim se & procreationem & alimoniam & eruditionem & cuncta humanitatis munera à patria suscepisse, illique vitam, si tempus exigat, non tam impendere quàm reddere debere. Itaque mortem & vulnera accetera dolorosissima sibi atque asperrima perferre mavult quàm à pietatis debito honestatisque discedere. Quæ quidem omnia huic generosissimo viro contigisse videmus. Bellum erat pro patria, pro libertate, pro salute civium susceptum, quod lacessita primò civitas tunc justissimè referebat, periculum ab hoste ingens atque horren-

dum. Neque enim de fama tantùm & gloria civitatis noſtræ, quamquam & iſta quidem per ſe à præſtantibus viris maxima ſunt æſtimanda, ſed de libertate, de penatibus, de aris atque focis, de vita denique & ſanguine civium ſuorum in eo prælio certamen eſſe propoſitum intelligebat. Vincente enim hoſte, non obſcurum erat quas ſtrages ea victoria ſecum foret tractura. Hæc igitur ille intelligens atque conſiderans, nihil non potiùs ſubeundum arbitrabatur. Sed inflectebat rurſus illum vitæ amor, & multa quæ ſunt jocundiſſima ad vitam invitabant. Ante oculos verſabantur gratia, opes, divitiæ, dignitas, exiſtimatio, proſperitas, ætas adhuc viridis; & præterea multa corporis animique bona dulciſſimam ſibi vitam faciebant. Cùm verò de filiis amantiſſimis ac de fideliſſima conjuge cogitabat, mirùm in modum ea relinquere diſcruciabatur. In ea conflictatione vehementiſſima quidem atque perceleri patriæ caritas amorque pervicit. Impendamus, inquit, patriæ quam debemus pietatem, nec ullum pro ea periculum evitemus. Vitam autem & filios & cetera nobis jocundiſſima ſi cum dignitate retineri poſſunt, retineamus; ſi non poſſunt, æquo animo relinquamus. An me fugientem turpiter atque abjectè dignum iis quæ poſſideo bonis ego me ampliùs æſtimabo? Et cuſtos meorum civium prodere potiùs illos quàm mori ſuſtinebo? Abſit à me tanta fœditas atque ignavia. Cuncta mihi honeſtate atque decore inferiora ſunt. His ille rationibus victus ac ceu facibus quibuſdam inſtigatus, hoſtibus ſecum equitatu, ceteris fugientibus trepidantibuſque, objecit. Ejus primùm opera atque manus, mox & exemplum, quod alii quidam è noſtris pudore adducti ſecuti ſunt, victoriam de manibus hoſtium manifeſtè eripuit. Qualis verò fuerit ejus animus, poſtea conſpectum eſt. Cùm enim ſemianimis relatus

in castra post aliquandiu resipuisset, nihil priùs quàm an vicissent nostri, hostesque repulsi essent, interrogavit; & cùm victoriam nostrorum intellexisset, lætissimus expiravit, Epaminondam præstantissimum ducem in eo casu imitatus, cui par ferè mors atque lætitia fuit suprema.

Tua igitur mors, virorum fortissime, talis profectò fuit qualem anteacta vita professioque tua flagitabant, glorioſa quidem opere & fortitudini maximè consentanea, tibi laudem eximiam, civibus verò tuis & decus & salutem & exemplum constantiæ virtutisque paritura. Sed quid tibi referat hæc civitas pro tantis meritis tuis? Quo honore, quo præmio tantam virtutis præstantiam prosequatur? Non est non est externi præmii locus. Ipsa in se benefacta præmium habent. Est autem rectè factorum fructus maximus illa fecisse. Horum conscientia sublimes alit animos, & gaudere iis ipsis & acquiescere facit sibi gratulantes atque plaudentes. Hoc est verissimum & certissimum præmium à Deo virtuti ipsi constitutum atque annexum, quod neque eripi illi neque auferri potest. Neque fraudatur illo unquam virtus, neque privatur. Hoc itaque tibi præmium erit. Est & aliud præmium secundo quasi loco virtuti propositum, non jam in se ipso, sed in aliis consistens, pro benefactis honor & gloria. Neque enim silebuntur unquam virtutes tuæ, neque postera ætas tuam gloriam conticescet; sed eris in ore atque sermone civium tuorum, ac tuis verissimis laudibus commendationibusque affecti nomen tuum & favore eximio & gratulatione perpetua prosequentur. Quòd si quis est qui hæc ad eos qui vita excesserunt pertinere non putet, valde aberrat. Non enim intereunt animi nostri, neque morte sensus extinguitur; neque præmia virtutis hoc perbrevi vitæ spatio finiuntur, sed manent animi nostri atque persentiunt. Neque enim

summos viros tanta posteritatis cura teneret, nec quid homines de se post mortem existimaturi forent usque adeo laborarent, si aut interirent animi nostri morte, aut virtutis præmia hoc exiguo vitæ spatio finirentur. Cùmque patria sua cuique sanctissima sit, ac pietas maxima illi debeatur, qui pro illius salute libertateque bellando ceciderunt, nequaquam ambigendum est sempiterna illis præmia in cælis esse reposita. Nos igitur his rationibus beatum hunc & viventem & morientem non immeritò ducimus, cùm prosperitate rerum externarum, quæ illi præcipua & illustrissima contigit, tum multò magis ob animi bona, quæ fortitudine, modestia, ceterisque virtutibus splendidissimè continentur, vita cum omni dignitate prosperitateque transacta, & mortis genere admodum glorioso, publici insuper funeris honore & perpetua civium suorum commendatione felicem.

ORATIO POGGII IN FVNERE *Leonardi Aretini.*

Ann. 1443. HOdiernus, Florentini, dies atque hic publicus mœror communi voluntate susceptus declarat quanta hujus præstantissimi atque omni laude dignissimi viri virtus extiterit, & quàm cara & grata universæ sit civitati, cùm videamus omnes magistratus hujus urbis, omnium ordinum consensum, universum populum ad ornandam hanc funeris pompam una mente suis decretis ultro in eandem sententiam convenisse. Nullus est enim qui se civem esse existimarit qui non suum studium atque operam præstiterit ad cohonestandas hominis exequias optimè de repub. meriti, & ejus cui parem rara secula protulerunt. Magnum quippe & præclarum hoc testi-

monium virtutis est & laudis, & mea sententia plurimi æstimandum. Is enim justus & verus est honor qui soli virtuti sponte conceditur & rectè factis, non qui aliunde quæritur, aut precibus est aut suffragiis hominum mendicatus. Non generi, non majoribus, non parentibus Leonardi, non amicis rogantibus, ii honores tribuuntur, sed probitati, prudentiæ, continentiæ, integritati vitæ; ut non externo opere quæsitus, sed à sola virtute profectus appareat. Itaque cùm cetera vitæ commoda nobis quærenda sunt, tum verò maximè virtutis ratio omni conatu appetenda, cùm tanta illius cultoribus tum vivis tum mortuis sint honoris præmia constituta. Licèt autem satis fructus virtutis in ipsa virtute positus videatur, tamen ad laudem quoque confert & posteritatis memoriam ab his diligi, coli, ornari, prædicari qui & ipsi in laude vixerunt. Sed mihi pietas præcipuè civitatis, tum celebris hoc in ornando funere civium frequentia maximè laudanda esse videtur, qui hujus singularis viri memoriam tam grata significatione benevolentiæ prosequantur. Quæ res tum spectat ad mortui gloriam singularem, tum vivos excitat ad capessendum eum vitæ cursum quem propter conspiciant hunc civem tales honores consequutum ac tam carum reip. extitisse. Quamvis autem Leonardi virtus nullius externa laudationis opera egeat ad se ornandam, quippe qui sibi vivens laudem peperit immortalem, tamen præstandum est à nobis debitum officium amicitiæ nostræ, quæ jam ampliùs annis quatuor & quadraginta inter nos similium studiorum cursu cœpta semper viguit sanctissimè absque ulla querela aut benivolentiæ intermissione. Solent quandoque inter amicos dissensiones, jurgia, & contentiones exoriri, ut intermissio quædam benivolentiæ fieri videatur. Sed nostra semper inviolata permansit animorum

conjunctio, quorum amorem nullius unquam dissidii causa distraxit. Et id quidem jure inter nos contigit. Ea namque vera est ac stabilis amicitia quam optimarum artium studium & bonorum morum similitudo contraxit; quæ quoniam mutua benivolentia & officiis fovetur, necesse est ut ita sit firma ac diuturna. Et licèt ab omnibus doctis ac eloquentibus viris hoc munus postuletur ut famam ejus qui hujus seculi nostri & doctorum omnium maximum fuit ornamentum celebrem reddere ad posteros debeant, tamen id præcipuè à nobis suo quodam jure videtur exigere jus nostræ amicitiæ & voluntatum studiorumque conjunctio; ut in quem vivum summa beneficia contulimus, defuncti quoque memoriam aliquo munere afficiamus. Sed antequam de eo quod proposui dicere aggrediar, paucis mihi queri licear de communi omnium nostrum conditione, quæ mihi in angusto nimis & in incerto rerum statu videtur esse posita, deque fatorum injuria, quæ me omnibus his privarunt quos mecum ab ineunte adolescentia litterarum studia summa caritate & benivolentia devinxerunt. Nam primò communem doctorum omnium parentem Colutium Salutatum humanissimum ac doctissimum virum, tum Robertum cognomento Rufum, deinde Nicolaum Nicolum, viros omni litterarum genere & humanitatis studiis præstantissimos, deinceps omni virtute virum celebrem Laurentium de Medicis, pluresque alios summa mihi amicitia conjunctos eripuit nobis. Restabat hic unus veterum studiorum & quasi renascentis olim academiæ socius, quocum non solùm studia sed cogitationes quoque communicare solitus eram, revocans sæpe sermones nostros ad illam prioris ætatis nostræ jocunditatem, cùm omnes hi viverent quos modò nominavi. At hunc quoque in ipso fructu laborum suorum interceperunt, ostenderuntque nihil ex-

Vide Aretin. lib. 1. epist. 1. & seqq.

tremo die esse incertius, nihil hac nostra infirmius vita. Et quidem hic obitus nos admonet magis de futuro quàm de præsenti tempore esse cogitandum. Incertus est enim ac dubius status vitæ, fragilis hominum natura, corpus imbecille & quod multos subeat casus. Nam si, ut inquit Varro, homo bulla est, eo magis senex. Erat Leonardus noster septuagenarius, tamen valido corpore ac robusto, quippe qui rarò adversam valitudinem sit expertus, ut nihil ei ad præsens quàm mors repentina extimescendum esse videretur. Sed nihil nos fallit magis quàm quòd nemo adeo senex est quin annum, ut scribit Cicero, speret se esse victurum. Quo fit ut longiùs quandoque trahamus res nostras quàm deceat viros sapientes & cogitata vitæ ratio postulet. Mors enim à tergo instat, & conatus nostros, quamvis honestos, in medio apparatus interscindit atque abrumpit, & omnia secum aufert, nisi quæ virtute & vitæ bonitate fuerint comparata. Itaque perbeati meo judicio illi æstimandi sunt quorum vita non hac brevitate temporis circumscribitur quæ omnibus animantibus est communis, sed ad posteros longo intervallo virtutum beneficio propagatur. Quamvis autem nihil sit in morte mali, neque post ipsam quidem, his qui justè & rectè vixerunt, (nam in ea vitæ anteactæ viri boni præmia adipiscuntur, totaque vita sapientis nihil aliud quàm mortis meditatio esse debet) tamen dolendum est nobis, qui reliqui sumus talium virorum præsidio & virtute privati. Etenim mors non his deflenda aut misera videri debet qui diem obeunt, si justitiam coluerunt, sed illis potiùs qui supersunt. Illi enim fortunæ omne arbitrium effugerunt, his novarum rerum impetus pertimescendi. Illi suum finem, in quo est vitæ perfectio, sunt sortiti; aliis asperum iter agendum. Quò verò meliores habentur fines quàm ea quæ ad finem

spectant, eò sapientis mors melior perfectiorque quàm hæc vita æstimanda est. His mors gravis esse debet quorum vita morti est similis, nulli virtuti conjuncta. Quibus autem perpetua laus & gloria vitæque anteactæ fructus proponitur, ii mortem æquo animo ferunt, tamquam laborum finem & præmia meritorum. Quoniam verò (ut jam redeamus quò nostra defluxit oratio) illius laudes sumus prosequuturi cujus nulla pars vitæ laude vacavit, in eas distribuemus ut tum vitam omni commendatione exactam, tum opera quæ in nostram utilitatem edidit recensеamus. Natus est hic Aretii civitate admodum antiqua ac maximè nobili & olim inter capita Ethruriæ, cùm ea potens viris armisque esset æstimata. Hæc olim urbs adeo opibus virisque magnifica & opulenta fuit ut eam solam quondam P. Scipioni ad bellum Punicum proficiscenti triginta millia scutatorum pollicitam esse, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas milia quinquaginta, summamque pari cujusque generis numero expleturam, secures, rutra, falces, alveolos, moles, quantum in quinquaginta longas naves opus esset, tritici centum & viginti milia modia, & viaticum decurionibus remigibusque allatura T. Livius refert. Magna profectò potentia, amplitudo, opulentia ejus civitatis censenda est quæ tantum ad belli Punici expeditionis attulit quantum universa Ethruria vix hodie possit efficere. Sed & nostris quoque temporibus duabus rebus quibus honor & fama præcipuè acquiritur semper claruit, militari gloria, & studiis litterarum. Multos illa civitas nobiles & egregios in re militari viros, ut de superioribus silеamus, nostra ætate protulit, plures litterarum studiis in omni genere doctrinæ præclaros, quorum pars diem suum obiit, pars Dei beneficentia ad communem eloquentiæ & sapientiæ usum nobis reservavit; qui

T. Livius lib. 22.

cùm sint vobis notissimi, eorum nomina, ne eis blandiri videar, prætermitto. Vnum non præteribo, quod forsitan multis ignotum est, Franciscum Petrarcham virum doctissimum ac sapientissimum, cujus ingenio plurimùm debemus, patria, ut ipse testatur, Aretinum fuisse. Itaque maximas civitati illi docti omnes & habere & agere gratias debent, quæ Musarum domicilium videtur nostris temporibus extitisse. Certè ab eis humanitatis & sapientiæ studia exculta maximè sunt atque amplificata. Et genere Leonardus minimè claro fuit. Sed quod natura non attulit, virtus elargita est. A se ipso enim nominis claritatem ac generis nobilitatem traxit. quæ vera est & perfecta nobilitas. In quo enim virtutum splendor consistit, in eo ingenua ac perfecta nobilitas inest, non exteriùs proficiscens, sed nascens domi, non alieno sed proprio beneficio parta, non majorum opera, sed suis vigiliis, laboribus, studiis acquisita. Nam qui genus jactat suum, ut tragicus inquit, aliena laudat. Et quidem quanto præstat lumen præbere aliis quàm alieno splendore lucere, tanto satius est sibi peperisse nobilitatem quàm alteriùs munere accepisse; si tamen accipi potest, & non sibi quisque nobilitatem comparat virtutum gloria & rectè factis, ex quibus maximè nobilitatis aura resplendet. Itaque sive, ut Aristoteli videtur, ei nobilitas virtute & opibus comparatur, hic egregiè nobilis evasit; sive ut Stoicis placet, sola virtus illam parit, satis abundè nobilitatus est & claritate nominis per ora omnium pervulgatus. Ab ineunte adolescentia Latinas litteras in patria percepit; & cùm animo majora quædam conciperet, Florentiam se contulit, in qua uberior discendi facultas & amplior consequendæ laudis campus esse videbatur. Ibi quadriennio juri civili operam dedit. Quo in studio cùm plurimùm profeciisset, supervenit Manuel Chry-

soloras ex urbe Constantinopoli, Græcorum omnium sapientia & eloquentia tum facilè princeps, qui studia Græcarum litterarum, quæ jamdiu in Italia oblita & sepulta erant, apud nos primus excitavit. Et cùm plures ad ejus doctrinam confluerent, haberenturque cœtus præstantiores, Leonardus illorum gloria commotus, cùm in eo studio magnam laudem propositam videret, posthabita juris civilis cura, adhæsit Manueli; brevique effecit ut omnes coauditores tum bonitate ingenii, tum studio diligenti facilè superaret. Exercebatur tum Latina in Græcum sermonem, tum Græca in Latinum convertens. Sed cùm utraque in lingua adeo profeciſſet ut eloquentia excelleret omnes qui tum doctiſſimi habebantur, labores verò suos tantummodo laudari, nihil verò sibi afferre emolumenti cerneret, & premebatur inopia, ut qui tenui esset censu, rediit ad disciplinas juris civilis, quæ suis cultoribus opes & divitias pollicentur. Querebatur sæpe mecum pronostra familiaritate se invitum & necessitate compulsum relinquere ea studia ex quibus magnam sibi gloriam paratam omnes prædicabant, & ad eam scientiam quæ jam antiquasset se everti; præsertim cùm tamquam studiorum suorum primitias jam quædam opuscula edidisset summa cum eloquentia & omnium commendatione. Accidit interea ut ego ad curiam Romanam proficiscerer, Bonifacio IX. Pontifice, fieremque paulò pòst quàm accesseram litterarum apostolicarum scriptor. quod officium & utile est & honestati dignitatique conjunctum. Successit anno pòst Innocentius VII. defuncto Bonifacio in pontificatu. Et cùm antea Leonardus, qui illam legum molestiam effugere cupiebat, primò verbis, deinde litteris egisset mecum ut curarem ut in curiam accersiretur ad aliquod exercitium, ex quo victum honestum posset consequi, mihi verò cum his

qui essent Innocentio proximi summa esset necessitudo, laudando Leonardum, & orationis elegantiam virtutemque præ ceteris extollendo, ac simul quædam ejus scripta ostentando, effeci ut is, licèt ignotus tum Pontifici tùm ceteris, ab Innocentio Secretarius fieret, duorum præsertim opera qui Pontifici etiam carissimi, mihique satisfacere cupiebant. Qua in re multas ac graves contentiones susscepi adversùs quosdam qui illud idem summopere ambiebant. Sed ego omnia pro amico subeunda esse judicans, & illius desiderio satisfacere cupiens, nullum laborem, nullam diminutionem honorum, nullam malivolentiam pro nostra conjunctione declinandam putavi. Meis itaque litteris accitus ad Vrbem, pauloque pòst meorum opera Secretarius effectus, ostendit vera esse quæ à me de eo ferebantur; brevique se in Pontificis, qui humanissimus erat, benivolentiam insinuans, illi acceptissimus fuit. Eodemque officio, quod semper summa integritate, fide, innocentia administravit, Gregorii quoque atque Alexandri & Iohannis tempore, cujus pontificatus quæstuosissimus fuit, functus est, multasque tum pecunias Iohannis indulgentia contraxit. Sed cùm Iohannes esset Bononiæ, Leonardus accitus est à vobis in Cancellarium. quo in officio paucis mensibus præfuit. Nam tum novi exercitii difficultas, tum majoris spes emolumenti, eum coëgerunt ut abdicato officio, ad prioris exercitii vitam rediret. Romam, in qua Iohannes Pontifex aderat, profectus est. Paulòque pòst uxorem duxit adolescentem optimam, ex qua unicum filium susscepit, quem mœstum & sordidatum flentemque videtis. Tum ad Vrbem rediens, Pontificem sequutus est quoad Constantia civitate Germaniæ, quò Concilii causa accesserat, aufugeret. Hîc cùm cerneret Iohannem præcipitem se agere, multa verò tum pericula illum sequen-

Vide Aretin. lib. 1. epist. 1, 2.

Vide Aretin. lib. 3. epist. 12.

tibus impendere viderentur, finem illius sequenti sibi constituens, Florentiam reversus est. Et cùm literis ac scribendi rure contentus, ac honesto otio frueretur, iterum cancellaria ei à vobis demandata est; quæ summa cum laude atque auctoritate usque ad extremum vitæ tempus ab eo gesta est. Functus est etiam summis magistratibus civitatis. Nam bis ex Decemviris summo civium favore factus fuit, vexillumque societatis tribus gessit, ac ex Prioribus unus creatus est. Ad id quoque (quod præcipuum est in civitate) vexillum perveniſſet, nisi mors vivendi finem attuliſſet: quæ licèt in ætate provecta contigerit, tamen acerba dici potest atque immatura, si virtutes ejus consideretis, si mores, si scribendi utilitatem, si gravitatem, si prudentiam, si otium quod semper ad scribendi curam utilitatemque viventium conferebat. Quæ omnia nobis dies unus abstulit, eumque abstulit quem, si fas esset optare, oportebat fieri immortalem. Quia autem duo genera sunt hominum qui procul à laude militari vitam honestam sequuntur, alterum eorum qui animum suum applicant ad rempub. gubernandam, inque ea administranda labores pro communi utilitate suscipiunt, alterum eorum qui otio dediti litterarum quiescunt procul à turbine populari, utrumque Leonardus noster est summa cum laude complexus. Nam otii fructus uberrimos nobis & quam plurima ingenii sui monumenta reliquit. Rei etiam publicæ curas gubernandæ adiit; in qua ita versatus est ut summa continentia, integritate, & virtute, atque innocentia nemini cesserit, & præstiterit multis. Magna hæc summi ingenii argumenta sunt & præstantis naturæ insignia, cùm in otio tantum reipub. muneribus sit impartitus quantum qui nihil aliud agunt, & tanta conscripserit quanta ne illi quidem assequuntur qui procul à reip. laboribus summa in quie-

quiete conseneſcunt. Vita fuit per omnem ætatem parciſſima ac ſevera. Summa vixit æquitate, continentia animi, modeſtia, juſtitia, ut qui neminem unquam laceſſierit injuria, nemini maledixerit. Amicis præſto erat, ſi quid ejus opera uti vellent. Prudentia ac gravitas in eo viguit ſingularis. Quod ei tempus à literis ſupererat & à reip. negotiis, tum privatæ rei impartiebat, tum cœtui amicorum, quibus admodum delectatus. Domi ſeverus, foris humanus fuit. Moroſior paulùm difficiliorque habitus eſt quàm ſtudia humanitatis & doctiſſimi viri ratio poſtulare viderentur. Sed moroſitatem parcitatemque à natura contraxit, virtutes ſibi ſtudia ac ſcribendi agendique diligentiaque perpererunt. Verùm quod multis vitio tribuitur, id ego in viris doctis minimè judico reprehendendum. Non enim aliquando non ſibi naſci hominis eſt virtute præſtantis, ſed trunci potiùs ac ſtipitis inſulſi. Quidam tarditate mentis & ſtupore quodam pigreſcunt, nihil ſentientes, etiamſi more bubulorum ſtimulo pungantur. quod non virtutis videtur eſſe, ſed ſtupiditatis. Nam excitata ingenia prompta vigentia neceſſe eſt commoveri quandoque ad breve tempus; & aut aliorum timiditate aut injuria aut errore ſubita quadam indignatione excitari, id magis naturæ ingentis ac perſpicacitatis eſſe videtur quàm aut diſſimulare paſſionem, ut multorum qui ſe bonos haberi volunt mos eſt, aut omnino non commoveri, quod nulla virtus præſtat, ſed mores aut callidi aut hebetes ſenſus aut ignari. Non autem ſubita effervescentia & repentina quædam indignatio, quæ nemini noceat, eſt vituperanda, ſed potiùs commendanda. Excitat enim animum, & ingenium ſolet reddere perſpicacius. Hæc vitæ ratio viri optimi fuit, quam paucis proſequuti ſumus, ut ad ea quæ majora ſunt, quæque mihi ſecundo loco propoſue-

ram dicenda, veniamus. Cùm adhuc Græcis auctoribus Florentiæ vacaret, transtulit sermonem quendam beati Basilii quem habuit ad discipulos instituendos mira dicendi suavitate, ut non traducta oratio, sed à se profecta videretur. Deinde summa elegantia dialogum quendam edidit, in quo cùm primo libro viros præstantissimos doctissimosque Dantem, Franciscum Petrarcham, Iohannem Boccatium, eorumque doctrinam, eloquentiam, opera impugnasset, secundo in superioris excusationem ipsorum & virtus laudata est. Et vita Tiberii & Cai Gracchorum, Pauli Æmilii, Catonis posterioris, Sertorii quoque & Ciceronis ex Plutarcho Latinas fecit. Sed vitam Ciceronis non tamquam interpres sed velut à se editam composuit, multa addens à Plutarcho prætermissa. De laudibus hujus florentissimæ urbis edidit librum unum. Transtulit præterea libellum Xenophontis de tyranno, ex Platone verò Gorgiam & Phœdonem & epistolas quasdam. Ex Aristotele autem œconomicam, in cujus explanationem quædam edidit, ac ethicorum & politicorum libros, in quibus rejecta barbarie pravorum translatorum, ita ad verbum ferè sententias exprimit ut facilè intelligi queant à Latinis. Insuper Aristotelis vitam scripsit multis ex auctoribus tam Græcis quàm Latinis contractam. Commentaria quoque primi libri belli Punici ex Polybio Græco historico duobus libris expressa reliquit. Ex Procopio historiam Gotthorum quatuor libris complexus est. Volumen quoque epistolarum & plura opuscula, velut de militia, contra hypocritas nostri temporis, separatim historiam; multaque præterea composuit in quibus dicendi elegantia & summa ingenii vis apparet. Sed quod sibi summam etiam laudem omnibus affert seculis, historia est de rebus Florentinorum duodecim libris scripta. Orsus est eam paulò supra trecentesimum

annum, à quo tempore res populi Florentini certiores ex superiorum scriptis reperiuntur, opus certè luculentum, & quo fama nomenque Florentinæ urbis in æternum ad posteros certo & maximæ auctoritatis scriptore demandabitur. Non autem quod proposuerat ad extremum deduxit. Nam cùm constitueret ad hæc nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo quæ cum priori Duce Mediolani gessimus conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit. Hujus historiæ causa singulare à vobis est ei virtutis præmium constitutum, quod & gratæ & ob susceptum beneficium civitatis memoriam præberet & alios excitaret ad commendanda gesta ejus urbis quæ tam memorem se præstaret bene erga patriam meritorum. O civitatem egregiam! O rempub. & summis laudibus extollendam! O dignam maximo imperio urbem, in qua tanta doctrinæ præmia exposita esse videamus! Neque ullam esse rempublicam, ullum populum, ullos Principes, apud quos studiis humanitatis & eloquentiæ deditis majora virtutis munera sint concessa, apud quos tantus habeatur optimarum artium studiis honor. Nam cùm primùm domicilium Leonardus Florentiæ elegit historiamque cœpit contexere, civitate à vobis & certa census quantitate, quæ etiam ad filios manaret, in civitate donatus est. Eadem immunitas & Carolo quoque Aretino summa eloquentia atque sapientia prædito postmodum concessa. Postremò quoque & mihi, licèt in doctorum aut eloquentium numero minimè sim censendus. Sed tamen mihi, eadem similium studiorum de me concepta opinione, idem muneris tribuistis. Leonardi verò, quæ antè ad tempus concessa erat, immunitatem in laborum suorum retributionem perpetuam effecistis. Tantum abest ut hanc rempub. pœniteat gratias beneficii reddidisse

ut illud majore lib ralitate voluerit esse accumulatum. Vbinam gentium audimus tanta beneficia cives, tam propensam in ornandis viris excellentibus civitatem, tanta suffragia eloquentiæ studiis impensa? Hæc verò præstans humanitate ceteris gentibus communis bonarum artium patria dici debet & dicendi artis officina, quæ humanitatis doctrina præditos recipit, colit, fovet, & summis honoribus ornat, tum dum spiritum trahunt, tum etiam dum vita sunt functi. Apud Athenienses olim magna copia fuit scriptorum qui eorum res gestas suis vigiliis ornarunt, tum Græci, tum peregrini; sed nullum eorum legimus aliqua ab Athenienſibus suorum laborum præmia publicè consequutum. Romanorum facta ac dicta multa præclara ingenia conscripsere. Ennium tantùm civitate donatum accepimus opera P. Scipionis. Nullum ex reliquis, cùm plures fuerint, comperimus aliquo à repub. munere affectum, cùm sua in tradendo posteritati Romanorum memoria vitam & operam collocassent. Hæc sola inter ceteras urbes, tamquam sapientiæ domicilium & studiorum optimorum auctrix, admirabili quadam virtute & animi excellentia Pierum, qui primus ejus gesta suis scriptis in lucem prodere est aggressus, maxima beneficia in vivum, singulares honores in mortuum collocavit, ostenditque quam accepti ei sibi essent quorum opera in suo honore & laudibus versaretur. Magnum hoc in reliquis incitamentum ad capessendum id doctrinæ genus in quo qui elaborant, maxima suorum laborum vigiliarumque sunt præmia consecuti. Major illorum consolatio quibus civitatis indulgentia fuit tam propensa ut singuli munere fungerentur maxima civium gloria, quorum nomen reddetur scriptorum studiis & tali beneficentia immortale. Sed quoniam Leonardus iter nobis ostendit, tum virtutibus suis, tum ingenii

præstantia, ad laudem & gloriam consequendam, hortor eos quorum vitæ ratio est à litteris aliena ut ejus virtutem, continentiam, probitatem, caritatem erga patriam imitentur. Licet enim etiam sine litteris civem esse præclarum & eum rempubl. tum consilio atque opere juvare. Nam & apud priscos illos & apud posteriores fuere permulti absque ulla doctrina excellenti virtute præditi, qui res & bello & pace præclaras magna cum laude gesserе. Et cum virtutis laus in actione consistat, continentiam, probitatem, innocentiam, animum in consulendo liberum, in agendo diligentem potiùs quàm scientiam civitas desiderare atque appetere videtur. Verùm litteræ si accedant, minimè sunt repudiandæ, sed appetendæ potiùs si desint, quoniam afferunt summum ornamentum earum cultoribus, & ad res agendas doctiores ac perfectiores solent reddere. Illos verò quibus Musæ sunt cordi, quique bonarum artium studiis deduntur, obsecro ut eum vitæ cursum quem cœperunt, dicendo scribendoque prosequi omni conatu atque animi contentione nitantur, sectenturque illius vestigia cujus laudes in cælum consensu omnium efferuntur, in primis autem virtutem colant & habeant vitæ ducem, sine qua & litteræ contemnendæ sunt, & doctrina omnis videtur esse repudianda. Nam quibus pluris est scientia quàm virtutis indagatio, ii viri evadunt callidi & pernicioſi & tum reipubl. tum ceteris inutiles. Logè enim errant illi à quorum mentibus abest virtus suorum actuum atque operum moderatrix, doctrinamque ad salutem hominum comparatam ad perniciem gentium convertunt. Re enim honesta abutuntur ad scelus & perfidiam, & tamquam virginem castam videntur prostituere in nefarios usus. Itaque omnes qui viri magni & ceteris præstantiores esse volunt nomenque suum reddere

clarum, litterarum ſtudiis & doctrinæ exercitia virtutum adjungant, eaque ad reipub. & ad ſingulorum utilitatem conferant. Præſtat enim indoctum civem eſſe quàm malum, minùſque malus civis rudis quàm doctus qui rempubl. perturbat & nocet civitati. Qui autem hæc duo enixè amplectuntur, neceſſe eſt ut primùm beata vita fruantur, quæ virtute & rectè factis acquiritur, tum verò aſſequantur memoriam nominis ſempiternam, poſtremò felicitatem futuræ vitæ, quæ eſt vera & perfecta felicitas, quamque omnes debemus appetere, conſequuntur.

BAPTISTÆ POGGII AD R. P. D. CARDINALEM PAPIENSEM CARDINALIS FIRMANI vita incipit feliciter.

PRÆFATIO.

CVm multos noſtra & majorum memoria fuiſſe conſtet qui maximis in rebus domi foriſque ſumma cùm laude ſint verſati, ſoleo plerunque eorum, ut ita dicam, infelicitatem mecum ipſe reputare quòd nulli aut admodum pauci ſint niventi quorum vitam aliquibus litterarum monumentis illuſtrare contigerit, cùm tamen plurimos doctrina & ingenio præſtantes habuerimus, qui in eis hominibus recenſendis ingenium exercere potuiſſent. Verùm ii, neſcio qua ſpe ducti, aut illa antiqua repetere aut hæc omnino tacere maluerunt. Quòd ſi illorum fuit judicium non fuiſſe ullos dignos quorum vita meritò litteris mandari à doctis viris potuerit, ideoque vel nullam vel omnino parvam ex iis quæ ſcriberent gloriam ſe ſperabant conſecuturos, equidem meo judicio plurimùm erraſſe deprehendentur. Neque enim video cur Franciſcus Petrarcha, Dantes, Boccacius, ut alios prætream, multorum qui & ante ſe & ſuis temporibus floruerunt jure vitas ſcribere non potuerint, ſi vera ſunt quæ ipſi de nonnullis

breviter tradiderunt, aut quamobrem Leonardus Aretinus, qui Franciſci Petrarchæ, Iannotius, Manettus Nicolai quinti, Fatius Alphonſi, Campanus Brachii, Platina Pii ac Victorini vitas elegantes ſummaque cum doctrina memoriæ mandaverunt, ſua gloria potiùs ſint fraudandi (invidia & livor abſint) quàm ex Latinis Spartianus, Lampridius, Suetonius; ex Græcis verò Laërtius, ceterique qui antiquorum vitas ac geſta copioſiſſimè perſcripſere, aut quamobrem qui ex noſtris clari inter alios excelluerunt, non eandem atque illi gloriam benefactorum dictorumque ſint habituri. Quis eſt enim ita malevolus qui & eorum quos commemoravi & multorum aliorum virtutes, quæ plurimæ ſunt, mores, doctrinam, geſta indignas doctorum virorum commemoratione dicere audeat? ita etiam faſtidioſo ſtomacho ut ea referri aliquando æquo animo non patiatur; quandoquidem in dies Neronis, Caligulæ, Commodi, Heliogabali, & ſimilium portentorum memoriam refricari auribus ſuis non ſolùm non moleſtè ferant, verùm etiam libenter audiant. Equidem haud abnuerim, quòd ipſi ſæpius afferre ſolent, illorum temporum magna ingenia, maximis etiam in rebus verſata, materiam ſcriptoribus uti amplam, ita & admirandam præbuiſſe; nec eo inficias quàmplurimos ex illis omni virtutum genere excelluiſſe. Illud tamen affirmo, fuiſſe multos ex noſtris, ſive ii domi ſive foris ſint verſati, qui nequaquam vel rerum geſtarum gloria, vel doctrina, vel ſanctitate vitæ multis, quos ipſi ſummis laudibus proſequuntur, poſtponendi viderentur, ſi modò ea ſcriptorum ingenia nacti forent. Quis enim eſt qui Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & item Ægidium Romanum, multos præterea philoſophos, à quibus tam virtutum quàm doctrinæ omnia exempla capi potuiſſent, Xenocrati, Diogeni,

Chryſippo, & aliis hujuſmodi non anteponat? Quis Federicum Barbaroſſam, Gottifredum Bulionium, Tambellanum Xerxi, aut Cyro, Pyrrho, de quibus tam multa feruntur, comparandos negabit? Quis Galeazum Virtutum Vicecomitem ac Philippum Mediolani Ducem, ut alios penè innumerabiles præteream, indignos judicabit quorum facta celebrari à ſcriptoribus debeant? Igitur cùm multos habuerimus quorum vita omni laude & veneratione ſit cenſenda digniſſima, in iis verò noſtra ætas Dominicum Capranicenſem Cardinalem Firmanum, vitum vitæ exemplaris, integritate, fide, doctrina ſingulari, tulerit, ejus vitam litteris mandare inſtitui; non quòd illi immortalitatem meis ſcriptis pollicear, quam ſibi ipſe ſanctiſſimè acta vita comparavit, (id enim majoris foret ingenii) ſed ut ejus laudem jam propè ſeneſcentem, quantum ego poſſem, à ſilentio vindicarem; ſimul ut alios, qui multi ſunt, ingenio & doctrina præſtantes ad hæc aggredienda invitem. Nam ſi quiſquam, non ſolùm iis temporibus, ſed multò etiam ſuperioribus fuit cujus vita recenſeri à quoquam & laudari meritò poſſit, hic eſt profectò. Nemo enim illo caſtior, nemo ſanctior, nemo denique omni virtutum genere fuit ornatior. Non tamen in ejus explicanda vita ſectari minima quæque eſt animus, quod multos ex antiquis illis feciſſe legimus. Nam & infinitum eſſet opus; & multa de ipſis ſcripta libenter audimus quæ de noſtris non ſine audientium ſtomacho à nobis recenſeri poſſent. Te verò, Reverendiſſime Pater, potiſſimùm elegi ad quem hoc quicquid eſt operis mei deſtinarem; quod & me tibi plurimum debere cognoſco, & cui æquius ea dedicem non video quàm ei qui & dignitate par illi nunc eſt, & cum eo quondam familiariſſimè in omni vita vixit, multarumque ejus viri virtutum tamquam hereditarium mu-

nus suscepit. Te namque solum docti homines his temporibus patronum habent. Tu unus eos amplecteris, foves, ac tua liberalitate sustentas. Tu humanitatem conjunctam dignitati possides: In omnem fastum, omnem superbiam contemnis. Tu mitis, tu placidus, tu comis, omnes excipis & alloqueris. Quare cùm aliquando curis quas secum ista dignitas afferre solet & negotio vacaveris, hæc percurres; quæ si tibi probata esse cognovero, est quod plurimùm gaudeam. Perspexi enim tuam in me benevolentiam, novi doctrinam, novi judicium animi tui; nec invidorum aut malevorum morsus pertimescam: quin potiùs hoc meo studio & labore delectabor, quo memoria viri optimi ac sanctissimi aliqua ex parte renovari videbitur, & alii multi excitari, qui vel hæc eadem copiosiùs elegantiùsque rescribant, quò Latina lingua abundasse præclaris ingeniis nostra tempestate aliquando judicetur, vel multos præstantes viros meritis laudibus prosequantur; quorum præclarissimè ampliſſimèque acta vita ad hanc diem proprio honore fraudata, si celebrata à scriptoribus fuisset, non omnino antiquis illis quos tantopere admiramur, dissimiles domi forisque crederemur.

DOMINICI CARDINALIS Capranicæ vita incipit feliciter.

I. DOminicus anno salutis millesimo quadringentesimo pridie Kalendas Iunii natus est. Patrem habuit Nicolaum ex familia Capranicense. Hoc sub parente piè & castè nutritus, primam infantiam transegit. Mox, ætate adhuc puerili, ad litteras addiscendas addictus publicis sub præceptoribus, grammaticæ, inde rhetoricæ operam dedit; tantumque in iis studiis profecit quantum & ejus ætas tenera & adhuc rudis conditio temporum ferebat,

quibus nullo aut parvo pretio eloquentiæ studia ad eam diem fuissent. Id tamen est assecutus, ut si illum licuisset in iis studiis perseverare, eloquentem fuisse evasurum ex iis quæ postea scripsit appareat. His ergo studiis peragratis, ad jus civile & pontificium animum adjecit. Igitur Patavium profectus, biennio Iulianum Cæsarinum audivit, virum uti doctrina, ita vitæ sanctitate venerandum, quicum postea Cardinalis est creatus. Intellecta deinde Iohannis Imolensis fama, Bononiam concessit, & illum continuum triennium audivit tanto studio ut nunquam scholam eo absente ingrederetur. Ita verò illum toto eo tempore observavit ut ab ejus latere nunquam ferme discederet; & aliquando Iohannem ad amicos conversum dixisse ferant, vel se omnino falli, aut videre adolescentem magno sibi honori futurum. Fuit enim illi à pueritia ingenium perspicax, lingua acuta & prompta, judicium incorruptum, præterea studiorum tanta cupiditas, ut plerunque vel totas noctes insomnes legendo transigeret, si quando verò somno vinceretur, sedens capite ad parietem reflexo per horam dormire consueverit. Ita cùm eo tempore tantum profeciſſet ut nulli ejus sectæ secundus haberetur, insignia iis, qui ad extremum studiorum tantorum pervenerint concedi tamquam emeritis solita accepit, annos natus viginti duos; statimque acceptis litteris à Martino quinto, qui ex Concilio Constantiensi rediens Mantuæ substiterat, ad illum proficiscitur, à quo Cameræ Clericus est factus. Est autem is magistratus qui ea tempestate in Romana curia & dignitatis magnæ esset & gratiæ. Rerum namque omnium Ecclesiæ ac Pontificum veluti Quæstores urbani, libros in quibus rationes publicarum pecuniarum continentur tenebant, lustrationem exercituum, urbis, provinciarum omnium curam suscipiebant. Quæ

omnia temporum culpa penè amiserunt. Inde in Secretariorum numerum adscitus, clarissimis totius orbis viris collega additur, & qui non minus dignitatis existimationisque ei officio attulerunt quàm ipsi ab eo loco ornamenti acceperint. Hi fuerunt Leonardus Aretinus, Cincius Romanus, Antonius Luschus, Vincentius, & parens meus Poggius Florentinus; cum quibus nec satis longo intervallo in eum ordinem lecti, Iacobus Languisco Veronensis, Blondus Forlivienſis, & alii multi simul floruerunt; qui unà cum eo sunt extincti. Nam posteaquàm à Calixto, nullo aut hominum aut loci habito respectu, sordidissimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis prætoriæ modum numerus est institutus, quæ quondam maxima in curia Romana erat, dignitas esse desiit, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti sunt, rati oblatam sibi honestam causam quò tantam gentium colluvionem comprimerent, ad unum omnibus collatis, eum ordinem funditus sustulerunt. Non tamen omnino desperandum est futurum aliquando ut amplissimus ordo in antiquam dignitatem restituatur, quandoquidem & summa ipsius loci auctoritas & memoria multorum virorum excellentium, qui maximo ornamento quondam Pontificibus fuerunt, aliquos excitaturæ fore videantur.

II. Igitur cùm Secretarius esset, cum Leonardo Datho, qui eo tempore & sacrarum litterarum scientia & sanctitate vitæ clarissimus ordinis Prædicatorum, ut appellant, Generalis erat, ad dissolvendum generale Concilium à Pontifice Senas mittitur, in qua tum urbe convenerat ex nonnullorum Italiæ Principum & Prælatorum voluntate, qui ægrè ferrent à Pontifice sperni quæ quondam de communi omnium voluntate accuratè optimèque in eo Concilio decreta erant cujus auctoritate ad pon-

An. 1423.

tificatum electus foret. Eò igitur ubi ventum est, sua prudentia effecerunt ut omissa ejus rei mentione, id in civitate Germaniæ Basilea septennio pòst conventurum indicerent.

III. Romam inde Dominicus rediens, Protonotarius factus, in Flaminiam pro Legato destinatur, ut Forlivium Imolamque urbes à Philippo Duce Mediolani novissimè restitutas Pontifici administraret & in fide contineret, quod ejus maxima diligentia factum est. Nam cùm de pace inter Ducem & Venetos Florentinosque belli socios convenisset, & Bononia Baptistæ Cannetuli opera à Pontifice defecisset, expulsis adversæ factionis principibus, qui partes Pontificis sequebantur, Flaminia etiam omnis ad defectionem spectaret, Dominicus ex templo contractis in unum præsentibus copiis (ii erant equites sexcenti, qui Ecclesiæ stipendiis militabant) eas urbes in fide continuit, & innovare res molientes prohibuit; nonnullis ejus rei auctoribus ultimo supplicio affectis, accersitis insuper novis auxiliis à Carolo Malatesta, qui Ariminum Vicarius pro Ecclesia tenebat, contra Baptistæ & Bononiensium audaciam castellum sancti Petri & castellum Bolonienſium oppida defendit. Insequenti deinde æstate, majoribus copiis à Pontifice acceptis, duce Iacobo Caudola, Bononiensibus bellum inferre jussus est. Igitur adjuncta sibi exulum manu, quorum princeps erat Antonius Bentivolus, & ipse à Baptista pulsus, agrum Bononiensem hostiliter ingressi, omnia ejus oppida, quæ aut vi capta fuerant, aut sponte in ditionem hostium venerant, receperunt. Ducto deinde propiùs urbem exercitu, cuncta igni ac ferro populati sunt, ea potissimum ratione, ut aut hostes ad pugnam elicerent, aut vastatione agrorum ad deditionem compellerent. Verùm cùm nec direptio villarum, nec agrorum depopulatio, ullave

alia belli calamitas eos terreret, urbem obsidione cinctam pactione in fidem receperunt. Protracta est tamen ductorum culpa ad undecimum mensem obsidio, qui adeo infidè bellum gerebant ut cùm aliquando exules mœnia ascendissent, potuissetque parvo labore urbs capi, si auxilia petentibus subministrassent, castris egredi, Legato etiam detestante eorum perfidiam, noluerint. Quamobrem pluribus amissis, illi, mœnibus dejectis, sunt urbe potiti; tranquillatisque Romandiolæ rebus, obnavatam operam bene ac feliciter Firmi Episcopus declaratus, & procuratio..... urbis omnisque ejus regionis quam Ducatum Spoletanum vocant illi demandata est. Quam provinciam biennio ea vitæ integritate, continentia, justitia administravit quanta ad assequendam omnium provincialium benevolentiam fide sua incolumi fieri poterat ac reverentia. Nullius namque gratia, nullius precibus cùm à justitia moveretur, æquabilem se omnibus semper præbuit. Id verò quod difficillimum videtur præstitit, quia varias quibus ea provincia abundat factiones adeo sedavit, atque eorum principes tanta benevolentia, sua humanitate, mansuetudine, prudentia invicem devinxit ut inter eos nullæ inimicitiarum aut irarum causæ remansisse viderentur, sibique ac rebus suis optimè consultum à Dominico crederent & gloriarentur. Is namque cùm specimen justitiæ, temperantiæ, continentiæ, Ecclesiæ Præsulum ferme primus dedisset, ostendit persæpe administratores provinciarum aut avaritia sua, aut luxuria, aut ambitione multarum perturbationum fuisse causas, cùm quandoque præficiantur iis externarum gentium viri, qui aut precibus amicorum emendicati, aut aliquo modo potentioribus obnoxii, ut plurimùm egentes atque omnium rerum inopes sint, nulla verò virtute sed fortunæ beneficio id muneris assecuti,

arrogantes, superbi, contumelioſi reperiantur, eaque agant, ea aggrediantur quæ quivis prædo mercenarius, non dignitatis, quam nullam cognoverunt, non virtutis, à qua longè abhorruerunt, non provincialium, quorum cura non rapina illis demandatur, ſed ſuæ cupiditatis memores, ſe non provinciarum adminiſtratores ſed mercatores potiùs credentes, potiſſimùm attendunt quonam maximè modo ſuam avaritiam aque egeſtatem expleant, in qua continuè vixerunt: quæ etiam eò immoderatiùs agunt quò magis ſucceſſorem timent. Accedit præterea, quod omnium cumulus eſt miſeriarum, & plurimos ad maleficium impellit, quia oppreſſorum voces aut ad Pontifices deferri nequeunt, aut ſi fortè devenerint, aulici quique principes circumſtant, plerunque ſanguine miſerorum empti, ſive amicitia ducti, ſive ut iis idem impune facere liceat, Pontificum voluntatem, quamvis optimam, deprimere non deſiſtant.

IV. Ita cùm Dominicus eam provinciam adminiſtraſſet ut nec mitiùs aut æquiùs ab optimo patrefamilias domus regi & res adminiſtrari poſſet, tantaque fuiſſet lenitate, manſuetudine in omnes, eaque caritate ut à plurimis pater, à multis frater, à nonnullis filius, excepta ea dumtaxat dignitate, diceretur, nullum verò ejus factum atrox, nullum injuſtum, nullum avarum, nullum libidinoſum, nullum quoque inſolens verbum, nullum impudens quiſquam vel audiverit aut viderit, adversùs omnem cupidinem atque avaritiam invictus vixerit, à Martino creatus eſt Cardinalis ſecretus. Moris eſt Romanorum Pontificum, multiſque annis obſervatum, cùm aut plures pro Cardinalium creatione ſibi ſunt infenſi, vel ipſi augeri collegii numerum ægrè ferant, Pontifices verò quempiam ad eam dignitatem velint extollere & competitorum moleſtias evitare,

dissimulata aliquorum creatione de collegii sententia, quos volunt nominant Cardinales, præsentibus jurejurando adactis se illos pro Cardinalibus habituros nec obstaturos quominus in suum collegium recipiantur. Certum insuper tempus statuunt quo id palam fiat. Qui contrà fecerint, sacris interdictum fore. Ita Dominicus Cardinalis creatus est. Convenerat verò inter Pontificem & Cardinales ne intra biennium pronuntiaretur Dominicus ; quòd si interea moti Pontificem contingeret, liceret illum interesse pro Cardinali alterius electioni, ac deinceps talis haberi; idque jurejurando sanxerant.

V. Ceterùm Martino haud multò pòst mortuo, Dominicus dimissa provincia Romam venit, & ad ædem beati Laurentii via Numentana subsidens, ex amicis quendam in urbem ad collegas misit, qui & publicè & privatim à singulis postularet ut venire sibi ad suffragia ineunda pro creando Pontifice liceret, simul & ostenderet illum sua humanitate petere ab iis quod scirent sibi liberum esse. Sed cùm variis inter eos habitis sententiis, prout cujusque animus ambitione aut odio rapiebatur, res longiùs trahi videretur, missis iterum ad omnes amicis communibus, qui aut id ab eis impetrarent, aut injussum se venturum exponerent, quamvis æqua postulare videbatur, tamen nonnullorum Cardinalium persuasionibus ab incepto destitit affirmantium, si hanc suam, quamvis justam, voluntatem paulùm differret, futurum ut faciliùs quod speraret assequeretur.

VI. Expectata ergo novi Pontificis creatione, cùm Eugenius ordine quartus electus esset, statim ad illum misit qui primò ei pro tanta potestate adepta gratularentur, deinde peterent ut se cum Cardinalium insignibus ingredi urbem pateretur. Cùm verò procrastinando nedum à Pontifice differri sua postulata videret, verùm etiam consiliis quorundam Cardinalium,

Cardinalium, qui Martino infensi fuerant, aures præbentem de se capiendo consilia agitare, omissa ejus rei mentione in provinciam reversus, Montefalcum Ducatus Spoletani oppidum se contulit. Eò quoque cùm missos à Pontifice milites venire intellexisset & parùm abesse, simulato in propinquum castellum itinere, clam quatuor comitibus assumptis ad Soractis montem (is est in Falisicis) proficiscitur, & in sacello quodam sexaginta dies continuos latuit, omnia experiri statuens quò Pontificis iracundiam & plus æquo inimicorum calumniis præbentem aures leniret; qui ea specie quòd diceret Martini nepotes, quibuscum bellum Eugenius inceperat, ejus opera contra Ecclesiam arma movisse, omnia ejus bona publicaverat, beneficiis etiam spoliaverat. Sed cùm ejus leniendi nulla spes videretur, & apud iniquum judicem malis præterea usum consultoribus agi causam animadverteret, inita quoque de se interficiendo consilia, Basileam proficisci constituit, quò aliquot antè annis illo auctore Concilium à Sena translatum diximus. Verùm cùm priùs adire Ducem Mediolani placeret, qui tum maximè infensus Eugenio erat, impetrata à Senensibus fide publica Sarteanum venit. Ibi vocatus per viatorem in judicium ab iis Cardinalibus quibus mandatum erat à Pontifice ut eam causam cognoscerent, venire noluit, & codicillis manu sua conscriptis, quibus ad Basileense Consilium provocabat, ad eos missis, Plumbinum maritimum Etruriæ oppidum se contulit. Deinceps expectata triremi, quam ad eum Philippus mitteret, Genuam concessit. Ibi benignè exceptus à magistratibus, qui pro Philippo urbem administrabant, equis insuper aliisque ad victum necessariis adjutus, ad Philippum terrestri itinere Mediolanum profectus est; ab eoque humanissimè ac liberalissimè susceptus hospitio, plures dies apud

illum manſit. Impetrata deinde abeundi venia, ſuperatiſque Alpibus, per Helveticorum agrum Baſileam contendit. Vbi eò venit, illico apud Concilio præſidentes (ii ſunt viri aliquot de Concilii ſententia electi, virtute & doctrina præſtantes, auctoritate etiam ac poteſtate maxima, ut ad quos à Pontifice provocatio eſt) Pontificis injuriarum conqueſtus, ſuam cauſam propoſuit, quam triennium continuum ea modeſtia agitavit ut cùm plerunque tanta inopia fuerit, interceptis Pontificis juſſu tum paternis facultatibus tum proventibus beneficiorum, ut neceſſariis etiam ad victum indigeret, & Pontifex extorquere ab illo eam dignitatem vellet quæ maxima poſt pontificatum ſit, nemo tamen dictum quicquam ab eo aſperius, nihil contumelioſum in illum aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui ſuæ dignitati adverſarentur, ejuſque animum ſuapte natura mitem & ad meliora promptum aſſiduis delationibus criminationibuſque accenderent, tum etiam alios minorum ordinum, quorum natura eſt ut ex adverſis aliorum rebus & miſeriis ſuam potentiam creſcere, & vel adulando vel detrahendo Principum benevolentiam inire & ambire dignitates velint. Vicit tamen Dominici conſtantia, & tandem ex Concilii ſententia Cardinalis declaratur ſummo cum omnium inimicorum dolore. Nec multò poſt ab Eugenio vocatus Florentiam, ubi tum fortè degebat, in itinere, quem tanto labore ac periculo tantaque impenſa defenderat Cardinalatus pileo puniceo (quod ejus dignitatis inſigne eſt) uti cœpit. Impetraverant enim à Dominico Eugenii Legati, poſteaquàm Præſidentes pronuntiaverunt eum Cardinalem eſſe ac pileum ferre dederant, ne priùs quàm Bononiam veniſſet, eum gereret, magna contentione habita ut hunc ab Eugenio accepturus Florentiam venire vellet.

VII. Assumpto pileo recuperatisque omnibus quæ quondam amisisset, aliquot annis quietam vitam duxit, studiis maximè ac rei familiari intentus. Nam cùm parum acceptus Pontifici esset, ob eamque rem aliquid ab illo petere vereretur, quòd facilè negaturus videbatur, omnia negotia, omnem curam, tum privatarum suarum rerum, tum etiam amicorum prætermisit. Quòd si fortè aliqui ad eum venient qui suo patrocinio apud Pontificem egerent, vel iis se surripuit, aut suam operam denegavit apertè; nec ullis precibus diù ab illa sententia dimoveri potuit. Vnde morosi ac difficilis nomen sabiit. Quam etiam opinionem auxit, quia naturâ erat severus, nec ullius rei simulator aut dissimulator, ideoque instantibus plerunque asper, ad injustas verò preces sicut inexorabilis, ita ubi quid ab eo pervicacius peteretur, ad iram pronus, sed quæ statim recideret. A luxuria omni alienus & ambitione, idem continentissimus, & alienæ luxuriæ acerrimus castigator; idem minimè cupidus, sui tamen parcus. Verùm ubi illius integritas, fides, continentia omnibus nota esse cœperunt, summamque in eo viro tum prudentiam, tum modestiam esse apparuit, Pontifex illam pristinam duritiem in maximam benevolentiam convertit. Primò namque lenire odium, mox illum diligere carumque habere, demum illi plurimùm credere cœpit, omnia ex illius voluntate agere, illius judicium potissimùm sequi. Itaque provinciam Picenum illi administrandam destinavit; deinde etiam exercitui Legatum præfecit quem contra Franciscum Sfortiam paravisset, qui omnem ferme eam provinciam occupaverat. Ad exercitum igitur profectus, arbitratus se satis esse facturum si & hostes populationibus arceret & socios in fide tueretur, cunctando ac sedendo bellum conficere decrevit. Ita aliquandiu protracto bello,

cùm ſua diligentia eò hoſtes eſſent redacti ut vel decedere provincia commeatuum inopia vel ſe dedere cogerentur, ab exercitus ductoribus, qui ſe injuſſos pugnaturos vulgò minabantur, mutare conſilium est coactus. Vnde cùm potiùs improbare quàm non ſequi eorum conſilium poſſet, & ipſe in pugnam cum aliis proceſſit, nec quicquam prætermiſit in acie quod ad optimum etiam ducem pertinere videretur. Sed illius optimam mentem haud par fortuna ſecuta eſt. Fuſæ namque ac fugatæ Pontificis copiæ ſunt, capta ac direpta impedimenta omnia. Ipſe inſuper latus ac manum ſaucius, mutata veſte è pugna Auximum ſe recepit. Plures in eo prælio occiſi, multi capti, quorum magnum numerum ſua ipſe pecunia redemit. Plures etiam à Franciſco liberi ejus gratia abſque pretio abire juſſi.

VIII. Miſſus iterum Peruſiam, & illi oræ præfectus, præter antiquam illam in adminiſtrandis urbibus moderationem adhibitam atque diligentiam, plurimos magicis ſuperſtitionibus deditos, & in his mulierem quandam famoſiſſimam, ſcelerum convictos igni damnavit. Id præterea in hujuſmodi legatione continuò obſervavit ut bis in hebdomada Iuriſconſultos omnes & eorum diſcipulos in palatium convocaverit, ac propoſitis quæſtionibus eos diſputantes attentiſſimè audierit, nonnunquam verò etiam ipſe alteram partem tueretur. Interea cùm Aſculum & Rochacontrada ſua opera à Franciſco deſciviſſent, & multa ejus provinciæ exemplum ſecutura viderentur, ſi ad quem deficerent in iis locis cum imperio forent, juſſus tranſire in Picenum cum exercitu, Firmum compluraque ejus regionis oppida, impunitate propoſita, partim deditione civium, partim vi, in Pontificis poteſtatem redegit. Sed audita haud multò pòſt Eugenij adverſa valetudine, impetrataque abeundi venia, Romam conceſſit. Eu-

genio vita functo, creatus Nicolaus ordine quintus illum extemplo Tibur ad Alphonsum Regem Aragonum destinat, qui ægrotante Eugenio per speciem Ecclesiæ opem afferendi eam urbem ingressus, Nicolao restituere recusabat. Hic ergo cùm ad Regem venisset, sua auctoritate effecit ut eam urbem quamprimùm Pontifici relinqueret. Post hæc reversus in Picenum ad reliquias belli prosequendas, omni vi oppugnare hostium loca aggressus, omnia de Ecclesia infra paucos dies recepit. Mox hostes certamen detractantes, desperatis rebus abire provincia compulit. Post eam recuperatam, singulas illius urbes circuivit, earumque populos pro cujusque meritis sublevavit, res eorum stabilivit, dissensiones composuit, provincialium causas tum publicas tum privatas summa caritate & benevolentia audivit. Iuri autem reddendo plurimum temporis impartiit, qui multos annos vexata bellis provincia sine legibus potentiorum arbitrio vixerant, singulos etiam infimi generis homines summa clementia ac patientia audiens, plurima quoque ipsorum æquitate & misericordia magis quàm legibus composuit. Nam quæ proficiscebantur à legibus, ad facilitatem æquitatemque referebat, & controversias tollere quàm litium actiones constituere malebat. Quæ autem ipse non poterat, suis audienda & cognoscenda distribuebat. Nam tanta erat se sequentiam turba ut non minus trecentis hominibus in singulos dies audierit & eorum causas cognoverit, miserorum maximè patrocinio suscepto, quibus, cùm solvendo non essent, nec unde litium actiones sequerentur, se mediatorem posuit, ut æquitate res judicarentur. Quo factum est ut à multis vexationibus provinciales privatim sublevarentur. Publicè verò multis urbibus atque oppidis immunitates concessit. Vectigalia pleraque nova amovit, leges multas ad reprimendam

Prætorum & Miniſtrorum avaritiam tulit. Ipſe ne victum quidem ab illis exegit; dona omnia reſpuit præter ea que modica Legatis urbes ingreſſis à civibus offerri ſolent; nec in ſe aut eos qui ſecum erant fieri ſumptus ullos paſſus eſt. Ita provincia peragrata Romam reverſus, à Nicolao ſummus Pœnitentiarius factus eſt. Eſt autem ea hujus loci dignitas ac poteſtas ut ſecundùm Pontificem maximæ ſit auctoritatis; quam quò facilius retineret, id maximè obſervavit ut ejus miniſtri nonniſi probatæ vitæ eſſent, ſed ii potiſſimùm qui ſcriptores appellantur. Tantam verò in ſingulis diligentiam adhibuit ut nihil unquam in eo egerit cujus non probabilem ſaltem rationem afferre poſſet.

IX. Sub idem tempus Byzantium, quæ & Conſtantinopolis, in Turcarum poteſtatem venerat, tum Græcorum perfidia atque avaritia, tum etiam noſtrorum Principum negligentia. Quod cùm Nicolaus ægrè ferret, & ſuis temporibus adeo præclaram urbem impiorum viribus acceſſiſſe de ſua auctoritate judicatum iri crederet, ad eam recuperandam animum adjecit. Sed cùm ſuæ vires magnitudini rei non ſufficerent, eaque tempeſtate plurimùm maris ac terræ Alphonſi Regis Aragonum opes poſſent, Dominicum ad illum miſit, quem arma capere pro tantæ urbis recuperatione hortaretur. Sed cùm Rex teneri ſe Italico bello, quod tamen ſua & Venetorum ambitione ortum erat, cauſatus expeditionem differre, nec niſi rebus Italiæ compoſitis agi quicquam de ea re poſſe videretur, ad Pontificem rediit.

X. Per id ferme tempus Genuæ per factiones civium novi motus exorti erant. Contendebant Petrus & Ludovicus de Campofregoſo, antiquiſſima familia, & magna apud plebem propterea gratia, & Ioannes Philippus de Fliſco, & ipſe homo ſummæ po-

tentiæ & magnæ cognationis, civitatis principes. Dissensionum erat causa quòd Ludovicus, qui imperium populari favore tenuerat, & Petrum affinem suum honore atque auctoritate auxerat, ab eo deinde per fraudem ejectus restitui in antiquum locum gratiæ atque honoris volebat. Iohannes, cùm sua potissimum opera Petrus adeptus ducatum Genuæ esset, nulla in re fidem promissam sibi ab illo præstitam magno dolore afficiebatur. Petrus, qui dimisso imperio suam salutem committere potestati eorum qui se læsos arbitrabantur tutum non censeret, omnia priùs tendanda existimabat. Quare cùm suæ cuique eorum clientelæ, divisa nobilitas, divisus populus esset, magna insuper foris potentia, ad apertum bellum descenderant; eoque irarum jam res processerant ut nisi cum manifesta urbis pernicie arma deposituri non viderentur. Itaque veritus Pontifex ne ea res majoris tumultus principium foret, satis etiam cognoscens quàm opportuna urbs ad omnes res esset si bellum in Turcos susciperetur, Dominicum ad eorum res componendas misit. In eo itinere persuadet Ludovico itemque Iohanni Philippo ut omissis civilibus dissensionibus pacem, si æquis conditionibus daretur, cujus se interpretem futurum reciperet, amplecterentur. Deinde hortatus ut in ea sententia permanerent, Genuam contendit. Vbi eò venit, nil priùs egit quàm peractis de more sacris, imploratâque Dei & aliorum numinum ope, supplicia ad omnia templa tota urbe haberentur; è contrà verò ejus ratione habita omnia secunda prosperaque evenire. Intellecta deinceps causa discordiarum civitatis, principes, quos ad extremum ferme discrimen & cum patriæ pernicie dissidere apparebat, summa diligentia ac prudentia placavit: ereptisque armis ex manibus civium iratorum, civitatem in summo otio & tranquillitate collocavit, maxima omnium gratula-

tione, tantam difficultatem in ea re componenda experтus propter mobiles illorum animos & inpostulatis pervicaciam ut aliquando desperatis rebus Dominicus de discessu cogitaverit. Fuit enim reconciliandis amicitiis aut inimicitiis componendis promptissimus, ejusdemque rei studiosissimus; ut etiam quos aut ratione aut auctoritate lenire non posset, precibus quoque humilibus, ut ad genua sæpius procumberet supplex, in suam sententiam traduceret. Seditionibus civium sedatis, ad componenda sacra loca & mores sacerdotum conversus, qui ea licentia ac lascivia vivebant ut nil magis contra religionem esset, cum vulgò sacræ mulieres sacerdotibus atque aliis miscerentur, ædes earum sacræ veluti lupanaria essent, ipsæ urbem noctu interdiuque nulla aut sexus aut religionis verecundia cum suis amatoribus percurarent, sacerdotes quoque eadem admitterent, brevi in antiquos mores ac religionem restituit. Quæ quò faciliùs conservarentur, decreto etiam sanxit ut vetusto ritu quotannis synodi in Genuensium dioecesibus celebrarentur, utque eæ actæ essent, Episcopi quamprimùm ad Pontificem referrent. Multa præterea piè prudenterque ab eo viro facta atque instituta sunt, quæ à te in iis commentariis quibus omnem legationem illam complecteris, copiosè & eleganter sunt explicata. Illud nequaquam præteundum videtur, tantam fuisse tum Dominici diligentiam ut haud contentus res Genuensium composuisse, maritima quoque auxilia contra Turcum ab iis impetraverit. Qua ex re quanta fuerit quondam illius urbis magnitudo facilè judicari poterit; quando magna imperii parte amissa, & intestinis civium factionibus penè debilitata, tamen quadraginta cives in ea inventi sunt qui singuli singulas armatas triremes Dominico ad id bellum pollicerentur. Rebus Genuensium ita compositis ut non modò suam gle-

riam, sed Pontificis auctoritatem majestatemque auxisset, acceptissimus omnibus Romam revertitur.

XI. Inde cùm Pontifex quietis Italiæ cupientissimus, tentatis omnium animis, pacis & belli arbitrium esse penes Regem intelligeret, iterum Dominicum ad Alphonsum mittit, persuasus aut de pace omnino desperandum, aut eo interprete cum Rege conventurum. Nec fefellit hominem opinio. Nam brevi Regem & alios ad pacem sua prudentia perduxit; quæ quanta in eo fuerit, ex hoc uno facilè cognosci potest quia annum & eo ampliùs Romæ, ubi omnium Italiæ Principum rerumque publicarum Oratores convenissent, nequicquam tentata est. Agitata est tamen aliquandiu, animo Regis à quietis consiliis abhorrente, qui peteret ut Florentini domum Ludovico Patriarchæ Aquileiensi restituerent, quam aliquot antè annis publicè datam, quia is eo proximo bello contra eos pro Rege sensisse diceretur, publico etiam decretò ademissent, tamquam illi crimen falsò objectum esset, ut quæ de Gerardo Gambacurta capta, quod & ipse in eadem suspicione fuisset, Florentini redderent, veluti hoc suæ fidei maximè interesset, Florentinis verò id se facturos negantibus, & de sua auctoritate agi existimantibus si quæ quondam publico consilio egissent retractarent, vicit tamen Dominici constantia, & Regem ad æquas pacis conditiones deduxit. Qua ex re maximum ab omnibus sibi tum amorem, tum gratiam conciliavit; apud Pontificem verò plurimum fidei, plurimum etiam auctoritatis comparavit.

XII. Ea functus legatione, Romæ deinceps vixit, tum officio suo ministrando intentus, tum etiam iis quæ ad Ecclesiæ utilitatem dignitatemque pertinere arbitrabatur. Ingentes enim labores magnasque curas ita pro aliis continuè suscepit, ita sacerdotum

dignitatem & commoda pro viribus & defendit & auxit ut non sua causa sed ad communem omnium utilitatem natum diceres. Nihil verò magis toto co tempore egit, cum Nicolao primùm, mox Callisto Pontificibus, quàm instare orareque ut Byzantio recuperando incumberent & ad id Christianorum Principes incitarent. Ipse interea quamplurimis Genuensium convocatis, præterea Hungaris ac finitinarum provinciarum Græciæ habitatoribus & Turco, percunctatus diligentiùs de locorum omnium ac portuum natura & situ sæpissime est; & quà potissimùm bellum inferendum esset, terrestribusne copiis an maritimis pugnare satius foret, & unde faciliùs quæ exercitui, quæ bello necessaria essent, unde commeatus comportari possent, auxilia suppeditari, quàve hosti plurimùm resisti; eaque omnia accuratissime in parvum volumen redacta ad Pontificem misit. Verùm ubi ea sperni ab illis vidit reliquisque Principibus, expilandis autem undequaque per speciem parandi belli pecuniis enixè imprendi operam, à Calisto præsertim, tanta indignatione id tulit ut plerunque lacrymis non abstineret, sæpissime verò eorum rapacitatem apertè detestaretur, prædiceretque brevi ea cura neglecta futurum ut Turcus omnino Græcia potiretur, & majores calamitates reipublicæ Christianæ præbiturus foret. Nec fefellit virum ad omnia prudentem divinatio. Mœsiam namque, & Achaiam, Epirum, Macedoniam, Peloponesum fermè omnem ille in suam potestatem redegit, Albanos propriis sedibus expulit, Christianos maximis incommodis affecit; quorum nil eventurum cernebat, si principio, quamvis parvo conatu, obstitissent. His itaque rebus maximè sollicitus animo Dominicus continua cura, ut nulla re magis, angebatur. Nam propriis incommodis nequaquam tristari est solitus, nec propinquorum cognatorum injurias ægrè ferre,

quia obliviſci earum quàm ulciſci maluit, licèt propulſare humaniter illatas tuerique ſuos illæſos ſemper voluit. Verùm ſi quid hujuſmodi contra religionis exiſtimationem ſive apoſtolicæ ſedis majeſtatem auctoritatemque fieri vel à Pontifice aut Cardinalibus præter eorum dignitatem videbat, qui avaritia ducti Principum benevolentiam ſibi conciliare cupiebant, quàm ægerrimo animo tulit, eorumque conatibus, quoad potuit, ſemper obſtitit. Quare cùm ſub Calliſto Pontifice Franciſcus Epiſcopus Ferrarienſis, vir certè innocentiſſimus ac doctiſſimus, à Borſio Marchione Ferrarienſi per vim epiſcopatu ejectus eſſet, privarique illum à Pontifice peteret, ejuſque rei multos fautores ex collegio haberet, & ſolus Dominicus intellecta cauſa illi contra multorum potentiam reſtitit, quamvis Pontifice invito, præſtititque ſua auctoritate ut Franciſcus, quoad ipſe vixit, ſuam dignitatem retineret. Hoc autem officium non ſolùm amicis, ſed etiam incognitis ſæpius præſtitit, ubi opus fuit, inquiens non hominum ſe quantum juſtitiæ rationem habere. Omnium verò qui Pontificis ditionis eſſent, præ ceteris perpetuam propugnationem ſuſcepit, ac pro eorum ſalute ornamentiſque tuendis eam diligentiam adhibuit ut ab omni vi atque injuria eos defenderit. Quibus ex rebus tantam ſibi apud omnes gratiam peperit, ea quoque illius viri bonitatis, fidei, integritatis opinio cunctos tenebat, ut non ſolùm Pontificis imperio ſubjecti, ſi vi opprimerentur, ad ejus patrocinium confugerent, ſed omnes undique omnium gentium ac nationum quibus aliquid Romæ negotii erat.

XIII. Apud Principes verò Chriſtianos ſumma in opinione fuit ſanctitatis. Alphonſo autem Regi Neapolitano, Philippo primùm, deinde Franciſco Sfortiæ Ducibus Mediolanenſium tanta in venera-

tione ut eum semper appellare parentem & interloquendum & in epistolis consueverint, Alphonsus verò etiam ejus auctoritate & oratione ductus, quam in illa sua prima legatione ad eum habuit, auctionem beneficiorum sacrorumque omnium facere desierit, ac sacratis Pontificum decretis paruerit. Tantum certè omnes illi detulerunt ut nihil arduum, nihil magnum, sive cum Pontifice, sive cum aliis, eo inconsulto egerint, Oratoribus verò suis ac negotiorum procuratoribus, quos Romæ haberent, etiam mandata dederint ut nihil eo insciò aut nolente tentarent. Ceterùm cùm Nicolaus primò, deinde eo mortuo Callistus à Francisco Sfortia auxilia contra Iacobum Piceninum peteret, quem arma moturum contra Ecclesiam suspicabantur, non priùs ad illum misit quàm à Dominico id facere eis persuasus. Eugenio post reconciliationem, deinde Nicolao ita carus continuè vixit ut tamquam parenti illi detulerint. Ferunt tamen initio pontificatus Nicolaum alieno ab illo animo fuisse; quia cùm suffragiis Cardinalium electus ad pontificatum esset, Dominicus, tamquam ad rem vix credibilem motus, videre diligentiùs suffragia voluerit. Miraculi enim loco ducebat hominem novum, qui anno & semis antea privatus sacerdos & egens fuerat, repentè Pontificem creatum; Sed haud multò pòst Nicolaum, cognita hominis virtute, illum sibi convinxisse, nihil deinde egisse quin ejus consilium prius percunctarentur; joco etiam ei dixisse sæpius: Tu iterum suffragia videre voluisti. Cardinalibus autem tanta in veneratione fuit ut mortuo Callisto ex collegii sententia Pontifex designaretur.

XIV. Nam præterquàm quòd in eò summa rerum agendarum prudentia, constantia; integritas, in rebus omnibus fides erat, fuit etiam adeò emendata vita ut honestate, probitate, exemplo omni-

bus esse posset, & nihil in eo fictum unquam apparuit, esse quàm videri bonus semper studuit; omni vitæ ac supellectilis cultu neglecto, nunquam culcitra ex pluma cubuit, sed straminea; adeoque id sedulò in omni vita observavit ut vix biduo antequam decederet à medicis amicisque illi persuaderi potuerit ut sententiam mutaret. quod ne causa captandæ popularis auræ facere videretur, ejus rei conscium præter cubicularios neminem habuit. Lectos verò instratos, quamvis splendidè, modicè tamen paratos tenuit. Interiori amiculo laneo à pueritia usus est. Quin etiam eo vestitus & calceatus continuè dormivit. Camisiæ autem, quà circumdata cervicibus apparet, lineam partem adjunxit. Vestitu alio usus est nitido, & tamen honesto, & qui ab omni fastu & pompa alienus esset, quorum erat inimicissimus; dicere frequenter consuetus non in iis dignitatis ornamenta esse, sed in religione, fide, justitia, ceterisque virtutibus. Solitus est aliquando, cùm ad eum sacerdotes, nec infimi ordinis venirent qui vestium limbos ex pretiosioribus pellibus haberent, inter loquendum etiam de rebus seriis depilare, sciscitantibus verò plerisque causam illis respondere, quid ita ostentatores essent, & cur non potiùs omnem vestem intrinsecus fulcirent, si id utilitatis causa facerent, quàm oras vestium ambirent. Pari modo & sacerdotes purpura usos reprehendit, etiam maximo cum stomacho iterum ac tertiò, ut nemo adire purpuratus coram auderet. Munditia tamen fuit magna, sed nequaquam odiosa. Virtus ejus talis ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus. Cibo duntaxat unico in mensa usus est, sive id assum esset, sive elixum. Elixo tamen frequentiùs utebatur. Ciborum varietatem aspernatus est, qui præterquàm quòd insalubris sit & nimiùm luxuriosa, fastidium pariat. Hanc autem

frugalitatem & in conviviis obſervavit, uno aut ſummum duobus ferculis convivas excipiens, cùm tamen non ſine delectu hominum aut ordinum convivaretur. Cibique ipſe erat minimi, & ferè vulgaris; famis tamen impatiens, ita ut ſi quando negotiis longiùs detineretur, etiam coram Pontifice & Cardinalibus comederet. Comedebat verò parum quid zacchari, aut uvas paſſas, aut aliud quippiam ex zacchare confectum. Quo cibo unicè delectatus eſt, ita ut ſæpius nihil aliud cum modico pane cœnaverit; idque ferre ſecum impranſus ad Pontificem iturus ſemper conſuevit. Vini quoque fuit parciſſimus. Vaſis vitreis aut fictilibus plerunque in menſa uſus eſt, præcipuè ſolus, aut inter amicos. Vaſorum verò argenti tantum habuit quantum fieri neglecto omni luxu poterat. Semper, cùm cœnavit aut pranſus eſt, lectorem adhibuit, maximè ſacrorum operum, quo ventrem ſimul atque animum paſceret. Ipſe ea attentione audivit ut corrigere lectorem, ſi quid erraſſet, ſoleret. Interdum & cœnavit & pranſus eſt inter domeſticos eodem in cœnaculo, ut non nimio ſumptu, ita nec lautiori ab univerſa familia cibo. Sed patronus ac dominus idem quoque ſeverus fuit. Domeſticum, quòd is contra ſuam voluntatem extra domum dormiſſet, domo excluſit, nec adduci unquam potuit ut eum reciperet. Alium, qui conſecvum verberaverat, ſimiliter domo ejecit.

XV. Vivendi uſum ita inſtituit. Se ſemper duas aut tres horas ante lucem ſurrexit, niſi cùm caſus aliquis tenuiſſet. Nam ſomni ita parci fuit ut ad ſummum quatuor horis dormire ſit ſolitus; ac ſtatim horis, prout ſacerdotum moris eſt, dicendis operam dabat. Deinde aut ſacra ipſe celebrabat, quod faciebat quàm frequentiſſimè; aut ſi quo caſu prætermitteret, iis intererat. Peractis ſacris, legere conſuevit, donec tempus eſſet venientes audire.

quod deinceps ad horam prandii prorogabat. Vbi pransus erat, doctos viros, quos domi semper habuit, ad se convenire volebat, & propositis quæstionibus, de philosophia & theologia maximè disputantes audivit. Ipse sæpiùs aliquid in medium afferens, eos ad dicendum alliciebat, disserebatque, æquo etiam animo de sententia ejici passus. Vbi satis sermonis habitum erat, se in cubiculum cum suis recipiens, domestica primùm negotia ab iis audiebat, tum aliorum, si qui forent qui aut sua gratia aut opera indigerent; & illorum curam aut Secretariis aut auditoribus aut dispensatori, prout cujusque negotia essent, demandabat. Quæ verò suam diligentiam suamque auctoritatem apud Pontificem requirerent, in breve conjiciebat, quò Pontificis voluntatem de singulis perscrutaretur. Conferebat autem se ad eum sæpissime ob negotiorum multitudinem, quæ ad eum undique confluebant. Id verò continuè observavit, ut priusquàm mane cubiculum egrederetur, breve rerum omnium conscriberet quas ea die facturus esset, eoque deinde ordine cuncta, ut erant notata, tractaret, deinde noctu, priùs quàm cubaret, ea quæ novissimè supervenissent, pari diligentia notaret, & notata quæque relegeret, si quid autem esset aut temporis culpa aliave causa prætermissum, in posterum diem rejiceret, absolveret. Inde legit aliquid, aut scripsit.

XVI. Post meridianas horas progrediens, qui ad eum conveniebant, sive salutandi sive negotii gratia, sedens plerunque audiebat omnes. Audiebat persæpe stans, aut inambulans; idque exercitii causa. Vbi publica expedissent, in cubiculum se recipiens, subscriptioni supplicationum officii primò dabat operam; deinde breve mane à se conscriptum, deinceps epistolas tum amicorum, tum aliorum qui ad eum scriberent, perlegebat. Post hæc

legebat aliquid. Legit verò præ ceteris Augustinum de civitate Dei, Hieronymi omnia, & Cassiani opera, ex aliis Senecam, quem familiarissimum habuit. Fuit ingenio summo, ac memoria, maxima autem rerum. Nam neque audierat quicquam unquam, neque viderat, aut etiam legerat, quin eorum recordaretur. Verborum verò ferme nullam habuit. Credo quòd rebus contentus, verba posse ipse fingere non dubitaverit.

XVII. Nihil cuiquam denegavit unquam quod ipse præstare posset, aut gratia sua quempiam fraudavit. Nihil autem se facturum recepit quod non effecerit. Qua in re tantam diligentiam adhibuit ut per se stare crederet quò minùs qui peterent absolverentur. Quos verò opibus aut potentia per vim opprimi vidit, iis maximè nullo aut benevolentiæ aut amicitiæ habito respectu auxilio fuit, nihil omnino prætermittens quod ad illius salutem & suam fidem spectare arbitraretur, ita ut nec potentum inimicitias extimesceret. Quare multis saluti fuit, gloriari sæpe solitus neminem frustra patrocinium suum imploràsse, avertisse etiam à cervicibus multorum maximas calamitates. Beneficium verò nec vendidit unquam, nec vendi passus est. Ideo, ne in suspicionem aliquam incideret, nunquam à privato, etiam amico, munus accepit quin par aut majus redderet. Aliquando annulum digito extractum dono mittenti quippiam dedit. A civitatibus & provinciis nonnisi edulia accepit. In omni autem vita ea constantia & gravitate fuit quæ non solùm gratiæ resisteret, verùm etiam suspicioni. Feminam nullam domum suam ingredi est passus, sive eæ alienæ sive conjunctæ aliqua cognatione essent. Quòd si fortè aliquam sua opera indigere aut conjunctarum ullam ad se venire contigisset, in vestibulum domus descendens aut propinquam ædem, illam audiebat, dimitte-

dimittebatque. Præterea adeo continentis vitæ fuisse constat ut postquam sacris initiatus sit, castissimam vitam duxerit, honestate etiam tanta ut ne à cubiculariis quidem unquam visus sit nudus.

XVIII. In cetera verò vita adeo integer vixit ut nec multis annis valetudine adversa laboraverit, nec vita ab invidis malevolisque ulla in re unquam culpari potuerit. Quòd si integritas in omnibus laudanda est, in iis tamen qui in imperio aut potestate sunt admiratione digna videri bebet. Nam multi, quos etiam vidimus, licèt in parva fortuna continentes, integri, casti, liberales fuerint, tamen postquàm ad potestatem rerum pervenere, intolerabiles, avari, luxurioſi, superbi, maxima licentia facti sunt, ignari tales solere esse dignitates quales sint qui illis præsunt, arbitrari præterea omnes sanæ mentis illas non semper virtutum præmia esse, sed fortunæ beneficia; cùm extolli in dies videamus nulla doctrina, nulla virtute homines insulsos, stupidos, nunquam sobrios, quos nisi cum summo fastidio videre tamquam personatos nequeamus. Hic tamen in tanta rerum licentia, quam omnium rerum impunitas sequatur, unde etiam homines solent plerunque fieri deteriores, talem se ubique semper præbuit ut non minùs dignitatem illam Dominico egere quam Dominicum illa honestatum appareret, documentoque fuerit suos cuique mores fortunam fingere. Mendacium nec joco quidem unquam dixit, nec pati potuit, dicens nil magis alienum ab homine esse debere. In loquendo verò liber adeo ut nec Pontifici parceret. Eo dicente aliquando publicè, *De fratrum nostrorum consilio & voluntate fecimus*, surrexit Dominicus; detectoque capite, se nihil unquam de ea re audivisse affirmavit. Nicolaus cellam, quam sumptuosissimam in pontificia, quæ est in Vaticano, Deo immortali erexerat, cùm

multis cantoribus repleſſet, & aliquando Dominicum percunctaretur poſt Miſſam, tamquam de re honorificentiſſima facturus foret, quid ei de illo canentium choro videretur, reſpondit ſacculum ſibi porcellis plenum videri, audiri namque clamantium ſtrepitum, ſed nihil ex eo percipi. Cuidam ſtipem petenti, quòd manus Catalanorum elapſus eſſet, quaſi ob eam rem mendicare cogeretur, & alii ad miſericordiam commoverentur, ad adſtantes converſus, Quid ergo, inquit, debetur nobis qui in eorum manibus ſumus? de Calliſto locutus.

XIX. In creatione Pontificis quidam ex collegis ad eum accedens petiit; qui etſi ſciret pontificatum ad ſe perventurum, cupere tamen & orare illum ut ſibi ſuum ſuffragium daret; quò talis viri teſtimonio probari videretur. Reſpondit id ſe non facturum, nec commiſſurum ut illius facti conſcientia aliquando urgeretur. Erat enim ille vir tardo admodùm ingenio, & vita non multùm probata. Idem ad juſtas quoque preces fuit inexorabilis, ita ut nec minis nec precibus de ſententia dejiceretur, ulliuſve gratia flecteretur. Calliſto ad pontificatum aſſumpto, volentique Borgiam ex ſorore genitum Ducatus Spoletani pro Eccleſia Vicarium facere, & Cardinales partim timore, partim Pontifici gratificantes, illi aſſentiri viderentur, ſolus apertè reſtitit, & id fieri prohibuit. Quare offenſus Calliſtus, per ſpeciem legationis in Angliam Dominicum mittere, qui eorum Regem capere arma contra Turcum hortaretur, & urbe ablegare conſtituit, veluti rebus ſuis adverſantem. Id quoque cùm parum ſuccederet, agitaſſe deinde Pontifex dicitur de eo capiendo, ſed aut deterritum viri auctoritate, aut morte præventum abſtinuiſſe incepto.

XX. Ambitioſos homines maximè irriſit. Se adeuntes ex his qui tota urbe curſitant, limina po-

tentùm terentes, cùm numquidnam à se vellent Dominicus percunctaretur, iisque se visitatum illum venire dicerent, porrecto brachio sæpius rogavit ut vena tentata viderent an febri aliove morbo laboraret, (Est enim id verbum quo medici utuntur) deinde increpitos admoneret ut potiùs domi secundùm eorum ordines aliquid agentes quietè viverent & virtuti operam darent quàm tota urbe vagarentur, Futurum enim necessariò quandoque (ut boni doctique in pretio habeantur, & quamvis inviti ad munia Ecclesiæ vocentur) se verò nequaquam adirent, nisi ubi sua opera indigerent. In promiscuis autem auditionibus quadam etiam severitate se adeuntes excepit, ita ut nec infimi ordinis homines, qui fortè composita aut longiùs repetita oratione aut blanditia verborum gestuve corporis humiliori & abjectiori loquerentur interpellaverit asperiùs, ut hujusmodi inepta loquacitate omissa rem breviter explicarent. Qua re fiebat ut in magna adstantium corona plerosque attonitos lingua atque animus deficerent. Quibus verò vel opera sua vel gratia usui esse non potuerat, instarent nihilominus importuniùs, multos malè mulctatos verbis à se amovit. Adulatorum genus abhorruit quasi pernicioſissimam pestem, quos etiam amovere à se, publicè quoque acerbiùs redarguere & increpare summo cum stomacho sit solitus. Igitur iis moribus assecutus est ut durus difficiliſque nonnullis videretur, & ad vitæ institutionem rudis, cùm tamen in ceteros esset humaniſſimus. Audiebat omnes, quibus poterat opem ferebat, nulli consilio deerat.

XXI. Accedebat ad hæc formæ qualitas. Nam aspectu erat aspero & vultu qui severitatem quandam præ se ferret. Statura fuit etiam mediocri, dextero pede admodum claudus natura, sed ut non multùm dehonestaretur. Id verò vitium quò faciliùs occule-

ret, crepidis continuè usus est. Erat præterea incorruptus, alieni verò & omnium rerum abstinentissimus, & (ut de Catone scribitur) cùm virtutis omnem speciem amplecteretur, honestatem cum severitate adamavit. Moderationis humanitatisque tantæ fuit ut quid quisquam de se sentiret, ab amicis liberè dici sibi optaverit, & audiverit attentiùs; ita si quid minùs bene feciſſe redargueretur, libenter emendaret, idque sedulò ut facerent, humanissimè hortaretur, quædam ipse convinceret, & errare illos ostenderet. Sed nihil omnino ægriùs tulit quàm detractorum voces & absentes carpentium, humanum esse dictitans aut alterius peccatum occulere aut errantem clam amicèque redarguere. Ipse ubi aliquid amicis vitio dari audivit, sive verò seu falsò, quamvis non primi aut secundi loci amici essent, iis ad se vocatis benignè ostendit quæ illis vitio darentur; simul admonuit ut vitam ab infamia illæsam servarent; si verò falsa essent quæ ferrentur, rogare ut & suspicione abesse curarent. Qua re fiebat ut & qui deliquissent, vitam emendarent, & ceteri suspicionem evitare conarentur, omnes verò cognita hominis caritate plurimùm se illi debere fatererentur. Amicis, quorum consuetudo plerunque malorum causa esse solet, nonnisi continentissimis optimisque viris usus est; quos & consiliis suis continuò adhibuit. Nam nec ad amicitiam quemquam facilè admisit; & quos admisit, constanter retinuit, eisque etiam plurimùm detulit, quibus autem potuit magno semper honori & dignitati fuit. Pro cujusque etiam meritis ita eorum opes auxit ut miserias paupertatis effugerent. In eorum quoque necessitatibus non secus absentes ac præsentes illi curæ esse cognitum semper est, id amici officium existimans, si cùm posset ultrò beneficium præstaret. Vnde sæpius factum est ut multi priùs aliquod beneficium in se

collatum cognoscerent quàm id futurum cogitaverint. Quæ verò feciſſet, occulta eſſe cupiebat, nec ab eo quidem qui accepiſſet ſibi commemorari æquo animo paſſus, ſatis amplam gratiam habitam & relatam arbitratus ſi amico non defuiſſet. Creato Calliſto, memor amicitiæ quæ illi cum parente meo erat, à Pontifice..... refici ſecretarium & litteras apoſtolicas, ut moris eſt, impetravit, curavitque mittendas Florentiam. Fortè accidit ut eæ interea ad ſacrum ærarium delatæ in manus Patriarchæ pervenirent, qui pariter eundem benevolentia complecti videbatur. Hic igitur alieni officii fructum capiens, ſuo nomine eas Poggio tranſmiſit, ſignificans præterea ob antiquam neceſſitudinem ſe in eo negotio meritam diligentiam præſtitiſſe. Quæ poſtea Dominico relata nihil illum offenderunt. Quin bene habet, inquit, ſi Poggio ſatisfactum eſt. Nec de ea re ad illum quicquam ſcripſit.

XXII. Ipſe immortali memoria beneficia retinuit. Martini Pontificis propinquos omnes ſumma benevolentia, quoad vixit, eſt proſecutus. Proſperum verò ejus nepotem Cardinalem, licèt admodùm juvenem, in omni vita caritate magna coluit, & cum omni Columnenſium familia ab omni vi atque injuria; non ſine ſuo periculo defendit. Amicos præterea eorum ac clientes, & qui ejus partis erant, continuò tanta cura ac ſtudio proſecutus eſt ut pro uniuſcujuſque commodis ac dignitate perpetua propugnatione ſuſcepta nihil unquam prætermiſerit quod aut ſaluti aut honori aut utilitati eorum conducere exiſtimaret vel ad augendam Columnenſium gratiam, autoritatem, amplitudinem ſpectaret, quos omnes perſe poſſe eſſe ampliores volebat. Fuere tamen eo tempore qui ab illo hæc agi quòd factionibus eſſet deditus iniquè interpretarentur, quandoquidem ſi ea non feciſſet, haud quaquam ingrati

notam vitare potuiſſet, & ii non minùs quàm Martinum feciſſent, tamquam ſuperiorem colerent. Ipſe inimicitias nullas geſſit, neminem unquam læſit; nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Verùm illud in eo homine prædicatione dignum fuit & optimi viri indicium, quòd multitudini honeſtorum hominum, quos premi inopia ſcivit, pro facultatibus ſubvenit, quamvis eæ illi eſſent pertenues. Percunctabatur amicos diverſorum ordinum, qui domum ſuam frequentarent, de urbis ac civium conditione; deinde ſingulorum neceſſitate perſpecta, aut iis ſalaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditavit, aut alia ope juvit. Multis victum ac veſtitum præbuit, quamplurimorum etiam filias ſua pecunia collocavit, & quàm frequentiùs, nil æquè pium ſibi videri inquiens quàm injuriæ & turpitudini expoſitas propter inopiam & naturæ imbecillitatem ad honeſtam vitam traducere. quod etiam in adoleſcentibus obſervavit in quibus aut ingenii aut virtutis indoles appareret, ne res eorum anguſtæ officerent quò minùs bona ſibi à natura data exercere poſſent. Sed id aut ipſe per ſe fecit, aut quàm occultiſſimè curari per ſuos voluit, quos fidos ſibi delegerat, ne captandæ popularis auræ cauſa facere judicaretur. Nemo autem unquam ab eo fruſtra quicquam petiit. Quare aliquando ſibi calceos detraxit ut cuipiam largiretur. Quandoque etiam cùm offenſum fortuna quemquam vidit minùs bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Et cùm pecunia adeogandum non ſufficeret, ſæpius vaſa argentea quæ habebat conflari & petentibus diſtribui juſſit. Cùmque ob eam rem ab amicis argueretur, reſpondere conſuevit hominis proprium ſibi videri quamplurimis benefacere. quod adeo in omni vita fecit ut plerunque neceſſariis ad victum deficientibus, pecuniam ſumere mutuò ab amicis cogeretur.

XXIII. Cardinalatus dignitatem ad summam civilitatem reduxit. Nam præterquam quòd modicis proventibus contentus fuit, quippe qui non plus tribus millibus aureis annuatim ex suis facultatibus reciperet, omnium se adeuntium adulationes & in salutationibus allocutionibusque prostrationem corporum humi & ad omnem quoque nutum sonantia & ampulloſa verba respuit, multaque indignatione audivit. Sacerdotum dignitati plurimum detulit, Episcopos ceteroſque qui aliquo honore aliis antecellerent, nonnisi aut sedentes, aut operto capite audivit. Viros bonos ac doctos evexit, quoad potuit, summaque benevolentia ac liberalitate excepit. Aditus ad eum ferme nimius etiam humillimo cuique de plebe homini patuit. Aderat ipse horis statutis, loco publico domus, aperto ostio, ut omnibus illum adeundi libera facultas esset; quos ita audiebat ut gravitatem cum dignitate retineret. Veritatis amator, & bonorum magis quàm hominum doctorum, doctorum tamen amantissimus. Non superbus, non ambitioſus, non fictus, non contumelioſus, non rapax, non avarus, non circumventor, quibus etiam vitiis domesticos carere voluit. Itaque nullus fumi venditor, nemo arrogans, nemo simulator, aut dissimulator in ejus domo erat. Omnes integri, casti, continentes. Qua in re plurimum diligentiæ adhibuit, præcipuè vero ut incorruptos servaret. Nullum ex domesticis purpura uti passus est aut veste quæ non genu tenus protenderetur. Eos autem in quibus aliquod integritatis aut virtutis simulacrum ineſse cognoſceret, quoad potuit, ad honores extulit, inquiens Christianam religionem meliùs se habituram fuisse si virtutum amatores ad ejus administrationem eligerentur.

XXIV. Ex ejus ergo domo, quæ & castitatis sanctitatisque exemplum fuit, plures clarissimi viri tamquam ex seminario aliquo prodierunt & omni

virtutum genere ornatissimi; in quibus Ænæas Senensis primus floruit, qui & eo vivo ad eandem dignitatem electus est, & Callisto in pontificatu succedens, Pius secundus est cognominatus, vir profectò eloquentissimus eruditissimusque. Et tu, Reverendissime Pater, qui à Pio propter doctrinam ac probatissimos mores in familiam suam Picolomineam adoptatus primò, deinde Papiensis Præsul factus, Cardinalis tandem creatus es, Amicus Aquilanus integritate vitæ & pontificii juris doctrina insignis, & ..... tempore sedente Paulo secundo eandem dignitatem adeptus, Franciscus Archidiaconus Toletanus, vir tum bonitate, tum scientia sacrarum litterarum, omnium nostræ ætatis facilè princeps, Antonius Latiosus Forlivienſis, vir castissimus, Leonardus Perusinus Theologus clarissimus, Blondus Forlivienſis vir literatissimus, & alii permulti tam doctrina quàm moribus venerabiles. Quos autem domi viros claros retinere non potuit, summa benevolentia est prosecutus. Dilexit verò præ cæteris Antonium Archiepiscopum Florentinum, Ægidium Episcopum Ariminensem, homines optimos atque eruditissimos. Maxima autem affectione complexus est parentem meum, eumque in omni vita coluit. Multos præterea (quos enumerare longum est) plurimùm dilexit. Nam nemo vir probus, nemo doctus ea tempestate fuit quin illi esset carissimus. Fuit præterea ejus viri sanctitas ut qui sibi amicitia conjuncti fuerunt, aut in ejus domo vixerint diutiùs, (quod nulli nostrorum temporum contingit) assecutos sciamus ut viri integri & prudentes communi omnium judicio habiti plurimas dignitates, eo etiam defuncto, sint adepti. Tanta fuit apud omnes virtutum illius opinio ut verissimè appareat nullum magis boni malive Principis testimonium esse quàm amicos, cùm ii semper tales sint

quales fuerint qui eos in suam amicitiam admittunt.

XXV. Studia in maximis occupationibus nunquam omisit. Operam multam, etiam provectioris ætatis, theologiæ & philosophiæ, ei quam moralem dicunt, impartitus est, præceptoribus usus Francisco Toletano & Leonardo Perusino, quos continuò apud se habuit; tantumque in iis profecit ut inter doctissimos haberetur. Nullum verò unquam diem prætermisit quin aliquid aut scriberet aut legeret. Legit autem tanta ut semper cura & negotio vacasse facilè videri possit. Cujus rei hoc unum est argumentum, quòd cùm plus mille & quingenta librorum volumina habuerit ad jus tum pontificum tum civile spectantia, nihil in iis fuerit quod ipse non viderit diligentissimè. Idque in omnibus Augustini & Hieronymi libris fecit. Historias tantas novit quantas nemo alter. Poetas vidit omnes. Oratores ac philosophos habuit familiarissimos Scripsit ille nonnulla eruditè magis quàm eleganter, quæ in vulgus emanarunt, ad religionem nostram spectantia. Plurima etiam partim ædificavit, partim restituit. Ædificavit sibi domum in regione Columnæ à fundamentis pro dignitate sua commodam satis ac magnificam, ita tamen ut superfluos in ea sumptus atque ornamenta vitaverit: quam deinde moriens ex testamento gymnasium esse voluit, ad quod plurimi adolescentes addiscendi studio diverterent; & iis necessaria ad victum constituit, magna pecuniarum summa in eum usum erogata. Decrevit in ea & bibliothecam ad communem doctorum hominum utilitatem, congestis ibidem libris, quos magna impensa in omni doctrinarum genere ad duo millia voluminum coegerat tum optimos, tum pulcherrimos, & ut qui domum eam incolerent, quique studiosi forent, pro arbitrio illis uti possent. Hanc tamen domum Angelus ejus frater à Pio Pontifice ad eandem dignitatem vocatus, illi haud dissimi-

lis, & qui vitæ integritate & morum sanctitate nulli ejus ordinis cedat, suo usui reservatam inhabitat. Et ne laudabilis voluntas fratris irrita esset, contiguum illi gymnasium sumptuosiùs, magnificentiùs construxit. Edificavit & Dominicus reparavitque nonnulla in Hetruria, in Piceno. In Soractis monte, ubi quondam latuisset, beato Sylvestro ædem à fundamentis extruxit.

XXVI. Hoc verò præcipua laude dignum in eo fuit, quòd cùm redditus habuerit & pro dignitate tenues, & aliorum qui pari potestate respectu pene nullos, iisque contentus vixerit, nullam tamen Ecclesiam tenuit quin aut eam aliqua ex parte instaurarit, vel illius fructus sua impensa auxerit. Quod utinam ceteri quoque feciissent. Non enim regias opes quemque possidere, non omnia concupiscere impotenti avaritia, & minima quæque sectari cerneremus, non illorum curæ commissas Ecclesias ruere, non bonis doctisque viris neglectis rejectisque assectas quosdam ac ministros omnia adipisci, omnia possidere videremus; aut eos qui emere, tamquam hasta posita, quod concupiscant possint.

XXVII. Optimo igitur vitæ instituto cùm Dominicus viveret non minori apud omnes gratia quàm aut fortuna aut dignitate, in morbum incidit, ab initio quidem haud periculosum, attamen molestum. Profluvio namque ventris laborare & se domi continere cœpit, verùm ita ut negotiis ex consuetudine fungeretur, nec solito magis accumberet. Post vigesimum diem, cùm Callistus vita functus esset, & creandi Pontificis necessitas instaret, ideoque Cardinales conventuri essent, ne dissimilis sui videretur, utque quod in omni vitæ institutione feciisset, reipublicæ Christianæ proficeret, adesse huic rei voluit. Quare fretus consilio medicorum, alvum pharmaco ad eam rem parato sistit. Ex qua re in febrem inci-

dit, & quidem vehementem. Cùmque ea continuò augeretur, omnia Ecclesiæ sacramenta, ut ad eam diem sanctissima ejus acta vita exigebat, summa religione primùm suscepit. Deinde ingravescente morbo, ubi adesse vitæ finem sensit, amicis ad se vocatis, magnificè ad eos de contemnenda morte locutus est. Ad quæ verba cùm amici ingemerent, rogavit ne suam mortem lacrymis prosequerentur. Se enim, inquit, vixisse ad eam ætatem ad quam pauci ex multis perveniant, omnes ferme desiderent. Iuvenem præterea se adeptum quæ mortales summa putent, instituisse quoque ad eam diem ita vitam suam ut sperandum ab eis sit se misericordia & clementia Dei optimi maximi adjuvantibus eò ubi vera felicitas ex hoc veluti carcere migraturum. Quare orare illos ut lamentis parcerent, ne non dolere ejus discessum sed invidere huic suo summo bono viderentur. Persuadere se illis ut hanc potiùs suam diversionem lætitia prosequantur, cujus ipse vel maximum hocgaudium caperet quòd in eorum conspectu vitam finiat. Dolere enim homines eorum mortes debere qui in Dei veri cœlestisque beatitudinis ignoratione occidant, vel qui ita vixerint ut posthabita virtutum atque animæ cura, soli corpori inservientes, tunc demum cogitare de morte incipiant cùm calamitosæ miseræque vitæ curriculo exacto se victuros desperarint, quique in summa dignitate constituti, solum quod præsens in oculis fuerit respiciant, nec ultorem scelerum Deum expaveant, aut bonorum remuneratorem credant. Valerent quidem, & posteaquam abiisset, Deo pro animæ suæ salute supplicarent, & ad eum preces tum pias tum frequentes effunderent. His dictis, omnium apprehensa dextra, amplexusque, lacrymantes omnes dimisit. Nec multò pòst excessit è vita quinto die postquàm febris eum tenuisset, XIX. Kal. Septembris, anno salutis nostræ supra

milleſimum quadringenteſimo quinquageſimo octavo, ætatis verò octavo & quinquageſimo, vir certè ſanctiſſimus, & qui meritò dignus crederetur ea dignitate quam tanto labore defenſam annos ferme triginta ſumma cum laude tenuit. Elatus eſt maxima omnis generis hominum frequentia, comitante omni civitate, laudatuſque publicè ſumma cum adſtantium attentione. Funus inſuper celebratum ſumma omnium mœſtitia, & in ejus ſumptum pecunia ab amicis collata, illatuſque ſepulcro quod ipſe ſibi in templo Minervæ vivens fecerat.

HVIC DOMINICI CAPRANICÆ Cardinalis vitæ lubet ſubjungere narrationem ſancti Antonini Archiepiſcopi Florentini de morte ejus, tum quia locus eſt valde inſignis, tum ob ſanctiſſimorum hominum inter ſe amicitiam, quam & Baptiſta Poggius & Franciſcus Caſtelionenſis in vita Antonini, quæ extat apud Leandrum Albertum, teſtantur magnam fuiſſe. Hæc ſunt igitur verba ſancti Antonini parte III. tit. XXII. cap. XVI.

ACcidit in diebus illis & aliud lugubre quod urbs tota deflevit. Nam reverendiſſimus Cardinalis Firmanus Dominus Dominicus de Capranica ejuſdem menſis (Auguſti) XIV. die ex infirmitate fluxus appoſitus eſt ad patres ſuos, cum multa devotione ex hoc mundo tranſitum faciens, in aſpero repertus cilicio quod ad carnem ferebat aſſiduè. Multum triſtitiæ & doloris mors ejus intulit cunctis qui noverant eum, propter eminentes virtutes ejus. Verè hic homo juſtus erat, propter rectitudinem ejus

à cunctis dilectus, prudentia & consilio magnus, in jure peritus, & religiosorum pater & refugium. Manus copiosè extendebat ad pauperes, sobrietate & sanctimonia præclarus, ex devotione non modica frequenter celebrans, studiosus, à lectione non cessans, in diversis partibus legationem eleganter exercens. Honorificè vita functus traditus est sepulturæ in conventu sanctæ Mariæ supra Minervam ordinis Prædicatorum.

Addere etiam placet veterem narrationem de morte Iuliani Cæsarini Cardinalis, cujus auditor olim fuerat Capranica, à me descriptam ex autographo Ægidij Carlerii Decani Cameracensis, quod extat in bibliotheca collegii Navarrici Parisiensis.

Hic reverendissimus Dominus Cardinalis vocabatur Dominus Iulianus de Cæsarinis, qui tempore primi adventus Boemorum erat Cardinalis sancti Angeli, postmodum verò assumptus fuit ad titulum sanctæ Sabinæ. De hoc reverendissimo patre retulit mihi Ægidio Carlerii Decano Ecclesiæ Cameracensis mense Februarii anno Domini 1447. more Gallicano unus ex familiaribus suis glorioſissimi sui martyrii triumphum. Cùm enim peccatis nostris exigentibus Teucri de Christianis reportassent victoriam, multis fidelibus interemptis, aliis terga vertentibus, hic reverendissimus pater capitur, coram Teucrorum seu Turcorum Imperatore sistitur. Adducuntur doctores suæ execrabilis legis, qui cum illo de fide certant, nitentes eum subvertere & ad impiam eorum sectam pertrahere. Quòd cùm nulla ratione hoc facere possent, nunc promissionibus, nunc comminatis suppliciis mentem sanctam satagunt à bono proposito revocare. Nam tyrannus, si ei consentiat, spondet eum facere summum suæ legis sacerdotem;

sin autem, diversa experiri tormenta. Cùm verò hic reverendissimus pater nullatenus acquiesceret, sed Dominum Iesum Christum & fidem ejus constanter profiteretur, assunt tortores & medici. In media platea urbis, præsente tyranno, astantibus quodam venerabili Episcopo & multis Christianis captivis, super scalam ponitur, à tortoribus excoriatur per corrigias aliquas pelle à carne separata, inter quas lanceantur quædam subulæ ferreæ. Cùmque isto martyrio esset fatigatus, iterum rogatur ut ad suam sectam, dimissa lege Christianorum, redeat. Quod si facere vult, promittunt medici præsentes curam vulneribus exhibere. Sed nec honorum suorum ambitio nec sanitatis beneficium propositum sanctum potuit violare; sed in Christi fide perseverans, rursus torquetur ut priùs; & ad exitum properans, ad Episcopum præsentem conversus ait: En vides, pater venerabilis, ego ad Christum venio; tibi commendo hunc gregem meum, hunc scilicet populum Christianum, Fortis esto athleta Christi, & ipsum in fide confirma. Et sic triumphator migrat ad Dominum, cui & laus & gloria per immortalia secula. Hæc mihi retulit in Cameraco ille familiaris suus suprà memoratus; qui, ut inquit, præsens tunc erat, & vidit eum vivum & mortuum. Subjunxit quòd corpus tyrannus jussit comburi & cineres in capsa argentea vel aurea in signum victoriæ quam de Christianis optinuerat reponi. Si hæc vera sunt, annon, nescio.

TRACTATVS IORDANI Bricii I. C. pro Eugenio IV. adversùs Cardinalem de Capranica, scriptus jussu Petri Cardinalis Fuxensis anno MCCCCXXXIII.

FElicis recordationis Dominus Martinus divina providentia Papa quintus die Veneris IX. Kal. Iunii Romæ in palatio sancti Petri condidit unum statutum seu decretum in consistorio secreto, præsentibus Dominis Cardinalibus qui erant in curia; cujus tenor ad litteram sequitur & est talis.

ANno Domini millesimo quadringintesimo vicesimo sexto, die Veneris IX. Kal. Iunii, Romæ in palatio sancti Petri, præsentibus omnibus Cardinalibus qui erant in curia, excepto Cardinali Aquilegensi, qui tunc infirmabatur, ad quem fuerunt missi duo Cardinales, videlicet Placentinus & de Comite, pro ejus voto sciendo, & ipsis consistorialiter congregatis in forma consueta, scrutinio præcedenti secreto publicè creavimus, assumpsimus, & pronuntiavimus ultra Cardinales eadem die assumptos & publicatos, Dominicum Episcopum Ilerdensem in Presbyterum, Prosperum de Columna, Dominicum de Capranica electum Firmanum, Iulianum de Cæsarinis Auditorem cameræ in Diaconos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; qui Ilerdensis & Firmanus aliàs juxta morem consuetum creati fuerunt, sed ex bonis causis tunc & nunc unà cum aliis duobus noluimus, publicari, sed dicto Ilerdensi reservavimus locum suum, licèt publicatus non sit.

Item volumus, statuimus, & ordinamus quòd si contingat nos mori ante publicationem dictorum quatuor, habeantur statim pro publicatis solemniter etiam quo ad

Habetur to. XII. Concilior. pag. 694.

electionem Romani Pontificis & ad omnia alia, etiam si tituli ipsis quatuor assignati non essent.

Item volumus, statuimus, & de apostolicæ potestatis plenitudine decernimus & mandamus omnibus & singulis Cardinalibus sub pœnis excommunicationis ipso facto & inhabilitationis omna activæ scilicet & passivæ quoad electionem Romani Pontificis, quòd eo casu, scilicet mortis nostræ ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, quòd ipsi alii Cardinales teneantur & debeant immediatè, scilicet infra diem naturalem, habita notitia mortis publicare prædicta, dictosque quatuor Cardinales recipiant pariter & admittant in omnibus ac si publicati & admissi fuissent, sicut superiùs est expressum.

Ita fuit. A. Cardinalis propria manu Episcopus Penestrinus Laudensis.

Ita fuit A. Cardinalis Bononiensis propria manu.

Ita fuit F. Episcopus Sabinensis Cardinalis Venetianum propria manu.

Ita fuit. A. Cardinalis Aquilegensis manu propria.

Ita fuit. G. Cardinalis Senensis manu propria.

Ita fuit. T. Cardinalis Tricaricen. manu propria.

Ita fuit. B. Cardinalis Placentinus manu propria.

Ita fuit. G. Cardinalis sancti Marci.

Ita fuit. R. Cardinalis de Brancatiis.

Ita fuit. A. Cardinalis sancti Eustachii manu propria.

Ita fuit. L. Cardinalis de Comite.

Cujus decreti occasione Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Petrus Dei providentia Albanensis Episcopus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de Fuxo Cardinalis nuncupatus dubium sequens ad consulendum & allegandum tradidit ut sequitur.

Vtrum vigore dicti decreti de plenitudine papalis potestatis editi in eventum quo appareat Dominos Cardinales in cedula subscriptos post mortem dicti

dicti Domini nostri Martini quondam non recepisse dictum Dominicum electum Firmanum ut Cardinalem, nec ad electionem summi Pontificis Domini Eugenii quarti admisisse, ex hoc ipsi suscripti debeant inhabiles ad papatum vel ad electionem summi Pontificis activè & passivè fore & fuisse reputati. Et cùm dictus Dominus Eugenius quartus à duabus partibus Cardinalium electus in Papam fuerit, an ejus electio propter contemptum & inhabilitatem prætensos veniat per generale Concilium infirmanda seu cassanda.

Quis, ut ait Hieronymus, unusquisque offert tabernaculo Dei quod habet, & illa paupercula mulier evangelica duo tantùm æra in gazophylacio pro maximo opere obtulit: quod quamvis modicum, ei tamen ad magnum meritum reputatum extitit. *Luc.* 21.

Quæ considerans ego, licèt modicus, in tanto & mihi grandi & gravi opere aliqua pauca subiciam, ante omnia tamen protestationes de quibus in cap. *Damnamus. De summa Trinitate* præmittens, protestans etiam quòd per aliqua quæ dicam infrà alicui personæ injuriam inferre non intendo, sed solùm de eis honestè quantum potero loqui, juxta tamen casus exigentiam, & non aliàs, & etiam cum omni honore & reverentia cujuscunque loqui & scribere intendo. Quæ omnia in singulis hujus opusculi partibus, ubi utile & expediens erit, haberi volo pro repetitis.

Viso igitur decreto Domini Martini Papæ quinti & Dominorum Cardinalium subscriptione & themate præscripto, quamvis ex themate ipso non appareat claritas eorum quæ postea in facto secuta sunt in electione sanctissimi Domini nostri Papæ Eugenii quarti vel non admissione Domini Dominici de Craponica ad ipsius electionem, nisi quan-

tum ex allegationibus similibus Domini præscribentis colligere potui, alium tamen ordinem tenebo in dubiis removendis quàm ipse fecerit; & ideo aliâ dicam, pauca de suis tangendo.

Elicio specificè dubia tria principalia infrascripta. Primùm est, utrum decretum per Dominum Martinum de plenitudine potestatis factum, in forma in qua est, de jure valuerit & tenuerit, & an ei illud facere licuerit. Item secundum, an subscriptio Dominorum Cardinalium subsecuta eos taliter circa electionem Romani Pontificis ligaverit quò minùs liberè ea nonobstante ad electionem præfati Domini nostri Papæ procedere potuerint, dicto de Capranica ad eam non vocato vel admisso. Item & tertium, suppositò sine præjudicio, sed non concesso, quòd decretum prætensum valuerit, & subscriptio Dominorum Cardinalium circa electionem eos ligaverit, utrum præfatus Dominus noster Eugenius sit verus Papa, & contra ejus electionem objectio dicti de Capranica dicentis quòd propter non admissionem ipsius ad electionem Apostolici sit admittenda vel ejus electio ad summi apicem quomodolibet impugnanda vel in dubium revocanda.

Vt sim brevis & clarus, quia nihil tam congruum legibus quàm claritas in authent. de testam imperfect. circa medium octavæ collationis.

Ad primum dubium videtur attendendum quòd decretum prætensum fuit & est nullum, scandalosum, pessimi exempli, & plenum periculosissimi & tristissimi in Ecclesia Dei eventus, & universalem Ecclesiam notoriè scandalizans, & per consequens Domino Papæ Martino id facere non licuit, nec subscribi meruit. Quæ rationibus sequentibus comprobantur. Vt tamen meliùs videatur quia disputatione certandum est, ratione tamen vincendum. *ff. de muneribus & honor. l. Munerum. §. Mixta munera. 23. q. 6. Vidua.*

Quia igitur hoc pro bono & evidenti utilitate universalis Ecclesiæ & totius Christianitatis, & ut schismata & scandala & turbationes ac confusiones à populo evitentur, providè decretum est & à sanctis patribus ordinatum in sacris Conciliis generalibus quòd ad Cardinales pertinet Papæ electio, & Papa illa immutare vel eis derogare vel formam novam constituere & ordinare aut illam destruere vel alterare per quod status Ecclesiæ deformetur non potest, imò usque ad animam & sanguinem illa servare tenetur, ut seriosè hæc habentur 25. q. 1. *Quæ ad perpetuum sunt ordinata.* & cap. sequentibus, ubi textus formaliter ita dicunt: *Leo Papa Anatolio Episcopo.* In rubro: *Non debent ullo modo variari quæ ad perpetuum sunt ordinata quietem.* In textu: *Quæ ad perpetuam ordinata sunt generaliter utilitatem nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa; sed manentibus terminis quos constituerunt patres, nec injustè usurpetur alienum, sed intra fines ipsos atque legitimos, prout quisque valuerit, in latitudine se exerceat caritatis.* Sequitur ibidem in superscriptione: *Item Hilarius Papa.* In rubro: *Divinas constitutiones, id est, apostolicæ sedis decreta, nulli temerare licet.* Item sequitur aliquibus interpositis in superscriptione: *Item Vrbanus Papa.* Sequitur in rubro: *In quibus Romano Pontifici licet novas condere leges.* Sequitur textus: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. quod & nos non solùm non negamus, sed valde affirmamus. Sciendum verò summopere est quia inde novas leges condere potest unde Evangelistæ aliquid nequaqam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus vel ejus Apostoli & ejus sequentes sancti patres sententialiter aliquid diffiniverunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum*

est usque ad animam & sangunem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis qui semper Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt. Concordat Marc. x. Item sequitur ibidem in rubro : *Apostolicæ sedis auctoritas contra statuta sanctorum patrum aliquid condere non valet.* Sequitur textus : *Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud me enim in convulsis radicibus viget antiquitas, cui decreta dicta patrum sanxerunt reverentiam.* Et sequitur ibidem. *Item Marcellus Papa.* Et in rubro : *Stare non potest nec valet quod contra evangelicam vel propheticam vel apostolicam doctrinam seu constitutionem factum fuerit.* Sequitur textus : *Omne quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.* Et infrà : *Injustum judicium, id est, diffinitio injusta regio metu vel jussu fuerit à judicibus ordinata, non valeat ; nec quicquam quod contra evangelicæ vel propheticæ vel apostolicæ doctrinæ constitutionem vel eorum sive sanctorum patrum actum fuerit stabit ; & quod ab infidelibus vel ab hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.* Item sequitur ibidem in rubro : *A statutis patrum non deviare &c.* Sequitur textus : *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, à constitutis patrum nullatenus deviare.*

Primò tamen videtur quòd valuerit ; quia Papa Christi vicarius, Petri successor, omnia potest, & solus habet potestatis plenitudinem, cunctos judicans, ipse autem à nemine judicatur, imò de ejus potestate [dubitare] sacrilegium videtur ; ut hæc sparsim probantur & pleniùs exarantur 9. q. 3. *Nemo.* cum septem capitibus sequentibus. 2. q. 6. *Decreto.* & cap. sequenti. 40. di. *Si Papa.* cum infinitis concordantiis. Facit Cod. *De crimine sacrilegij.* cum similibus.

Item dixit Iesus Christus Simoni Petro & successoribus suis : *Quodcunque ligaveris super terram &c.* Matth. 16. extrà qui filii sunt legi. *Per venerabilem.* prope finem. & de re judic. *Ad apostolicæ.* lib. VI.

Item advertendum quòd licèt facta fuerit de plenitudine potestatis. Quæ verba sunt maximæ importantiæ, efficaciæ, & effectus, ut infrà plenè declarabitur. Ergo &c.

Contrarium pro veritate videtur addendum rationibus sequentibus ; quæ fundabo primò rationibus humanis , demum per auctoritates sacræ scripturæ & Doctorum Theologorum.

Primò certum est quòd Papa sibi successorem non potest eligere. Illa enim venit à Deo. Iohannis XX. *Pasce oves meas.* 8. q. 1. *Moyses.* & c. *Si ergo.* Quod singulariter in eo quòd non fuit permissum Moysi de successore ordinare , ut infrà latiùs dicetur in versu *Item advertendum est.*

Sed Papæ electio ad sacrum collegium Dominorum Cardinalium tam de jure communi quàm approbata & inveterata & observata consuetudine pertinet Cardinalibus , cum auctoritas nomine totius christianitatis & universalis Ecclesiæ sacrorum Conciliorum & sanctorum Patrum decretis libera est ad hoc attributa potestas. 23. di. *In nomine Domini.* & Lateranensi & Lugdunensi & Viennensi generalibus Conciliis elec. *Licèt de vitanda.* ubi hæc notat Ostiensis : Et facit e. ti. *Vbi majus* lib. VI. & cap. *Ne rationi.* eo. tit. in Clementinis. Hoc eis etiam competit ex diuturna imò longissima & approbata consuetudine tanti temporis de cujus contrario non extat memoria ; quæ etiam jure scripto cessante pro jure constituto haberetur. *ff. De aqua cotid. & æstiva. l. Hoc jure.* §. *Ductus aquæ. & de verbor. signif. cap. super quibusdam.* §. *Præterea, De præscription. ad decimas. lib.* VI. Obtentum enim fuit &

obſervatum à dictis citra temporibus inconcuſsè quòd ille quem Cardinales vel eorum duæ partes in Papam ſeu ſummum Pontificem canonicè elegerunt, nunciatione & publicatione facta Principibus & aliis de quibus fieri ſolitum eſt, fuit pro tali ab omnibus Regibus & Principibus & à toto Chriſtiano populo & Eccleſia univerſali reputatus, habitus, tentus, & receptus, eique ut tali paritum & obèditum inconcuſsè, & obeditur hodie palam, publicè, & notoriè. Et hanc poteſtatem habent Cardinales ipſi, non ab homine, ſed à Deo immediatè; ut infra clarè probabitur & dicetur. & hæc omnia ſunt obtenta & à dictis temporibus obſervata. Facit quod notatur in dicto cap. *Licèt* per Oſtienſen.

Item Cardinales ſunt Capitulum univerſalis Eccleſiæ, ut notatur 12. q. 2. *Cùm redemptor.* & c. *Abbatibus.* per Archid. & notatur *Cod. De bonis quæ liberis. l. Cùm multa.* per Baldum. Facit quod notatur de judic. *Cùm veniſſent* per Iohannem Andreæ. Sicut igitur Capitulum ſede vacante eligit Epiſcopum, ita Cardinales Papam de jure communi..... eod. cap. q. 2. Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſic dicit in rubro: *Statuta Apoſtolicorum prædeceſſorum Apoſtolicus deſtruere non debet.* Sequitur textus: *Si ea deſtruerem quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſtè comprobarer teſte veritatis voce, quæ ait, Omne regnum in ſe diviſum non ſtabit, & omnis ſcientia & lex adversùm ſe diviſa deſtrueretur.* Facit bene 7. q. 7. *Si illa.* Quos textus libenter inferam, quia videntur dubium & cauſam totam abſque aliis adminiculis decidere ubi non plures concordant. Quæ jura allegat notabiliter gloſa in cap. *Si Papa.* ad fi. 40. di. Facit quod plene notatur. De ſtatu monachor. *Ad noſtrum.* per Henric. di. 4. Scandala enim à ſubditis removere

25. q. 2. c. 4.

& non seminare debet quilibet bonus pastor & princeps, & maximè Papa, qui noctes insomnes transire debet propter quietem gregis dominici sibi commissi in proœmio libri sexti & in authent. & diem juss. collat. octava. Et infrà etiam hoc probatur. Et licèt quidam dicere possent quòd Papa circa jura prædicta posset dispensare, hoc tamen Martinus non fecit, quia de eis in genere vel in specie nullam mentionem fecit. Item & casu quo hoc posset & feciisset, hoc facere debuisset ex causa justa expressa, & ad publicam non ad privatam utilitatem. Quod hic non apparet, ut infrà statim dicetur. Item fortè dispensare non potuisset, ut ex dicendis apparebit clarè.

Item confirmatur. Quia potestas à Deo collata est Papæ ad ædificationem, non ad destructionem, teste Apostolo 2. Corint. 10. & ult. circa finem, & dicto cap. 25. q. 3. *Si ea destruerem.* Per hanc ergo cedulam seu decretum Domini Martini, si valeret, sequeretur destructio & inhabilitatio in principalibus & honorabilioribus membris universalis Ecclesiæ, scilicet Dominis Cardinalibus, qui sunt Consiliarii, assessores, & collaterales Papæ, & ad quos post ejus mortem libera futuri Romani Pontificis est à jure & decretis sanctorum generalium Conciliorum & longissima & approbata consuetudine attributa potestas, ut jam dixi. Ergo clarè patet quòd hoc facere non potuit nec debuit, nec factum tenuit.

Item advertendum quòd in dicto decreto non sunt aliquæ nonobstantiæ. Non enim dicitur ibi, *nonobstante* decretali *Licèt de vitanda*, nec cap. *Significasti*, vel cap. *Vbi majus*, & cap. *Romani*. De elec. &c. Et ideo non est verisimile Romanum Pontificem, qui jura tuetur, uno verbo totam observantiam electionum multis vigiliis excogitatam atque inventam velle everti, ut *Cod. de inoffic. testam. l. Si quando.* in principio, in textu & glosa. Decreta enim

& ſtatuta in Conciliis generalibus per ſanctos patres cum tantis vigiliis ordinata & hactenus obſervata non potuerunt vel debuerunt ſic everti per unum tale decretum, ut ſtatim dictum eſt.

Item ad præmiſſorum confirmationem ſubjungitur ad propoſitum notabilis quæſtio. Quærunt Gloſatores & Doctores juris canonici utrum Papa poſſit omnes Epiſcopos deponere, & tenent quòd non, quia hoc eſſet totam univerſalem Eccleſiam ſcandalizare & turbare, ut hæc notantur 9. q. 3. *Per principalem.* quam ſequuntur Archidiaconus & alii. Maxima enim cauſa & multiplex probatio & ſolemnis proceſſus & diſcuſſio exigitur in depoſitione & inhabilitatione unius ſolius Epiſcopi Cardinalis; quia requirerentur LXX. teſtes, in Preſbytero vero Cardinale LXIV. in Diacono Cardinale XXVI. 2. q. 4. *Præſul.* & capite ſequenti. Facit quod notatur de ſchiſmat. cap. unico, lib. VI. Quanto ergo debet major cauſa ſubeſſe & proceſſus ſolemnitas obſervari & cauſa ponderari in depoſitione multorum, arg. *De ſacroſanct. Ecc. authent. Multò magis.* Et facit 15. q. 7. *Felix* &c. *ſi autem.*

Concluditur ergo evidenter quòd excommunicare vel inhabilitare Cardinales vel novam eis dare formam in electione Papæ non potuit fieri ſub conditione. Inhabilitatio enim & exactorizatio ſimilis eſt morti civili, *Cod. de Primicerio. l.* 2. lib. XII. Et notatur *ff. de Senatorib. l. Caſſius.* Facit. *ff. De manum. vindicta. l. Iuſta.*

Conſtat autem quòd Papæ non permittitur aliquid facere per quod Eccleſia notoriè ſcandalizetur vel ejus ſtatus univerſaliter turbetur, cùm ſit poſitus ad ædificandum, non deſtruendum; ut eſt dictum, & infrà dicetur latiùs. Non enim debet ſuſtineri nec ab Eccleſia defendi per quod conſtat ſcandalum in Eccleſia generari, *Ne Clerici vel monachi ſecularibus.*

& cap, *Igitur*. Et per hoc decretum iu nullo potuit detrahi formæ traditæ in Conciliis generalibus &c. Et notatur in dicto cap. *Licèt* ſuper verbo *In Eccleſia Dei*, & dicto cap. *Licèt*. Ita enim eſt Vicarius illius qui non venit ſolvere legem & Prophetas, ſed adimplere, Matthæi quinto capite. Et infrà dicetur plenè circa ſecundum dubium.

Præterea iſtud decretum vel ordinationem facere eſt una maxima & aliàs inviſa novitas, ex qua nulla ſecuta eſt nec ſequi poterit in Eccleſia Dei communis utilitas. Solùm enim illud factum eſt ad privatam aliquorum particularium utilitatem, & per conſequens non valet; quia in rebus novis conſtituendis evidens debet eſſe communis utilitas. *ff. De conſtit. Princip. l. fin.* ubi eſt expreſſum. Numquid, deprecor, ex iſto decreto vel ordinatione ſequebatur in Dei univerſali Eccleſia hæreticorum vel Bohemorum converſio? Numquid Regum & Principum Chriſtianorum tamdiu contendentium & debellantium pacificatio, numquid Græcorum reductio, vel terræ ſanctæ acquiſitio, vel aliquid ſimile? Certè minimè, nec eorum aliquod nec aliquid bonum commune in univerſali Eccleſia, ut ſtatim ſequetur. Ergo &c.

Si enim hoc vel eorum aliquod vel ſimile publicam reſpiciens utilitatem ſequi potuiſſet, fortè ſuſtineri valeret decretum ipſum vel ordinatio. Sed hic neutrum ſequi potuit, ſed ſolùm utilitas aliquorum privatorum verſabatur, qui non erant nec ſunt tam generoſi virtutum, & maximè iſte de Capranica, qui nec genere nec ſcientia pollet, ut fertur, quòd aliquod ex eorum elevatione vel ad Cardinalatum aſſumptione bonum commune vel univerſalis Eccleſia reparari, reformari, vel relevari potuiſſet pluſquam de aliorum aſſumptione. Æquales enim, imò majores eis de aliis nationibus reperti fuiſſent, &

ſpecialiter iſto de Capranica, qui conqueritur, & propter iſtum eſt quæſtio quoad præſens duntaxat. Et ideo dictum decretum non fuit nec eſt tanti ponderis quin deridendum fuerit & contemnendum. Et ſi Domini Cardinales illo contempto, maximè ejus ſtatu & conditione attentis, ad electionem Domini noſtri Eugenii proceſſerunt, bene fecerunt. Deridendum enim eſt & contemnendum imò extirpandum quod ratione caret. *ff. De negotiis geſtis. l. Sed an ultrò. §. 1. Sed hanc ſententiam Celſus defendet. ff. De decretis ab ord. l ſi.* Et facit *C. de legib. l. fin. 68.* di. *Chorepiſcopi*, ubi eſt expreſſum.

Hæc non dico ad injuriam dictorum quatuor Dominorum in cedula nominatorum. Audio enim quòd valentes Domini erant omnes. Iſte tamen de Capranica minoris conditionis & ſtatus inter alios. Sed non tanti omnes fiunt quòd propter eos tale decretum tam periculoſum fieri neceſſè fuiſſet in ſcandalum veriſimiliter futurum totius univerſalis Eccleſiæ, & ſpecialiter de Capranica, per quem ſcandalum ſchiſmatis paratum eſſe dicitur in Dei Eccleſia propter ejus conqueſtionem. Quod ſi ſequeretur, quod abſit, melius eſſet nobis ſi natus non fuiſſet homo ille. *Matth. 25. & Marci* 14. Et ſi etenim Papa eos cardinalare voluiſſet, hoc ſine ſcandalo facere potuiſſet, non autem tales viam & modum amplecti vel ſervare per quem confuſio, ſcandalum, vel inconveniens ſequi in Eccleſia univerſaliter poterat; quæ bonus Princeps à ſubditis tollere debet, non eis viam parare, ut authent. *Divina juſſion.* Collat. octava. & ſuprà dictum eſt.

Item attendendum eſt ad cauſam vel rationem decreti dicti Domini Martini, quia veriſimiliter hoc, ut arbitror, factum fuit ad finem quòd ſucceſſor dicti Martini Romanus vel Italicus eligeretur, attenta natione omnium iſtorum Dominorum qua-

tuor nominatorum, quorum duo Romani, alii Italici dicuntur; & præsumitur quod indirectè volebat idem Martinus sibi de successore Italico providere. quod sibi isto modo non licuit. Quare rogare debet Prælatus Deum ut ei bonum tribuat successorem 7. q. 1. *Petisti.* in fin. non autem eum sibi eligere vel directè seu indirectè ordinare. Ad Deum, non ad hominem, hoc spectat, Ioh. 20. ibi: *Pasce oves meas.* De elect. c. *significasti.* & 8. q. 1. *Moyses.* & c. *Si ergo quia adeo habet primatum* 21. di. c. *In novo.* & c. seq. Et ejus electionem Deus sibi reservavit, 79. di. c. ultimo. Facit illud: *Item dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Facit De judi. c. *Novit*; ibi: *ad regimen universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati &c.* Item ibidem post medium, *quia potestas nostra non est ex homine*, sed à Deo. & infrà etiam dicetur secundùm Theologos.

Et propterea contemnere potuerunt & debuerunt Domini Cardinales, repulso ipso de Capranica, dictum decretum tamquam illicitum, insolitum, exorbitans contra jus & utilitatem publicam & contra canonicas sanctiones & decreta patrum condere nihil potest. 25. q. 2. *Decessorum.* 35. q. 9 *Quod quis.* Facit cap. *Si contra jus vel uti. pu.* l. *Rescripta contra jus.* ut suprà.

Item & quatenus de facto processit, est dictum decretum à sacro Concilio vel à Domino nostro Papa tamquam scandalosum, confusione plenum, pessimi exempli & pestiferi schismatis præparativum, & Ecclesiæ uinversalis turbativum, revocandum. Hoc enim facere Dominus noster Papa solus non potest sine sancta synodo, ut probatur De sepulturis *Dudum* in principio, in Clement. De immunit. Ecclesiar. Clem. unica in quibus est expressum, etiam in casibus minùs dubiis quam sit iste. In dicta enim

Clementina unica ultimò allegata Papa constitutionem Bonifacii VIII. etiam in favorem & pro bono totius cleri ordinatam propter vitanda inter Principes scandala sustulit & revocavit. Quanto magis ergo ubi hoc concernit favorem totius universalis Ecclesiæ, sicut in proposito, hoc facere potest imò debet, non videtur dubium.

Item pro præmissis facit una ratio civilis, quæ talis est. Leges civiles dicunt quòd testator habens pulcram domum & decoram in civitate, quamvis sit ipsius plenus & in solidum dominus, tamen non potest columnas marmoreas vel alios lapides magnos & decoros in ea positos à dicta domo detrahendos alteri legare, vendere, vel donare; ut sunt tex. *ff de contrahe. empt. Senatus. Cod. de ædific. privatis.* 1. Et est ratio politica, ne urbs ipsa vel publicus aspectus ipsius deformetur ruinis; ut dicunt tex. in dictis titulis. Nunc ad propositum. Ex hoc sequitur quòd Papa, qui non est ita dominus universalis Ecclesiæ sicut privatus est dominus rei suæ, cùm ipse Papa solùm minister rationabilis & dispensator Ecclesiæ & rerum ecclesiasticarum existat, ut infrà dicetur, non potuit ergo unam vel pulres columnas aut lapides vel membra decora universalis Ecclesiæ, scilicet Dominos Cardinales, ab ipsa domo & Ecclesia tollere, vel quoad electionem eos inhabiles reddere, vel exauctorizare, maximè sine causa rationabili. Per hoc enim ipsa universalis Ecclesia, quæ consistit in capite & decore membrorum maximè principalium Dominorum Cardinalium, dehonestaretur &, ut ita dicam, dismembraretur, & Ecclesia ipsa & ipsius publicus aspectus deformaretur ruinis, turbareturque, & scandalizaretur; ut de se patet, & suprà dictum est. Hoc clarè habetur. Propter quod Papa dictum sic Ecclesiam deformans decretum facere non potuit, nec factum valuit. Et ipsa videtur ut-

gens & legalis ratio facere, quia nemo potest facere quin jura in factis suis locum sibi vendicent. *ff. De C. 1. cap. Nemo.* Et quamvis Princeps sit solutus legibus, tamen secundùm eas vivere debet. *Cod. De legib. Digna vox.* cum similibus. Non enim debet solvere legem, sed adimplere, ut suprà dictum est, & infrà latiùs dicetur circa tertium dubium.

Quòd autem Papa non sit dominus nec tantum jus in Ecclesia vel ecclesiasticis personis habeat quàm homo privatus laicus habet in re sua, (cujus est arbiter & moderator plenus. *Cod. Mandati l. in re mandata*) evidenter ostenditur rationibus & auctoritatibus multis. Primò ipsius Iesu Christi dicentis Lucæ 22. *Qui præcessor est in vobis, sit sicut ministrator.* Et Apost. 1. Corinth. *Sic vos æstimet homo ut ministros Dei & dispensatores &c.* Et ipse Petrus ait: *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis &c.* Et alibi procuratores sunt Prælati, non domini. *De donat. cap.* 2. Quod etiam de Papa intelligitur, ut infrà statim dicetur, & probatur *De præbend. cap.* 2. *libro sexto.* ubi dicitur quòd Papa habet plenariam dispositionem omnium beneficiorum. Non dicit dominium. Ex quo sequitur quòd Papa non potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum, ut quod adimit de ipsis teneat; (Hoc enim facere posset, si esset dominus) sed cùm sit administrator & dispensator bonorum Ecclesiæ, in quo requiritur bona fides, non habet sibi collatam potestatem in eis nisi ad communem Ecclesiæ utilitatem; quia potestatem ei dedit Deus ad ædificationem, non ad destructionem, ut dictum est. Ex quibus sequitur quòd si Papa pro libito detrahat bona Ecclesiæ, & ea non dispenset bona fide, de jure non tenet quod agit, & non solùm tenetur agere pœnitentiam de peccato propter abusum rei; sed si infideliter agit, ad restitutionem tenetur, si aliunde ha-

bet, cùm sit defraudator rei alienæ. Secus si esset dominus; quia in re sua quilibet est legitimus administrator, ut est dictum. Verba sunt Domini Cameracensis Cardinalis in tractatu suo infrà sæpius allegando.

Item dicit Ægidius Avinionensis Episcopus *in cap. Ad succidendos, De schismat. lib.* VI. quòd cùm Papa sit administrator & vicarius, non debet potestate sua malè uti, nec jura aliorum occupare, nec in præjudicium alterius judicare, facere, vel ordinare; quòd si fecerit, successor suus hæc debet revocare; ut notatur De sequestrat. possess. & fruct. cap. 1. lib. VI. per eundem. *Postquàm ad diversas mundi partes dispersi fuerunt Apostoli, Petro tamquam principale officium gerenti assistebant tamquam Cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc Papæ assistunt Cardinales tamquam ejus principales accessores & Consiliarii atque cooperatores in regimine universalis Ecclesiæ. Postquàm verò Apostoli à Petro separati in opus prædicationis diversa mundi loca perlustrantes speciales sibi dioceses fortiti sunt, ex tunc episcopale officium. De quorum cardinalatu intelligi potest illud propheticum* 1. *Reg.* 2. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Ex quo iterum sequitur quòd priùs fuerunt Cardinales orbis quam urbis. Nam sicut Petrus fuit Papa orbis, id est, universalis Ecclesiæ, antè quàm Episcopus Ecclesiæ Romanæ, sic & Apostoli priùs fuerunt Cardinales orbis antequam aliqui fuerint Cardinales Romanæ urbis, ut supra dictum est in quarta quæstione. Cujus conclusionis verba, quia faciunt ad propositum, sunt ista; quòd Petrus fuit priùs Pontifex summus quàm Episcopus Romanus. Vtrumque tamen episcopatum à Christo immediatè recepit. Pro cujus declaratione sciendum est quòd quando Christus constituit Pontificem summum dicens,* Pasce oves meas, *& eisdem verbis ei potestatem dedit*

erigendi sedem ubicunque vellet, ut ibi esset particularis Episcopus. Vnde, sicut ecclesiasticæ tradunt historiæ & sanctorum patrum decreta testantur, Petrus quatuor annis tenuit cathedram Ecclesiæ nullam sibi particularem eligendo Ecclesiam, sed tamquam Prælatus & caput omnium fidelium sedebat ubicunque volebat. Vnde in Hierusalem, ubi legitur Iacobus statim post passionem Domini à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus licèt in omnibus præfuerit, tamen illam Ecclesiam tamquam sibi specialem non elegit, sed post quatuor ferè annos Antiochiæ sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriavit. Deinde verò apparente sibi Christo & eodem revelante sedem suam Romam transtulit, & ibi factus est Romanus Episcopus, ut ibi proficeret. 7. q. 1. Mutationes. Et ita ex tunc in Petro & suis successoribus duo episcopatus concurrerunt, videlicet universalis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ. Et hic finis dictæ quartæ conclusionis. Redeo ad præscriptam sextam conclusionem. In signum verò dictæ discretionis investitura papatus dicitur Papæ investicio de papatu Romano, ut præsit urbi & orbi. In utroque verò tam urbis quam orbis præsidentia coassistunt Cardinales, tamquam speciales ipsius coadjutores vice & nomine tam Romanæ quàm universalis Ecclesiæ. Et ideo ipse Papa ante suam consecrationem profiteri debet de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu, directione, & commemoratione ministerium summum agere atque peragere, ut patet in professione quam fecit Bonifacius VIII. quæ incipit: Ego Benedictus Caietanus. Ex præmissis sequitur septima conclusio, quòd sacro collegio vel senatui Apostolorum succedit in ordine hierarchiæ sacrum collegium Cardinalium, videlicet quantum ad illud statum quo Apostoli assistebant Petro antequam post eorum divisionem fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. Statui autem Apostolorum, in quantum fue-

rint Episcopi, succedit ordo Episcoporum. Et ita intelliguntur dicta sanctorum ex quibus sumitur illa glossa Lucæ x. super verbo : Designavit & alios septuaginta duos : *ubi dicitur quòd sicut in Apostolis forma Episcoporum fit, in septuaginta duobus Discipulis forma est ministrorum secundi ordinis, & omnis potestas sacerdotalis ad hos duos ordines reducitur.*

Deinde post decimam conclusionem dicti sui operis subjungit idem Dominus ad probationem prædictorum in septima conclusione hæc verba : *Circa septimam conclusionem nota quòd aliquibus videtur quòd Silvester fuit primus qui Cardinales vocavit, ut 2. q. 4. Præsul, & fuit id capitulum conditum in generali Concilio, ut ibi patet. Aliis videtur quòd Marcellus Papa.* Cujus scripta videre volui propter hæc & alia multa infrà dicenda in multis locis. Quæ scripta solemnia gesta magnalia sunt in Avinione in monasterio sancti Martialis, ubi sunt ultra viginti quinque volumina grossa per eum facta tam super toto jure canonico quàm in consiliis.

Si igitur hoc de rebus Ecclesiæ æstimationem recipientibus Papæ non conceditur, multò minùs est concessum est in personis ecclesiasticis, maximè in majoribus & principalibus, videlicet Cardinalibus, arg. in dicta aut. multò max. cum similibus.

Item probatur alia ratione quòd non potuerit Papa sic sine maxima causa Cardinales omnes purè vel sub conditione excommunicare vel inhabilitare, quia etiam unicum Cardinalem Papa deponere vel inhabilitare non potest, sed hoc pertinet ad Concilium generale. *De Clericis non resident. cap.* 1. Et ibi expressim per Innocentium, quem sequitur novellator & Ancarano. Et est ratio secundùm eos, quia Cardinales, tamquam maximi, debent speciali prærogativa lætari. *De off. leg. cap.* 1. *lib. sexto.* Et sunt pars corporis Papæ, quicum judicant orbem. Qui

filij sunt legit. Per venerabilem; ut infrà dicetur. Propter ergo tantam vicinitatem debent esse participes privilegii singularis. *ff. de excus. tutor. l. Non tantùm.* Et una eadem res non debet diverso jure censeri. *ff. de usurpat. l. Eum qui ædes. & De decim. Tua.* ut notant Dominus Iohannes Andreæ & Ancarano in dicto capitulo secundo post Innocentium.

Sed contra hoc facere videtur *De schismat. Ad succidendos. lib. vi.* ubi Bonifacius Papa solus de fratrum suorum consilio deposuit Cardinales de Columna. Respondetur quòd ibi suberat causa evidentissima, & etiam enormis error & delictum notoriè Cardinalium ipsorum. Et ideo secùs hic, secùs ibi. Item illa decretalis fuit per Benedictum XI. dicti Bonifacii immediatum successorem revocata, ut ibi dicit Archidiaconus. Redeundo igitur ad propositum, nunc rationes sacræ scripturæ & auctoritates Dominorum Doctorum Theologorum ad præmissorum confirmationem in medium deducantur.

Theologi dicunt, Sacro collegio vel senatui Apostolorum succedit collegium Dominorum Cardinalium, scilicet quantum ad illum statum quo Apostoli post Christi Ascensionem assistebant Petro antequam post eorum divisionem in orbe fierent particularium Ecclesiarum Episcopi, ut infrà clarè dicetur. Pro cujus latiori declaratione, & ut sciatur origo Cardinalium, & quam potestatem habent in Dei Ecclesia, est advertendum quòd bonæ memoriæ Dominus Petrus Cameracensis Cardinalis, summus Theologus, quem ego vidi, & cum eo sæpe locutus fui, in quodam solemni tractatu quem fecit de ecclesiastica potestate circa principium in sexta quæstione dicit formaliter & multùm notabiliter ad propositum in hæc verba.

Sexta conclusio. Licèt nomina papatus & cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorum non Part. 1. oper. Gerson. pag. 899.

fuerint in usu Ecclesiæ, sed postea crescente Ecclesia in titulum honoris ex devotione fidelium hæc nomina, sicut & nomina Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, in usum venerunt à sanctis patribus approbatum, unde ecclesiasticæ potestates dictis nominibus papatus & cardinalatus nunc designatæ, ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet in Petro papalis dignitas & in ceteris cardinalatus auctoritas. Pro cujus declaratione sciendum est quòd, sicut patet ex discursu historiæ actuum Apostolorum & aliis ecclesiasticis historiis ac sanctorum patrum decretis, ante divisionem Apostolorum &c. De elect. cap. Vbi majus. lib. sexto. *Et in hoc non refert,*

Pag. 904. *quia debet attendi effectus, & non vocabulum.* De verb. signific. Intelligentia. *cum tribus capitibus sequentibus. Et nota quòd Hostiensis & quidam Doctores canonici multa ponunt de auctoritate Cardinalium tam sede vacante quàm plena in cap.* Ad liberandam. De Iudæ. *& in cap.* Cùm ex eo. De pœnitent. & remiss. *& cap.* Antiquam. De privileg. *in cap.* Nullus. 79. di. *& in cap.* Ego N. De jurejur. *in cap.* Fundamenta. De elect. *& in cap. 2. De offi. Legat. lib.* VI. *& in Extravagante* Execrabilis. *Circa septimam conclusionem nota quòd Cardinales etiam non Episcopi præcedunt Episcopos, quia comparantur Senatoribus, qui erant primi post Imperatorem, & dicebantur patres conscripti. Et de hoc per Archidiaconum* De offi. Legat. c. 1. li. VI. *& pro hoc* 96. *di.* Constantinus. *ubi concedit Constantinus ut uterentur ornamentis Senatorum. Et dato quòd nullo jure probaretur, sufficit quòd hoc est receptum à tempore de cujus contrario non est memoria. Nam talis tempus habet vim legis.* De præscript. c. 1. li. VI. & ff. De aqua cotid. & æsti. l. Hoc jure. §. Ductus aquæ.] Et paucis interpositis sequitur ibidem quòd

Pag. 905. facer ille Senatus Cardinalium à cardine nomen ac

repit. 22. *Sacrosancta* super verbo *Cardo* per Archid. Et sequitur. *Nota quòd electio Papæ pertinet ad Cardinales, non solùm de jure, sed etiam de consuetudine diù obtenta, ut notat Hosti.* De elect. *Licèt Et hæc consuetudo secundùm philosophum dicitur altera natura, & habet vim legis, & legem interpretatur & corrigit.* De consuet. Cùm dilectus.

Item ad Cardinales pertinet hæc electio tamquam ad clerum Romanum seu principales de clero Romano. arg. 24. di. c. 1. *Facit.* 79. di. c. 2. & c. Si quis ea. & c. Si quis pecuniam. *Sed ultra præmisse humana & positiva jura restat in jure divino fundare statum hierarchicum Cardinalium & eorum auctoritatem. Vbi priùs supponendum est quòd Christus Ecclesiam suam instituit statibus, officiis, & gradibus variis hierarchiæ, juxta illud Apostoli ad Eph.* 4. Vnicuique vestrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. *quod est Ecclesia. Et eadem sententia habetur* 1. *Corinth.* 12. *Et hæc perfecta & completa statuum distinctio maximè in die Ascensionis instituta est, ut notant præmissa verba Apostoli allegantis illud:* Ascendens in altum dedit dona hominibus. *Ex quo sequitur quòd varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia non principaliter est ex institutione Ecclesiæ, nec cujuscumque puri hominis auctoritate processit. Quare nec etiam destituere potest ea homo sive destruere. Vlteriùs supponitur quòd præmissa officiorum varietas ad sui pulcritudinem & ordinem requirit quòd inter auctoritates Ecclesiæ legitimas sit hierarchica subordinatio, & quòd una, scilicet papalis auctoritas, sit suprema ex Christi*

institutione, & non humana auctoritate, sed divina, juxta illud Joh. 20. Pasce oves meas. *Vnde licèt pluraliter dicat Apostolus*, Dedit Apostolos seu Episcopos, *tamen ad innuendum id quod dictum est præmissum*: Vnicuique vestrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. *Quasi diceret quòd uni plus, alteri minus donatum est, & uni supremum regimen ecclesiasticum commisit. Ideo dicit idem Apostolus* 2. *Corinth.* 10. Nos non in immensum gloriemur, sed secundùm mensuram regulæ quam mensus est nobis Deus. *Vbi glossa:* Vsurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi aut sui Vicarii, & potestatem commissam ultra terminos sibi præfixos extendentes, non secundùm mensuram regulæ, sed in immensum gloriantur. *Ex præmissis infertur quòd sicut status Papæ, sic post eum status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ ex Christi institutione pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statui apostolico immediatè succedunt. Pro cujus declaratione sciendum est quòd Apostoli possunt tripliciter considerari, primò ut Christo principaliter astiterunt ante ejus Ascensionem, secundò ut astiterunt Petro tamquam primo pastori ante Apostolorum divisionem & separationem à Petro, tertiò ut ex præcepto Christi, postea à Petro separati, per mundum se diviserunt; ut in sexta conclusione tactum est. In primo statu Apostoli fuerunt pares, nec Petrus eis præerat. In secundo & tertio statu præerat eis Petrus. Et quantum ad primum & secundum statum Cardinales repræsentant Apostolos in hoc quòd assistunt Papæ, qui est Vicarius Christi & Petri successor. Sed quantum ad tertium statum; Episcopi succedunt Apostolis, ut in dicta sexta conclusione præmissum est. Et hoc notavit Apostolus distinguens status Ecclesiæ, cùm distinguit statum pastoralem, cui incumbit cura animarum particulariter à statu apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiæ ge-*

neraliter. Et juxta hanc ſententiam dicit Archid. 22. di. Sacroſancta. quòd Papa ſe debet inter Cardinales connumerare ratione ſtatus apoſtolici in quo ſunt, condividendo eum à paſtorali ſtatu, licèt etiam Apoſtoli fuerunt paſtores. Sed ſtatus in ſe ſunt diverſi, & priùs fuerunt in ſtatu apoſtolico per Chriſtum inſtituti quàm in paſtorali per Petrum; quia ante paſſionem omnes duodecim fuerunt Apoſtoli, ſed poſt paſſionem factus eſt Petrus à Chriſto omnium paſtor; & tunc ſtatus paſtoralis fuit ordinatus, licèt apoſtolicus ſtatus antè fuiſſet. Petrus ergo & ſui ſucceſſores retinuerunt utrumque ſtatum, ſed Cardinales apoſtolicum duntaxat. Et ita eſt diverſitas inter nunc vocatos Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui in ſtatu apoſtolico vario modo ſuccedunt Apoſtolis. Notatur in gloſſa primæ ad Corinth. 3. ſuper illud dictum fidelibus. Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas. Nam ut dicit gloſſa, Paulus erat Apoſtolus Corinthiorum, Apollo Archiepiſcopus eorum; Cephas, id eſt, Petrus, omnibus major erat. Vnde ulteriùs ſequitur quòd ad ſtatum Cardinalium tamquam ad ſtatum apoſtolicum primò pertinet unà cum Papa regimen & ordinatio Eccleſiæ; quia ex caritate ſe obligant ut cum capite ſuo Chriſti Vicario generaliter fidem & chriſtianitatem uſque ad ſanguinis effuſionem defendant, in cujus ſignum capellum rubeum portare dicuntur. Ex quibus ſequitur quòd Cardinales ſunt in ſtatu perfectionis altioris quàm ſit generaliter ſtatus paſtoralis; quia inferiores paſtores tenentur ſe exponere pro grege particulari, ſed Cardinales tenentur ſe exponere pro Eccleſia. quod eſt perfectius; quia bonum quanto communius, tanto divinius, ut dicit philoſophus.

Hæc ſunt forma formalia præfati bonæ memoriæ Domini Cardinalis Cameracenſis in dicto tractatu ſparſim deſcripta, quæ hic propter ejus auctoritatem & verborum notabilitatem tranſcribi feci for-

maliter & fideliter, quia tractatus ille apud omnes communiter non habetur, & sunt multa notabilia ad propositum meum, per quæ patet quòd status Papæ & etiam Cardinalium à Christo immediatè est institutus & ordinatus originaliter. Ponit etiam quia potestatem quam habent Papa & Cardinales secundùm scripturam divinam, ex Christi ordinatione processit. Quæ non noverunt omnes humani juris professores. Quæ potestas est ad ædificationem, non ad destructionem. Et ideo non potuerunt Papa & Cardinales transgredi terminos quos posuerunt patres sui; exemplo Christi, à quo sunt immediatè instituti, non debuerunt solvere legem ejus, sed adimplere. *Matth.* 5. Et infrà magis declarabitur. Per Dominum igitur Martinum Papam non potuerunt nec debuerunt ita destitui vel inhabilitari Cardinales, etiam ipsis consentientibus, sine causa legitima; & per consequens decretum prætensum non valuit, neque valet, imò contemnendum, ut suprà dictum est, & specialiter quia non ad utilitatem publicam & communem, sed privatam totaliter, & sine causa rationabili & legitima, sed pro una truffa & fabula, ut ita dicam comparativè. Non enim hoc Papæ permissum est, ut suprà sæpe scriptum est & infrà dicetur. Multa alia sunt in dicto tractatu, quæ hic convenienter addi possent, quæ gratia brevitatis transcribere omisi. Recollegi tantùm ex eo quæ magis ad casum & dubium nostrum mihi pertinenter facere visa sunt.

Ex quibus ulteriùs sequitur secundùm eundem quòd licèt debeat obediri Petro & ejus vicario tamquam capiti suo in iis quæ pertinent ad ædificationem, non tamen in iis quæ pertinent ad ejus destructionem, quod etiam expressè probat Apostolus secunda ad Corinthios 10. ubi ait: *Nam si ampliùs gloriatus fuero de potestate nostra quam nobis Do-*

minus dedit in ædificationem, non in destructionem, & in cap. ult. in finem, ibi : *Vt non præsens duriùs agam secundùm potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem vestram.* Et ideo ubi Papa utitur potestate sua in ædificationem Ecclesiæ, multa privilegia specialia habet quæ sibi soli competunt ; quæ notantur de translat. Episc. Cùm in generali privilegio per glossam & Doctores ple. alibi latiùs per Guillelmum in Speculo tit. de legat. §. *Nunc ostendendum*; ubi ponit casus centum numero Papæ specialiter reservatos. Et Bald. *Cod. De precib. Imper. Offer. l. Rescripta.* ubi notabiliter loquitur. Et Albericus in alphabeto juris canonici super verbo *Papa*, ubi videtur aliqua addere. Hæc tamen privilegia non habet Papa in destructionem Ecclesiæ vel ejus membrorum principalium, maximè Cardinalium, 25. q. 2. *Si ea destruerem*, suprà allegatum & transcriptum. Imò concedendum est Papam ab universali Ecclesia vel generali Concilio in aliquibus, paucis tamen, casibus judicari & condemnari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus secundùm Dominum Cardinalem, qui hoc deducit & probat rationibus in dicto tractatu. Aliàs enim sequeretur Christum, qui verum est & summum caput Ecclesiæ & institutor ejus sapientissimus, eam non perfectè & sufficienter ordinasse, quod est hæreticum & contra illud Deuter. 3. *Dei perfecta sunt opera* secundùm eundem Dominum Cardinalem. Et facit illud Psalmi *Benedic.* 103. *Omnia in sapientia feciſti* & notatur plenè 40. di. *Si Papa*, per omnes ibi scribentes. Vbi dictus Dominus Ægidius Avinionensis Episcopus multa notabilia dicit de hoc.

Concluditur ergo quòd decretum prædictum nullum est & iniquum rationibus prædictis, & non tenendum, nec timendum. Etsi enim sententia excommunicationis, licèt injusta, sit timenda, ubi ta-

men nulla est, nec tenenda nec timenda secundùm Hostiensem; qui hoc notat insuper de sententia excommunicationis, §. *Quis sit effectus*, versiculo *Hæc vera sunt de sententia justa.* Quo casu, quando est nulla, non est necessaria absolutio. 2. q. 1. *Primates.* Sententia enim excommunicationis, suspensionis, vel interdicti nulla non ligat apud Deum nec Ecclesiam, nec efficitur quis irregularis se immiscens divinis. Ita eleganter notatur de clerico excom. ministrante, cap. *si celebrat*, per Henr. circa principium, & de sententia excom. sacro. di. 1. per eundem. Iniquitas enim nullitati similis est. *De sententia & re jud. Pastoral. in Clem. super verbo, Non habebat po an. & eo. ti. Cùm Bertoldus, super verbo, Concessimus, per Innocentiam.* Hic autem est etiam iniquitas evidens, quia omnes isti qui cardinalari debebant, erant unius nationis. quod non est æquum. Non enim sic faciebat Moyses summus sacerdos, & ejus successor Iosue, qui habebat regimen regale, & unus principaliter præerat omnibus, sub illo tamen septuaginta duo seniores de omni populo & plebe eligebantur, ut probatur Deuteronomii primo. De toto enim orbe eligendi sunt Cardinales orbem judicaturi, secundùm Bernardum ad Eugenium, ut infrà dicetur. Et sic patet dictam ordinationem non tantùm nullam, sed iniquam & injustum fuisse & esse.

Quibus convenientissimè quæ suprà dicta sunt, quòd Papa non est dominus, sed administrator, & aliis præmissis adaptantur & concordant quæ venerabilis & recolendæ memoriæ Bernardus Abbas Clarevallensis ait in libello de consideratione ad Eugenium tertium Papam; quem libellum describere volui, & aliqua ex ipso sparsim scripta, quæ magis mihi visa fuerunt ad propositum, hic transcribi. Primò enim libro quarto ante medium, & ante

versum *Libet superiores*, formaliter Papam Eugenium alloquens ait: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præces, Ecclesiarum matrem esse, non dominam, te verò non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis, porrò fratrem diligentium Deum & participem timentium eum, de cetero oportere te esse formam iustitiæ &c.* Et subjungit qualis debet esse Papa. Quæ verba licèt sint pulcherrima, gratia brevitatis, & quia non tangunt principaliter hunc articulum, transcribere omitto.

Item idem Bernardus lib. secundo post principium dicit sic: *Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique super intendis, sonans tibi Episcopi nomine non dominum, sed officium; quoniam in loco eminenti utinam omnia prospectes, qui speculator super omnia constitueris. Enimvero prospectus iste procinctum parit, non otium. Quomodo libet gloriari dum otiari non licet? Nec locus est otio ubi sedula urget solicitudo omnium Ecclesiarum. Non tibi aliud divisit sanctus Apostolus. Quod habeo enim, hoc tibi do. Quid illud? Vnum scio, non est aurum, nec argentum non est mihi. Si habere contingat, utere non pro libito, sed pro tempore. Sic eris utens illis quasi non utens.* Et sequitur statim ibidem ad propositum aliquibus interpositis: *Nec enim ille tibi dat quod non habuit. Quod habuit, hoc dedit, solicitudinem super Ecclesias, nunquam dominationem. Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu tibi usurpare audeas aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te*

exemptum illorum numero putes de quibus queritur Deus sic : Ipsi regnaverunt, & non ex me : principes extiterunt, & ego non cognovi eos. Iam si regnare sine Deo juvat; habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum : Qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut qui ministrat. Forma apostolica hæc est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quæ commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adjungit. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Quis se titulo hoc inglorium putet quo se prior Dominus gloriæ præsignavit ? Et sequuntur ibidem multa quomodo se debent gloriari exemplo Prophetarum & Apostolorum. Et sequitur : *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis. Pascendas utique, non premendas, suscepisti.* Et sequitur : *Si filius es Apostolorum & Prophetarum, & tu fac similiter.* Et sequuntur multa ad propositum, quæ gratia brevitatis omitto, & infrà remitto latiùs videnda.

Item quia fortè dicetur quòd dictus Dominus Martinus hoc fecit & ordinavit de plenitudine potestatis quam habebat, ut patet in dicto decreto, audiatur idem Bernardus libro tertio ante finem circa octo columnas super exemptionibus Prælatorum & aliarum personarum ecclesiasticarum à suis immediatè superioribus, dicens ad propositum in hæc verba : *Murmur loquor & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant & demembrari. Vel nullæ vel paucæ admodum sunt quæ plagam istam aut non doleant aut non timeant. Quæris quam. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus. Bonane species hæc ? Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc quia potestis ; sed utrum & debeatis, quæstio est. Honorum & dignita-*

tum gradus & ordines quibusque servare positi estis, non invidere, ut quidam vestrorum ait: Cui honorem, honorem. Spiritualis homo qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine judicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præveniet; primùm quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro libito uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tune major domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam. Quamquam non minùs dejecti quàm elati animi est veluti rationis expertem, non pro ratione, sed pro libito agere, nec judicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? Et si indignum cuivis utenti ratione vivere ut pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturæ, injuriam honoris ferat? Sic degenerando, quod absit, generale opprobrium feciſti proprium tibi. Homo cùm in honore esset, non intellexit &c. Et post aliqua sequitur ibidem: *Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, sterilitates, scandala, odia, quodque magis dolendum est, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetesque discordias. Vides quàm verus sit ille sermo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid si fortè non licet? Ignosce mihi. Non facilè adducor licitum consentire quod tot illicita parturit. Tunc denique tibi licitum censeas suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos posuerunt patres tui? Si justitia est jus cuique servare suum, auferre cuique sua justo quomodo poterit convenire? Erras si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram apostolicam potestatem æstimas. Si hoc sentis,*

dissentis ab eo qui ait : Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Et post pauca : Monstrum facies si manu submovens digitum, facis pendere de capite superiorem manum brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quàm disposuit ipse. Nec tu putes alium esse qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios doctores & pastores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Atque corpus hoc quod tibi ipse Paulus suo vero apostolico figurans eloquio & capiti convenientissimè aptans, totum compactum perhibet & connexum per omnem junctúram submini-strationis secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem sui in caritate. Nec vilem reputes formam hanc quia in terris est. Exemplar est in cælo. Neque enim filius potest facere quicquam nisi viderit patrem facientem, præsertim cùm ei sub nomine Moysi dictum sit : Vide facias omnia secundùm exemplar quod tibi in monte monstratum est. Viderat hoc qui dicebat : Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quòd sicut illic Cherubim & Seraphim ac ceteri quique usque ad angelos & archangelos ordinantur sub uno capite Deo, & ita hic quoque sub uno Pontifice Primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, vel reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum quod & Deum habet auctorem & de cælo ducit originem. Quòd si dicat Episcopus, Nolo esse sub Archiepiscopo, vel Abbas, Nolo obedire Episcopo, hoc de cælo non est. Nisi tu fortè angelorumquempiam dicentem audisti : Nolo sub archangelis esse aut

etiam alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuique nisi Deo. Quid inquis? Prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis ut ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Hæc dicit Bernardus ubi suprà libro tertio circa finem, qui ibidem subjungit de ambitione & generaliter super universum Ecclesiæ statum. Quæ & multa alia in dicto libello posita ad propositum hic transcribi possent, quia verba aurea sunt; sed relinquo gratia brevitatis. Ista enim, licet, pauca sparsim posita recollegi tamquam meliùs ad casum nostrum facientia; quamvis ferè totus libri discursus posset convenienter adaptari, prout dixi suprà de tractatu Domini Cardinalis Cameracensis. Quem librum seu libellum Bernardi allegat & multipliciter commendat bonæ memoriæ Dominus Baldus de Perusio utriusque juris professor illustris in multis locis, & signanter ff. de offi. prætor. A. Barbatius in lectura in fi. l. qui nominat auctorem illius libelli testem veritatis, & quòd verba sua sunt elegantia, plena fide & veritate. Hæc autem ultima verba Bernardi hic subjunxit; in quibus licèt non fiat de Cardinalibus mentio, ipse tamen de eisdem quamplura dicit qui & quales debeant eligi & qualiter exemplo Moysi senes, non juvenes, non tam ætate quàm moribus, quia senes populi sunt & de toto orbe eligendi sunt orbem judicaturi, & multa notabilia de eisdem & eorum virtutibus; qui utinam tales essent omnes quales eos esse debere describit libro quarto post principium. Tamen præmissa pro tanto rescripsi, quia si Papa non potest vel de-

bet alios inferiores Prælatos eximere vel gravamina eis inferre, cùm sit eorum Coëpiscopus, non dominus, ut latè dictum est, multò minùs potuit Dominus Martinus prædictus, qui etiam inter Cardinales numeratur, ut est dictum, Cardinales excommunicare, inhabilitare, & alia quæ egit facere in favorem quatuor, non de toto orbe, nec de ejus diversis partibus, sed omnium Italicorum, & ad ipsorum vel finaliter unius solius eorum utilitatem privatam & nullo modo communem, & utinam ad bonam & rectam intentionem. Quicquid sit, tamen non sequebatur ex hoc in Dei universali Ecclesia evidens utilitas quòd sic constituta & decreta & observata in generalibus Conciliis & ad quietem totius universalis Ecclesiæ cum tantis vigiliis & laboribus ordinata alterare, mutare, & confundere, aut destruere, Ecclesiam ipsam potuerit turbare, scandalisare, vel turbationem in ea ponere, plenitudinem tempestatis & confusionis ponere in eadem. quod apud sani capitis graves viros truffa vel fabula aut monstrum in Ecclesia reputatur, ut ex præmissis omnibus colligitur evidenter. Et hæc de prime dubio principali dicta possunt sufficere de præsenti.

Restat tamen respondere ad rationes in principio in contrarium factas, quibus ex jam dictis patet ad omnes evidens responsio unico verbo; & ideo superfluum est ultrà aliquid dicere. Quod enim demonstratæ rei additur, frustra est. *ff. De dote prælg. l.* 1. *in fine.* Et supervacuum est solem facibus adjuvare. 6. q. 1. *Si omnia.* Gratia tamen clarioris intellectus, & ut aliqua omissa dicantur, responderi potest, quando dicitur, Papa Christi vicarius, Petri successor, omnia potest &c. verum est ubi ædificat, non autem ubi destruit, ut suprà dictum est; etiam si hoc faciat de potestatis plenitudine, ut statim dictum est secundùm Bernardum.

Item ad id quod dicebatur, *quodcunque ligaveris &c.* respondetur quod hoc est verum si juste faciat & mediante justitia, clave non errante. 24. q. 1. *Manet.* &c. *Quodcunque.* & infrà per glos. Idem tenet Archid. expressè 11. q. 3. *Cœpisti.* & dicto c. *Manet.* Idem tenet in cap. *Apostolicæ* super verbo *ligaveris.* Idem Guillelmus in speculo de pœnit. & remiss. verbo. *Quòd si in eadem persona.* Idem de Bracho in suo alphabeto super verbo *ligaveris.* & communiter omnes. Idem tenet magister Nicolaus de Lira in dicto cap. 16. Matth. super verbo *ligaveris.* Scilicet supposito hoc in terra debito usu clavis, Deus approbat in cœlis, aliter non. Verba sunt Nicolai de Lira.

Hic erravit graviter, ut ex præmissis patet; & potuit imò debuit sibi in facie resisti, nec ei obtemperari debuit. Reprehensibilis enim fuit, *ad Galat.* 2. Iudicium enim Papæ tale esse debet ut non possit nec valeat periclitari. Turpe enim est retractare quod fecit, secundùm Bernardum libro quarto post principium cap. 2. Concordat lex civilis dicens quòd cavere sibi debet Princeps ut aliquid non faciat reprehensibile seu reprehensione dignum. *ff. de heredib. instit. l.* Plenè secundùm Baldum, qui ibidem quamplura notabilia dicit.

Item ad hoc quod dicitur quod hoc facit Papa de plenitudine potestatis &c. patet responsio per dicta Bernardi ad Eugenium. Illa enim non debet abuti, nec ad hoc est sibi data ut destruat, sed ut ædificet justa & plantet. Quòd si non faciat, non debet dici dispensatio, sed crudelis dissipatio.

Item Innocentius dicit quòd Papa plenitudine potestatis uti non debet nisi ex magna & justa causa, ut notat alleganter de elec. *Innocent.* Quæ cessabat omnino in casu nostro, quia fuit merè voluntaria. Et ideo debet illa potestas restringi & temperari,

ne sequatur absurditas vel abusus secundum Dominum Cameracensem ubi suprà. Hic autem sequi poterunt scandala, abusus &c. Et idem etiam dicunt Doctores canonum, ut sequitur.

Item dicit glos. Bernardi De conces. præbend. cap. *Proposuit.* quòd licèt Papa habeat plenitudinem potestatis, tamen contra universalem statum Ecclesiæ dispensare non potest. 14. q. 1. *Memor sum.* & allegat jura multa. Facit quòd notatur 25. q. 1. *Quæ ad perpetuam.* Et ita apparet secundùm Doctores Theologos & Canonum quomodo & quando debet uti plenitudine potestatis. Iura etiam civilia concordant in ratione. Potestate enim alicui data quis debet civiliter & rationabiliter uti. ff. de l. fi. Cui. ubi est textus in ratione sui.

Item advertere debebant omnes, cùm essent prudentes, & futura prævidere, quia poterat ex hoc pestiferum schisma in Dei Ecclesia suboriri, quod vitare debebant sicut venenum mortiferum, & potiùs mortem quàm illud pati. Præteriti enim & inveterati schismatis, quod proh dolor per quinque lustra duravit & ultrà. præteriti enim ratio scire futura facit. De elect. *Vbi.* in principio lib. v 1. per Iohannem Monachi. Vnde leguntur in mari historiarum à fratre Iohanne de Columna composito lib. 5. cap. 61. de schismate vitando formaliter verba sequentia. *Dionysius Novato fratri salutem. Si invitus, ut ais, ad hoc veniſti, ostendas in eo si desinas volens. Oportuerat enim quidem pati omnia ne scinderetur Ecclesia Dei. Erat non inferior gloria sustinere martyrium pro eo ne scindatur Ecclesia quàm est illa ne idolis immoletur. Imò secundùm sententiam majus puto hoc esse martyrium ubi unusquisque pro sua tantùm anima, in hoc pro omni Ecclesia martyrium sustinet. Sed nunc sive tu suadere, sive etiam cogere potes fratres redire ad concordiam, majus tibi erit emendationis meritum quàm fuerit culpam commisisses*

commisisse; quia illud non jam imputabitur, hoc etiam laude dignum dicetur. Si verò illi in crudelitate permanserint, tu tamen salvas animam tuam. Vale pacem desiderans quam tibi imprecor.

Ad secundum dubium principale de subscriptione Cardinalium, an eos ligaverit &c. videtur quod sic; quia se subscribendo videntur omnia contenta in decreto seu cedula approbare. *Cod. De re alien. non alie.* 2. Et ibi notabiliter facit *ff. de testam. tu. l. Ex sententia.* Et de subscriptione Cardinalium notatur 12. q. 2. cap. *Cùm Redemptor*, per Archidiaconum.

Contrarium dico quòd consensus vel subscriptio non nocuit quò minùs potuerint eligere liberè dicto Domino de Capranica non vocato vel admisso. Vbi advertendum primò ad modum subscriptionis Cardinalium. Non enim aliter consenserunt Cardinales, sed simpliciter per eorum scripturam attestantur & testimonium perhibent quòd Papa ita ordinavit; non quòd pœnis ibi contentis consenserint vel se subjecerint expressè, ut patet ex verbis, quæ clara sunt, & eorum forma est attendenda. *ff. De leg.* 3. *l. Ille. §. Cùm in verbis.* & de privileg. *Porrò.* Item videtur quòd etsi consensissent expressè etiam pœnis illis, hoc feciſse dicuntur ex nimia reverentia quam gerebant Papæ, qui erat potens opere & divitiarum & amicorum multitudine in civitate propria; quæ reverentia metui æquiparatur; nec dici debet propriè consensus liber in aliquo, si rubore confusus & persuasus contradicere tunc probatur. *ff. de furib. l. fi.* Et facit optimè quod plenè notatur *ff. Quarum re. actio non datur. l.* 1. §. *Quæ onerandæ.* per glos. & Bartolum. Et hoc tetigi de primo scribens. Quare non repeto. Addo. Facit benè *ff. Quod falso tutor. l. Novissimè.* §. 1. & quod notatur per Baldum ibi. Et hic ulteriùs advertendum quòd præmissa loquuntur in temporalibus, in quibus ordinationes, sententiæ,

vel alii actus temporales licèt valeant ipso jure, obstat tamen exceptio, ut in toto titulo *De his quæ vi metusve causa fiunt.* In sententia autem clavium, si excommunicationis vel alterius censuræ spiritualis sit per metum hunc lata vel alius actus factus, est nulla & nullus ipso jure, quia non debent claves vim pati activè vel passivè. *Quod met. causa. cap. 1. lib.* VI. cum ibi notatis. Facit quod notatur 11. q. 3. cap. *Quatuor.* Ista verò allegantes. Cod. De sacrosanct. cap. *Decernimus.* ad fin. per Baldum. Facit bene 3. q. 1. §. fi. ubi textus notabilis.

Plus dico, quòd etsi liberè & purè consensum clarum omnibus præstitissent, eosdem non ligavit quò minùs potuerint impune ad electionem procedere, cùm non valuerit quod egerunt, prout suprà dictum est. Ad totum enim collegium seu senatum Cardinalium pertinet Papam eligere nomine & vice non sua, sed totius universalis Ecclesiæ & pro ejus evidenti utilitate tam de jure quàm consuetudine inveterata, ut est dictum. Cùm igitur hoc non ad sui utilitatem vel favorem introductum est, sed pro bono publico universalis Ecclesiæ, non potuerunt nec expressè nec tacitè illi renuntiare etiam cum juramento. Hoc enim posset facere simplex Clericus quando introductum est aliquid in favorem totius ordinis clericalis, ut De foro compet. *Si diligenti.* ubi est expressum. Et hoc tenet Hostien. in propriis terminis de Cardinalibus tam in dicto cap. *Licèt de vitanda.* quàm cap. *Si diligenti* allegato, Notatur plenè De renunt. 2. *Cùm pridem. §. Propter malitiam.* & de vita & hon. Cler. c. fi. ipso illo canone seu decretali *Licèt.* Legatur. Nec ei possunt renuntiare. Et licèt sit durum, tamen est tenendum. ff. *Qui à quibus.* c. *Prospexit.*] Hæc Hostiensis. Igitur bene facit ff. de pact. l. *Ius publicum pactis privatorum non læditur.* & quod plenè notatur per glos-

& Doctores modernos Cod. eod. tit. l. plenè.

Quomodo enim & qualiter potuerunt ipsi per eorum gesta vel scripturam aut subscriptionem publicum bonum universalem Ecclesiam & totum orbem, cujus sunt judices à Deo habentes potestatem, ut est plenè superiùs deductum, sic scandalizare, turbare, confundere, & ordinem in sacris generalibus Conciliis ac decreta & facta circa Papæ electionem ordinata pervertere & mutare, aut saltem perversioni, turbationi, confusioni, aut mutationi consentire? Certè minimè, prout nec Papa talia facere potest per jam dicta. Non enim debent solvere legem, sed eam adimplere, cùm sint sal terræ, ut habetur Matthæi quinto. Super quo verbo Nicolaus de Lira describens Prælatorum vitam, dicit in hæc verba: *Ad cujus evidentiam considerandum quòd Prælati sunt successores Apostolorum. Et ideo debent esse perfecti in vita contemplativa & activa. Et ideo virtutes contemplativorum, quæ sunt prædictæ, supponuntur esse in eis. Et similiter quæ sequuntur de activa. Sed hic exprimuntur aliqua spiritualia quæ debent esse in eis præ ceteris, & primò quantum ad eorum vitam, secundò quantum ad eorum doctrinam, Prælati enim debent esse excellentes præ ceteris quantum ad mores. Primùm debet esse discretio in agendis, quia sunt duces & gubernatores aliorum. Et hoc designatur cùm dicitur: Vos estis sal terræ. Sicut enim sale condiuntur omnia cibaria, ita discretione Prælatorum debent dirigi & ordinari omnia opera subditorum. Quòd si sal evanuerit, id est, si discretio in Prælatis defecerit, in quo salietur; quasi in nullo opere subditorum condietur seu dirigetur. Et ideo subditur. Ad nihilum valet ultrà nisi ut mittatur foris & conculcetur ab hominibus; quia talis repelli debet à Prælatis, ne officium Prælatorum in conspectu omnium reddatur vile. Secundum in quo debent præcellere Prælati est clara*

notitia in ſcripturis intelligendis. Et hoc eſt quod dicitur, Vos eſtis lux mundi. Sicut enim lux eſt manifeſtiſſima omnium oculorum, ſic Prælati per intelligentiam ſacræ ſcripturæ debent ex officio notificare omnia opera virtutum. In cujus ſignum portunt mitram in capite, in qua ſunt duo cornua. Tertium in quo debent præcellere conſtat in oppreſſionibus pauperum reprimendis. Vnde dicit ſalvator Iohan. 11. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis, mercenarius autem &c. *& ibi multa de hoc. Quartum in quo præcellere debet Prælatus eſt ſanctitatis evidentia in exemplis dandis; quia tantum excellere debet actionem populi actio Præſulis quantum diſtat à grege vita paſtoris. & ideo comparatur lucernæ poſitæ ſuper candelabrum illuminanti totam domum. Et ideo ſequitur:* Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona &c. *Et ſequitur aliquibus interpoſitis quòd Prælati per ſuam doctrinam & opera non debent legem deſtruere, ſed ampliare.* Hæc Nicolaus de Lira; qui multa alia ponit ad propoſitum, quæ gratia brevitatis tranſcribere omitto hîc. Eſt ergo conſiderandum ſi dicti Dominus Papa & Cardinales in prætenſo decreto adviderunt & iſta quatuor ſervaverunt. Et certè non totum, ſed contrarium, ſalvo ſemper eorum reverentia & honore. Et utinam bene cognoviſſent præterita, & cuncta rimaſſent & circumſpexiſſent, & noviſſima providiſſent, & verba Gregorii in homilia quam cantat Romana Eccleſia Dominica IX. poſt Pentecoſten ante eorum oculos habuiſſent, quæ dicit: *Maxima ruina populi ex culpa ſacerdotum.* Et alibi legitur: *Omnia mala à ſacerdotibus proceſſerunt. Malach.* 3. *Et purgabunt filios Leui.* Et ibi notata.

Ad tertium principale dubium, quo quæritur utrum ſuppoſito quòd decretum prætenſum valuerit, abjectio dicti de Capranica fuerit & ſit admit-

tenda, & an ex eo quòd ad electionem non fuit admissus, electio Romani Pontificis fuerit nulla &c.

Videtur primò quòd ad electionem idem de Capranica debuerit admitti. Decretum enim dicit quòd quatuor Cardinales in eo nominati ad electionem futuri Pontificis admittentur. Ista est omnino collectiva & pluralis, quæ resolvi debet in singularitate. Hæc tantum operatur quod quatuor singulares orationes divisim prolatæ. Quòd admittantur Dominicus Ilerdensis ad eandem electionem, Dominus Prosper de Columna &c. & de Capranica &c. probatur *ff. de condit. & demonstr. l. Falsa. §. fi.* Vbi textus est quòd si testator legat libertatem duobus servis suis, vel alteri eos legavit si sui essent tempore ejus mortis, si unus istorum alienatus vel manumissus, alter servus veniet in legato, quia illa pluralis oratio tantum operatur quantum duæ singularitates divisim prolatæ. Facit quod notatur de re. jur. *Pluralis locutio* per Dynum & alios, ubi sunt concordes. Sed ad propositum. Quamvis per Dominum Martinum tres ex istis quatuor sint in ejus vita admissi, restat quòd Capranica non admissus in vita admitti debuerit post mortem ad electionem, quodque factum non fuit videtur nulliter actum. Facit quòd notatur *Cod. De impub. & aliis sub l. Quamvis. & l. Cùm quædam.*

Sed iis nonobstantibus dico contrà, videlicet quòd admitti non debuit, imò contemni potuit, quia, ut suprà dictum est, decretum fuit nullum, & non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum; ut in regula juris, *Non præstat*, lib. vi. cum concordantiis. Et hæc responsio posset sufficere.

Præsupponendo sine præjudicio, & non concesso, quòd valeret & esset decretum aliquod, est advertendum in facto quòd prætensum decretum factum

extitit anno milleſimo cccc xxv i. & de menſe Maii, poſt quod tres ex Dominis ibi nominatis fuerunt publicè ad cardinalatum aſſumpti per eundem Dominum Martinum, iſto de Capranica ſpreto. Quod non fuit ſine cauſa, quæ ſtatim prodetur. A tempore enim decreti uſque ad obitum dicti Domini Martini fluxerunt ſex anni vel circa. Quo pendente tempore dictus de Capranica & Dominum Martinum & Eccleſiam graviter offendit tam ſuper facto & rebellione Bononiæ quàm aliàs, ut audivi à fide digniſſimo. Ex quo præſumitur Domini Martini mutatio voluntatis. Argumentum voluntatis optimum *ff. De confir. tu. l. In confirmando. & l. Vtilitatem.* Ibi enim dicitur de tutore in teſtamento dato, poſt ejus dationem teſtator diù ſupervixit & mores mutavit, vel teſtatorem offendit, quòd ex hoc præſumitur teſtator voluntatem mutaſſe, & ideo judex illum in tutorem dare vel confirmare non debet propter cauſam ſuperveniem. Et ideo dicit Baldus in dicta lege *In confirmando*, ſuper verbo fin. in proximo ſic notat, quòd faciliùs præſumitur durare voluntas de proximo quàm de longo.

Et iſta ratio fortè movit vel movere potuit Dominos Cardinales qui eundem de Capranica ad electionem non admiſerunt. Facit l. *Sancimus.* & quod ibi notatur *Cod. De teſtam. & ff. de probat. l. Procula.* in ratione ſui. Aliqui alii dicunt aliam cauſam fuiſſe: quæ ſi vera eſſet, non foret honeſta. Et ideo ampliùs non aperio. Non enim debet quicquam probabiliter aſſeverari. *ff. De accip. l. Iulianus. in principio.* Licèt tamen omnino fama de hoc volet.

Item etiam advertendum in facto quòd prætenſum decretum non ligat Cardinales futuros. De futuris enim nulla fit mentio, licèt generaliter inhibeat omnibus & ſingulis Cardinalibus. Quæ generalis locutio tantùm intelligitur de præſentibus. *ff. De auro &*

argent. l. Si quis ita. & De legat. 2. l. fi. ubi est textus notabilis. Et maximè hoc debet ita intelligi & restringi in materia pœnali, scandalosa, odiosa, & à jure communi exorbitante, juxta regulam *Odia restringi. De reg. jur. ff. De pœn. l. fi. de interpretatione. & l. si preces. cum concord.*

Post quod prætensum decretum tres ex Dominis ibi nominatis fuerunt ad cardinalatum assumpti, & etiam plures alij, videlicet Arelatensis, Novariensis, sancti Petri ad vincula, Rothomagensis, sancti Angeli, de Columna, qui auctoritate dicti decreti non fuerunt ligati nec inhabilitati aut excommunicati, quia postea assumpti. Supposito igitur sine præjudicio veritatis sive concesso quòd Domini Cardinales in decreto seu cedula subscripti fuissent excommunicati vel ad electionem inhabilitati, isti postea assumpti in electione interfuerunt &, D. N. Papam elegerunt; quibus nulla inhabilitas potest obici. Et per consequens canonica fuit & valuit D. N. Papæ electio, si isti omnes noviter postea creati vel eorum duæ partes, aliis inhabilibus, in electione consenserint, ut dicitur cap. *Licèt de vitanda*; etiam si Papa esset excommunicatus vel aliàs inhabilitatus. Nulla enim exceptio excommunicationis vel etiam hæresis præcedentis contra eum qui à duabus partibus electus est potest opponi, quasi ab eo sublata sit omnis in Ecclesia, cùm sit mutatus in virum alterum &c. Et sunt textus expressi in dicto cap. *Licèt* & eod. tit. *Ne Romani. §. Porrò.* in Clem. Et notatur in dicto cap. *Licèt* per Innoc. & Henric. post omnes. Clarè & aperte loquitur textus.

Item est advertendum quia in facto ponitur quòd in electione prædicta duo ex Dominis Cardinalibus de subscriptis expressè protestati sunt quòd dictus de Capranica admitteretur, quem & in quantum in eis est admitti voluerunt, Et si isti duo de subscriptis non

fuerint excommunicati vel inhabilitati ex quo per eos non ſtetit. Præmiſſis igitur omnibus ceſſantibus, licèt non ceſſent, iſti duo potuerunt Papam eligere, aliis inhabilibus exiſtentibus. Duo enim tunc ſufficiunt, & notatur *De elect. c.* 1. Et idem notatur eod. cap. *Licèt.* per Ægidium Avinionenſem. Et notatur cap. *Vbi majus*, ſuper verbo *Cardinal.* per Archid. & Iohannem Monachi, & in dicta Clem. *Ne Romani* per Paulum. Plus dico, quòd etiam unus ſolus hoc caſu eligere potuiſſet, ut notatur *De poſtula. prala. c. Quantum* per B. qui plenè diſputat & ita elegantèr concludit. Facit quod notatur *Ne ſede vacante c.* 1. §. 1. lib. VI. per Iohannem Andreæ.

Sed fortè mihi dicatur quòd probandum eſſet in facto quòd illi duo qui fuerunt proteſtati vel alij poſt decretum creati vel eorum major pars elegerit D. Eugenium; cujus probatio videtur difficilis, cùm nullus alius ſit inter eos duos Cardinales. Quòd ſi non probetur, præmiſſis veris exiſtentibus quòd alij fuerint inhabiles, electio non videtur canonica, cùm requiratur conſenſus duarum partium, ut dicto cap. *Licèt.*

Ad quod reſpondetur quòd licèt quæſtio ſit in facto an illi vel eorum major pars elegerit, tamen ſuppoſito deteriori & fortiori, quòd electioni prædictæ illi tunc non conſenſerint, quia tamen omnes & ſinguli Cardinales poſt electionem prædictam eundem Dominum Eugenium ad oſculum tamquam Papam receperunt, & in cathedra & ſede Petri poſuerunt, eundem adoraverunt, & in ſummum & univerſalis Eccleſiæ Pontificem, Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem ſuſceperunt, & eum talem eſſe omnibus Chriſtianis & catholicis Principibus populi ſcripſerunt & denuntiaverunt, ac eundem coronaverunt, (quæ coronatio eſt ultima Papæ electio, ut notatur in dicto lib. VI. per gloſ.) eidemque nihilominus poſ

duos annos & ultra ut tali obedierunt, & omnes & singuli obediunt eidem, etiam omnes Reges & Christiani Principes de præsenti, certè ex iiis omnibus sic publicè & notoriè peractis omnia vitia, si quæ fuerint, & electionum varietates sunt ad unitatem & unum redactæ, quia prædicta post electionem ipsam sunt publicè & notoriè peracta secuta, omnia impedimenta, si quæ fuerint, expirata sunt & purgata, & purgarunt ac si à principio omnes vel duæ partes eum elegissent, & ex illis postea secutis eidem Domino Eugenio novum jus, præmissis objectionibus cessantibus, in papatu acquisitum fuit, ut elegantissimè notat. Hostiensis in dicto cap. *Licèt. §. Præterea*, super verbo *à duabus partibus*. In electione enim summi Pontificis sunt multa specialia quæ enumerantur octo. Sed dictus Dominus Ægidius Avinionensis Episcopus enumerat ibidem tredecim.

Item Compostellanus elegantissimè & multùm notabiliter loquitur in hoc articulo, quem sequitur Novellator, de Ancarano, Ægidius, & alij in cap. *Transmissum* De elect. dicentes quòd etsi nulla sit electio, vel de ea non appareat, si tamen ab omnibus Cardinalibus recipiatur & eum Cardinales ita publicè fateantur, præsumitur electio canonica præcessisse, & talis investitura vim collationis habet. Eis enim credi debet, quia nullus est cum eis in electione, & plus est voluntatem suam factis quàm verbis declarare. cap. *Dilectis.* De pœnis. *Degradatio.* lib. vi. *ff. De iis qui notantur infamia, l. 2 §. Igna. & de edilit. edic. l.* 1. *Si dictum. §. fi.* Tamen facit ad præmissa c. *Ex ore*, De iis quæ fiunt à majori parte capituli.

Nunc restat formaliter respondere ad rationes suprà in contrarium factas de oratione plurali, quæ resolvi debet in singularitate &c. Ad quam satis responsum est, & quia etsi ita esset, & quòd ille admitti debuisset, licèt non debuerit, ea quæ suprà dicta

sunt, tamen hoc nonobstante valuit electio. Sed ad dictam rationem potest particulariter responderi multipliciter. Primò generaliter quòd illa est ratio scholastica apparens & non existens in casu nostro, & ideo scholasticis relinqui potest disputanda, & maximè quia materia Brocardica est, ut notatur de re. jur. *Pluralis locutio* per Dynum & alios & Instit. de jur. perso. in principio per Io. Fa. & *ff. Si quis es. Si servus. §. Si pluri.* per Alber. de Rosate post omnes alios. Vel aliter specificè respondetur quòd pluralitas resolvitur in singularitatem in materia favorabili, ut in l. *Contraria*, ubi de libertate agitur. Secùs autem in materia odiosa, ubi sequeretur absurditas vel inconveniens, ut in casu nostro, ubi est pœna, & sequi poterant mala, abusus & absurditates, de quibus suprà secundum Bartholum. Vel aliter. Vbi pluralis locutio fit pluribus collectivè vel conjunctim, tunc non resolvitur in plures singularitates. Et ratio; quia mens & voluntas proferentis est inspicienda. Hic autem mens & voluntas ptoferentis erat de quatuor admittendis, non de uno solo. Ita notatur *ff. Si quis casu. l. Si servus. §. Si plur.* per Alber. post alios. Item non erat res in eodem statu tempore electionis, quia tres ex dictis quatuor erant admissi. Ergo &c. *ff. de solv. l. Cùm quis in principio.* ex. de jurejur. cap. *Quemadmodum.*

Item propter unum vel duos nec plus vel minùs. *De consec. di.* 1. *Revera.* Et ibi notatur in proemio Decretalium. Et ideo pluralitas non potest resolvi in singularitatem hoc casu, cùm pluralis locutio non verificetur in uno. *ff. De testi. l. Vbi minus.* & de reg. jur. l. 1. *Pluralis locutio* per Dynum. Item decretum dicit quòd casu dicti quatuor non admitterentur &c. Hic autem quatuor non fuerunt repulsi, sed unus solus; & ideo non verificatur dicta pluralis locutio in illo, quia voluntas proferentis repugnat; quæ tamen

ante omnia est respicienda, ut suprà dictum est.

Item aliter dici potest quòd ubi est dispositio per verbum collectivi & pluralis numeri facta, resolvi potest in plures singularitates concernentes unum & eundem effectum; sicut in casu nostro, ubi de electione actum fuit, & ad illum effectum solùm facta fuit. Tunc non fit resolutio in plures singularitates, ut est casus in dicta l. *Quamvis* & l. *Cùm quid.* Cod. de impub. & aliis substit. Vbi dicitur quòd substitutio pupillorum facta pluribus conjunctim non resolvitur in singularitates. Secus autem ubi ad diversos fines & effectus tendunt, quia tunc fit resolutio in singularitates, dicta l. *Falsa §. fi per contr. alleg. cum concord.* Ita eleganter notatur in dicta lege *Quamvis* per Ia. Britonem & Salicetum, qui notabiliter loquitur. Et idem sequitur Bartolus in dicta l. *Falsa. §.* fi. Et ita apparet multiplex solutio ad l. contrariam allegatam. Quamvis hæc fuit superflua, quia suprà satis responsum erat ad sufficientiam bene indifferenter. Et ideo concluditur evidenter quòd Cardinales ipsi debuerunt & potuerunt contra dictam scripturam eorum venire, ex quo non valuit & à jure prohibita fuit. *Cod. De agric. & censit. l. Quemadmodum. & notatur lib. x. & C. de pact. l. Pacta quæ contra.* Et notatur *in l. ple. de pact.* in tribus oppos. per Baldum & alios Doctores. Et hoc de tertio & ultimo dicto sufficiat.

Verùm mihi dictum est post præmissa, videlicet quòd de usu & observantia & consuetudine Romanæ curiæ est quòd in materia promotionis & assumptionis Cardinatium fuit & est usitatum quòd ex quo aliquis est in secreto consistorio per Papam & Cardinales nominatus vel electus in Cardinalem, quòd ille pro Cardinali habetur & reputatur inter eos in omnibus. Quod cùm audivi, non credidi, nec credo ita esse, Et causa est, quia jura probant contrarium. Dicit

enim textus legis quòd si legaretur alicui Seio, si Consul factus fuerit, ut vivo testatore Consul designatus, id est, electus, extiterit, nisi vivo eodem testatore, Consul cùm ingressus fuerit; non habebit legatum. Non enim sufficit sola nominatio, designatio vel electio nisi vivo testatore per ingressum honoris fuerit actus perfectus & consummatus. *ff. de condit. & demonstr. l. Publius Mævius in principio*, Vbi est expressum. Vbi notat. Baldus quòd ad perfectionem alicujus honoris vel officij tria exiguntur, primò electio, secundò acceptatio, tertiò possessio seu ingressus: quorum si alterum desit, non meretur dici honorem aliquando vel officium adeptus. Et hæc ibi probantur. Similiter notat Dynus in beneficiis ecclesiasticis & feudis in quibus hæc tria requiruntur. De reg. jur. cap. Beneficium, lib. v I. Addunt Doctores & quartum, videlicet quòd requiritur juramenti præstatio. Nisi enim præstiterint juramentum solitum, sunt extrà mittendi, ut notatur in pace Constantiensi per Baldum notabiliter super verbo *Vassalli.* & 3. q. per eum disputata quæ incipit *Apulus Castrum progenitor.* Hic autem in casu nostro, etsi constet de electione vel nominatione, non tamen constat de acceptatione in vita Papæ, vel saltem non constat de publicatione in consistorio publico, nec de capelli rubei traditione, juramenti præstatione & aliis cerémoniis quæ in talibus notoriè fieri solent; & per consequens non meruit in vita Domini Martini nec pòst dici meretur Cardinalis per prædicta. Etiam dicunt canones de Archiepiscopo quòd non debet se Archiepiscopum nominare quousque receperit Pallium nec facere quæ archiepiscopali dignitati incumbunt, quia cum pallio recipit nomen Archiepiscopi. Notatur authenticè *De usu pallij in c. Nisi.* Item nec Episcopus ante consecrationem debet dici vel nominari Episcopus, nec priùs potest ea quæ Episcopo

incumbunt spiritualiter exercere. *De elect. Transmiss. & De præbend. c. De multa. per Innoc.* Nec ejus vacant beneficia ante consecrationem ipsam vel lapsum temporis ad eandem suscipiendam ordinatum. *De elect. Cùm in cunctis. §. Cùm verò.* Nec Imperator dici debet nec nominari nisi imperiales susceperit insulas. *Cod. De quadrien. præscript. l.* VI. *Bene à Zenone. in fi.* & quod ibi notatur per Cynum, Raym. & Albe. in dicta lege *Publius* per Baldum, & notatur *De jure jur.* Romani Principes. super verbo, Reges Romanos in Clem. per Ioh. And. & alios & idem Ioh. Andr. post... in spe. De rescriptis. §. fi. Et ideo quicquid sit de usu & observantia, istam credo juris veritatem.

Et ut finem verbis imponam, pro finali meorum scriptorum conclusione dicam quòd sanctissimo Domino Nostro Eugenio vero sumno universali Pontifici dirigam verba beato Ambrosio in Episcopum Mediolanensem electo ad ipsius confortationem per Valentinianum Imperatorem dicta: *Noli timere, quia & Deus, qui te elegit, semper te juvabit.* Et spero quòd Sereniſſimus Imperator, qui cum eodem esse præsentialiter asseritur, eidem pariter subjungendo verba quæ ibi sequuntur dicet, quæ sunt hæc: *Et ego adjutor & defensor tuus, ut meum ordinem decet, semper existam.* 63. di. *Valentinianus.* ad fi. Et alibi: *Justitia liberabit te.* Proverb. 10. Et etiam veritas, quæ apud Esdram vincit, ubi scriptum, *Veritas valet & invalescit & in æternum vivit & obtinet in secula seculorum.* Esdræ 10. Io. 8. di. 8. cap. *Consuetudo.* Spero enim firmiter in verbis quæ ipsa veritas Petro dixit Lucæ 22. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Et quamvis Petri navicula fluctuet, perire tamen non potest, prout non peribit duce Domino in æternum.

De materia autem quæ principaliter tractatur in sacro Basilienſi Concilio non tango, quia nescio puncta principalia super quibus dubitatur vel agitur. Dicun-

tur tamen multa quæ asseruntur fundari super constitutionibus & decretis Constantiensis Concilij, quæ facta fuerunt pro magna parte, ut fertur communiter, sede apostolica vacante. Si ita sit, nescio. Quæ sedes Dei gratia non vacat, sed plena est de præsenti. Et ideo si ita sit, videretur irreprehensibile judicandum si secundùm varietatem temporum statuta varientur humana. *De consang. & affinit. cap. Non debet. in princ. concord.* Item illi contra quos tunc processum fuit alia gravia valde non solùm commiserant, sed egerant longo tempore & commiserant contra Dei Ecclesiam. Quòd præfatus Dominus noster commiserit, absit ab eo, & iterum absit quòd scandalizaverit Ecclesiam, sicut illi scandalizaverunt & turbaverunt, quòd ita rigidè debeat contra eum procedi. Non enim fuit in sede sua pacificus per biennium. Et ideo altercatio videtur reformare pactum. *Codic. De transact.* Concordanter scripturæ. *Cod. De fur. l. Apud antiquos.* ut ibi notatur. Hoc dico solummodo; super quibus ampliùs clavum non laxo. Paratus sum tamen pro veritate certare, scribere, & laborare, si sim certus in facto. Super quibus &c. Salva semper determinatione dicti sacri Concilij. Quæ omnia submitto veritati & correctioni ac emendationi cujuscunque meliùs speculantis, protestationes in principio positas repetens.

Ex Aquis in provincia Provinciæ anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo tertio die XIII. mensis Augusti, pontificatus dicti Domini Nostri Eugenii quarti anno tertio.

Ego Iordanus Bricii Miles, utriusque juris minimus professor, consistorialis Advocatus, Provincia Iudex major, manu propria.

ITINERARIVM ADRIANI VI. AB HISPANIA ROMAM usque, ac ipsius pontificatus eventus, per Blasium Ortizium in Decretis Doctorem Canonicumque Toletanum ac generalem Vicarium summa fide collectum.

---

*ILLVSTRISSIMO AC REVE*rendissimo *Domino D. Ioanni Martino Siliceo Archiepiscopo Toletano Hispaniarumque Primati &c. Blasius Ortizius in Decretis Doctor, ejusdemque amplissimi Præsulis generalis Vicarius, necnon Canonicus Toletanus, perpetuam felicitatem.*

CVM animadvertissem, magne Præsul, Hispaniarum Primas, excellentiam personæ, dignitatem amplissimam, egregiam doctrinam, omnium virtutum merita in te splendere, perhorresce-

bam quidem tantillum opus tanti viri nomine nuncupare, propterea quòd audaciæ vel potiùs temeritati mihi tribuendum fore existimabam, cùm magna magnis ac parva parvis æqua proportione sint conferenda; ideoque per longum dierum curriculum opusculum hoc tibi dicare distuleram. At verò quamvis me tua amplissima dignitas deterreret, litterarum refertissima copia consterneret, tua tamen in omnes humanitas, eximia benignitas alliciebant, atque ad hoc sub tua protectione ponendum invitabant. Nam etsi opus sit exiguum, in se magna memorandaque facinora continet, nimirum gesta per Pontificem maximum Adrianum, maximum inquam scientia, moribus, & vita; in cujus pontificatu multa notatu digna contigerunt, quæ pro penuria mei ingenii ex multis collegi; quæ forsan neminem pigebit legisse, præcipuè te præstantissimo antistite aspirante. Iccirco, patrone dignissime, te deprecor atque exoro tuum ne deneges favorem. Quod quidem minimè ambigo, eo maximè quòd cùm clemens erga exteros undique prædiceris, non dubito quin erga tuos familiares te placidum benevolumque præbeas. Quorum ex numero, quamvis indignus, vices tuas gerens, in hac cancellaria & curia Toletana, te annuente, fui collocatus. Suffultus tamen auxilio divino, sub tua censura exactissimaque castigatione, ne longa præfatione sim molestè usus, rem ipsam adoriar.

INCIPIT

INCIPIT ITINERARIVM Adriani sexti Pontificis maximi per Blasium Ortizium in Decretis Doctorem Canonicumque Toletanum ac generalem Vicarium summa fide collectum.

SÆpenumero animo revolvi an mihi liceret manum admovere ad scribenda gesta aut potiùs itinerarium sactissimi Domini Nostri Papæ Adriani natione Flandri, quæ post assumptum in Hispania pontificatum non sine labore & maximo dispendio inivit. Certè haud parvæ causæ dissuadebant, quæ hanc provinciam meis viribus imparem propulsabant, nimirum imbecillitas ingenii, ac trivialis stylus & mihi satis inusitatus ad componendum epistolium, nedum ad rem tam gravem tamque sublimem, quæ sibi Ciceronis exposcit ubertatem, Hortensij vim, & Catonis gravitatem. Videbam insuper hujus ætatis homines nihil audire vel legere nisi expolitum & disertum, nec quicquam eorum animis inhærere nisi quod aures blandiori sono demulceat, non quod vulgare sit, & quod alioqui possit inducere voluptatem. Quapropter per longam diuturnitatem, & forsan tutiùs, silere decreveram. Sed impellebant maximè domestica familiaritas acceptaque beneficia, & præcipuè hujus Pontificis merita; si possem veritate comprimere obtrectantium linguas, qui perperam illius denigrare nomen famamque satagebant. Et adeo eorum malitia protensa est ut ausu nefario sepulchro sic scribere auderent. *Hic jacet impius inter pios.* Obstupescant fauces talia proloquentium, adhæreantque linguæ palato eorum, qui solùm vibrare linguas consueverunt animi sui cotibus exasperatas. Verùm habet hoc hominum perfidia, ut quos vel generis amplitudo vel

sui animi nobilitas conspicuos fecerit, non solùm non reddat clariores, prout sapientium est hominum laudanda laudare, sed diabolica sagacitate horum obtenebrare lucem conetur. Insuper antiqui hostis invidia, quos improborum actuum perpetratione (Deo illi resistente) dejicere non valet, opinionem illorum falsa ad præsens simulando dilacerat. Erat enim sanctissimus Pontifex vir clementissimus, extraque vulgi aleam positus, natura prudens, moribus temperatus, vita castus, humilis & affabilis, in prosperitate benevolus, omnifaria laude dignissimus, atque omnigena doctrina catholica refertus; quemadmodum opera ipsius demonstrant, & totus orbis proclamat. Quantus verò fuerit, ex ejus diversis studiis & elaboratis opusculis perfacilè lector prudens intelligere potest; qui cunctis suorum temporum ingenii acrimonia animique sapientia atque doctrina sana præstantior ac copiosior fuit. Quid dicam cùm singulis diebus vir religiosissimus sacra libaret? Multa quidem commemorare possem quæ ad rem pertinerent. Sed quonam temerario conatu præceps rapior, meæ tenuitatis oblitus? Sublimia illius laudis præconia sermonis inopia non tam attingere quàm attenuare nitar. At veniam mereor, ne beneficiorum judicer immemor. Quapropter etsi balbutiens, vera tamen describam (omissis temporibus peractæ jam provinciæ gubernationis Hispaniarum, ac inquisitionis generalis sanctissimi Papæ, ac ceterorum officiorum illi injunctorum; quæ omnibus jam pridem innotuerunt) sub invocatione divini favoris atque intemeratæ deiparæ virginis, ad quam humiles effundo preces, cum sinceritate & veritate rem ipsam aggrediens.

Vndecimo Calendas Februarii anni vigesimi secundi supra sesquimillesimum, cùm essem Lucronii in palatio Episcopi Calagurritani domini mei Ioannis Castellanos à Villalva, cujus vices, quamvis imme-

ritus, tunc agebam, quidam ejusdem urbis stabularius ad me veniens ait: Noveris, provisor, quendam cursorem hodie apud me divertisse, qui mihi occultò reseravit Dominum Adrianum Hispaniarum gubernatorem in Pontificem maximum electum fuisse; & hoc procul dubio scias. Quare hujusmodi prætextu ex te impetrare volo aliquod munus mihi ab Episcopo domino tuo postules. Quod ego tanquam incertum domino meo familiaribusque ejus aperui, parum de re tam inopinata curans, cùm tamen ille verum assereret. Nam cursor ille (ut compertum est) literas Domini Gerundensis Episcopi Romæ commorantis ad amicum datas deferebat; quibus continebatur reverendissimum Dominum Adrianum Cardinalem Dertusensem, Inquisitorem generalem, in Christi Vicarium unanimiter à sacro collegio creatum. Die verò ipso, ad solis occasum, nobilis vir Cæsaraugustanus Hieronymus Artal cum aliis equitibus modo excursoris superveniens eadem asserebat, nihil noni tamen perferens nisi ea quæ prædiximus. Et cùm nobilis hic electionem palam omnibus divulgasset, tota civitas præ gaudio repentè concitata suos nuntios ad deosculandos novi Pontificis pedes destinavit; qui propter nivium altitudinem, ut ex infrà dicendis apparebit, jussa civitatis explere non poterant. Interim verò totus clerus cum magna populi caterva in Ecclesias convenerunt, laudes Deo pro tanto beneficio exolventes. Deinde in noctis crepusculo rem gestam latiùs apertiùsque domino meo in lecto jacenti significavi; quem consului quid in hac re agendum videretur, quandoquidem eventus felicissimus in illius diœcesi prosperè successisset. Is ergo maturo consilio ad eum me mittere decrevit; dum ipse propter valetudinem id agere non posset. Qua de re ego ac nobilis ille Artal unà ire in civitatem Victoriam, ubi tunc noster residebat Pontifex, convenimus; egressique sumus ab

urbe Lucronii tertia vigilia noctis, montes de Vernedo versùs iter agentes; quos propter nivium copiam cùm transcendere non possemus, ad oppidum de Oion oportuit nos redire. Et accepto ductore per aliam viam iter nostrum prosequendo, in municipium sancti Vincentii de Navarra, à Lucronio quinque sejunctum leucis, pervenimus. Deinde in oppidum de *la Puebla* prope noctem accedentes, refectione sumpta, continuò exivimus, itineris niviſque vastitatem prosequentes. Nobilis ille cum comitatu à me discedens, totam noctem laborans sub dio, inter nives non sine magno discrimine vitæ permansit. Ego autem post fatigationem acerrimam felicissimo casu per invia quasi cœcus per incerta fovendo exhortandoque pueros, de quorum vita formidabam, maximè cùm ex eis quidam instanter precaretur ut eum mori sinerem, in oppidum tandem nomine Arinis perveni. Sequenti verò vigesima quarta Ianuarii in optatam urbem Victoriam appulimus. Sed quia hæc ad rem propositam non attinent, sat est obiter tetigisse, ut ad gesta Pontificis describenda properemus.

I. *DE REVOCATIONE indultorum & expectativarum.*

QVum almus noster Papa materiam indultorum & reservationum expectativarumque exosam, ut sacrorum gnarus canonum, haberet, uti talem decebat virum, cùm similes expectationes abhorreant jura, hac die mentaliter Cardinalium indulta revocavit; cujus revocationis publicationem matura consideratione in urbem distulit. Quod primum memorabile post notitiam electionis fecerat. Ob hæc & cetera hujusmodi, ut suis locis referemus, malevolentiam in Christi vicarium curiales conceperunt. Hinc annotari potest quanta fuerit vis consuetudinis. Nam

humanæ naturæ est ea quæ in usu non sunt, etsi recta & justa sint, abhorrere, & consueta magna custodia diligere. Et provinciales semper magni faciunt consuetudines sibi servari. Nam quid justius, sanctius, & honestius quàm jura custodiri? quæ vir sanctus pro viribus nitebatur defendere; curiales verò suo abusui inhærentes, quasi novam rem execrabantur; ut forsan propriùs suo loco deducetur.

Die verò vigesima quinta ejusdem mensis, illo amoris ardore videndi Pontificem affectus, sacrum palatium sanctitatis Domini nostri Papæ pedes deosculaturus petivi. Et casus prosperè post fortunam niviumque periculum successit. Nam cùm beatissimo patri & consiliariis sanctæ & generalis inquisitionis constaret me urbem illam adiisse, volentibusque à me tunc Inquisitore Calagurritano de re certa informari, facilè aditus mihi patuit, qui vix aliis concedebatur. Pedes sacros tunc procidens deosculatus sum; ac quibus potui verbis legationem Episcopi domini mei animique lætitiam, quam ex re gesta susceperit, Pontifici indicavi. Qui vultu præclaro dulciter se offerens, gratias egit domino meo propter curam visitationis, mihique nuntio ob laborem; præcepitque ut rem præfatam inquisitionis exponerem. Et ante exordium narrationis, tanta erat humilitas sanctissimi viri, ut consiliarios meque tantillum hominem, etsi cum debita reverentia excusaremur, nullum verbum sua bonitate & clementia, oblitus se Pontificem maximum, audire voluit donec gradatim consederemus; ibique coram tanta majestate, Deo opitulante, à primordio causam exorsus sum. Qua finita, egressisque consiliariis, data opportunitate instantiùs supplicavi me inter suos familiares annumerare vellet. Quod quidem distulit, affirmans se nullos alumnos antè quàm literas à collegio Cardinalium recepisset accepturum. Ego verò perpendens justam excusationem, & ne

tanto Pontifici molestus viderer, habita copia in hospitium redii, & quamprimùm potui ad rationem reddendam domino meo reversus sum: qui, etsi oppressus morbo, laudes tamen omnipotenti Deo exolvit, magnam concipiens lætitiam propterea quòd in sua diœcesi tantum decus & gloria Hispaniarum contigisset.

Et quamvis per aliquot dies de Pontificis electione ambigeretur, quòd diù certus nuntius rei tam celebris moraretur, adest dies lætitiæ nona Februarii, quâ vir nobilis quidam Hispanus ex Pincia Antonius à Studillo reverendissimi Domini Cardinalis sanctæ crucis à Carvajal Camerarius breve sacræ electionis detulit: qui satis expectatus propter ingentes nives, quales forsan multis retro annis non contigerant, portus transcendere nequiit. Cujus quidem adventu civitas illa meritò appellata Victoria præ gaudio cum tota provincia, & post dies aliquot magna pars Hispaniarum, concitatur, undique veniens tantum visura Pontificem, deosculaturaque pedes; & in tanto numero plures hinc inde non secùs quàm apes ad alvearium, alii ad benedictionem, alii ad novum spectaculum, nonnulli verò ad propria negotia confluebant. Ego verò dum primùm præfati Camerarii adventum cognovissem, concessa facultate à domino meo, gratia familiaritatis impetrandæ citiùs felicem Victoriam adii. Et interim Pontifex almus hospitium mutaverat: qui cùm primùm in domo Ioannis à Bilbao hospitaretur, in cœnobium divi Franciſci pro tempore mansionem elegit. Et tanta erat confluentium copia ut pro importunitate vitandâ difficiliùs pateret aditus. Quod ipse læto animo amplectebatur, aut naturam patriæ imitando, aut propriæ inhærendo. Fugiebat nempe negotia, deditus secretioribus silentiis: ad quem nisi Prælatis vel magnatibus præclusa erat via, & in dies claudeba-

tur magis propter crebras in recipiendis famulis moleſtias, quas ægrè ferebat. In negotiis autem gubernationis regnorum & ſanctæ inquiſitionis morem non mutavit. Immo conſiliis aſſiſtebat, negotiaque ſuo marte expediebat. Cùm autem conſideraſſem quanta difficultate admittebat familiares, veritus ſum palam eum alloqui. Attamen cùm opus eſſet mei teſtimonium dare, quandoquidem hujus cauſa illuc perveniſſem, honeſtiori modo propoſitum aperui, licèt cum anxietate & rubore, quia multorum repulſam intellexiſſem. Verùm clementiſſimus pater volens mihi bene facere, ut cuncti noverunt, me grato animo in ſuum Capellanum accepit.

II. *DE ACCEPTATIONE Pontificatus.*

HActenus beatiſſimus Dominus noſter, cùm eſſet timoratæ conſcientiæ, formidans tantum onus, non decreverat illud ſubire. Tandem maturo conſilio, ut imminentia pericula evitaret, quarto decimo Calendas Mart. Miſſa ex more celebrata, pontificatum acceptare deſtinavit. Et quia naturæ ſuæ propenſione negotia ipſi peragenda potiùs ſecretò quàm palam conabatur facere, tres tantùm ex multis ad actum celebre hujus acceptationis, ſcilicet magnificum Doctorem de Agreda & me indignum Doctorem Blaſium Ortiz ab ſanctiſſimo eodem patre poſtmodum Toletanos Canonicos creatos, & ſecretarium conſilii generalis inquiſitionis Aragoniæ Ioannem Garſiam, virum ſatis egregium, elegit; juſſitque intrare in cameram interiorem, præcipiens oſtiariis ut neminem neque domeſticum neque externum ſinerent ad ſe ingredi. Vnde nos tanta novitate perterriti expectabamus, nos ad

invicem conſpicientes. Cùm autem ſummus Pontifex in loco ſecretiori eſſet, hæc verba fatus eſt. Iamdudum intellexiſtis electionem à ſacro collegio de me factam; cujus teſtimonium attulit Camerarius reverendiſſimi Cardinalis à Carvajal; cujus quidem acceptationem hactenus diſtuli, timens muneris tanti onus ſuſtinere: quamvis non me lateat nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & hominibus acceptabilius Epiſcopi officio, & præcipuè Papæ, ſi obiter & ut hominibus tantum arrideat atque adulatoriè res agat. Sed nihil eſt quod periculoſiùs homines ſuſcipere debuiſſent, ſi arctiſſimam Deo reddendam rationem præ oculis mentis haberent, ſi non eo modo militetur quo noſter imperator Chriſtus præcipit. Sed quia ſuſpicor ex repudiatione graviora diſcrimina univerſali Eccleſiæ imminere, ideo divino auxilio ſuffultus munus hoc ſacroſanctum vobis præſentibus aſſumere ſtatuo. Et quia ad hanc dignitatem ſua inſcrutabili præſcientia me vocare dignatus eſt, ſpero illius gratia me idoneum miniſtrum evaſurum. Atque hujus acceptationis peto à præſenti Notario fidem; voſque teſtes rogatos volo, injungens vobis nemini rem geſtam dixeritis. Et licèt videat in meam commendationem præfata ſcripſiſſe, Deus eſt mihi teſtis quòd non mentior, nobis præſentibus duntaxat acceptaſſe pontificatum. Quæ delectio ſeu teſtimonium non parum extulit nos propter bonam fiduciam ac opinionem quam erga nos beatiſſimus Dominus Noſter conceperat. O felix Victoria tanto & tali Chriſti vicario illuſtrata, &, ut ſic loquar, benignitate & bonitate plena. Tuæ provinciæ primas gaude. Poſtmodùm verò cum domeſticis antiquis aliquot dies tamquam familiaris ſum verſatus.

III. *DE PRÆPARATIONE itineris & bellica expeditione.*

INterea vero cùm forsan à portatore brevis sacræ electionis simultates Italicas tyrannosque quosdam usurpasse nonnulla Ecclesiæ municipia nosser Pontifex intelligeret, naves parat ducesque nominat, exercitum colligit, quorum generalem creat Dominum Comitem Ferdinandum de Andrada. Et Dominus Inicus de Velasco Comestabilis & Dominus Federicus Castellæ Amiras ejusdem Pontificis in gubernatione Hispaniarum collegæ, Imperatoris nomine obtulerunt ei quatuor triremes, quarum Capitaneus erat Dominus Ioannes à Velasco. Qui cùm, ut suspicor, intellexisset beatissimum Papam constituisse generalem ducem exercitus & navium prædictum Comitem, eumque sibi prætulisse, ne sub ejus imperio militaret, renuit cum illo ire; sed non propterea cessarunt abire triremes. Parat etiam supellectilem & omnia ad iter necessaria. Tandem peractis omnibus, quarto Idus Martii ejusdem anni ab urbe Victoria egreditur satis numerosa stipatus caterva. Nempe aderant gubernatores & multi magnates & nobiles; quamvis Dominus Amiras, tum propter debilitatem, quia gracilis & æger, tum etiam quia nuper expugnaverant Galli oppidum Fuenterrabia, & cùm hostes essent ad limina, ne omnes gubernatores partes illas desererent, statim ad stationem reversus est. Comestabilis autem cum ceteris magnatibus & turba magnificè est comitatus beatissimum Papam in oppidum de *la Puebla*; ubi eò quòd esset dominus oppidi, honorem quem potuit tanto Pontifici nixus est exhibere. Die sequenti in villam de *la Roina*, ubi erat palatium celebre impensis Domini Ioannis à Ve-

lasco quondam Episcopi Calagurritani extructum, pervenit, ibique illa nocte requievit. Pridie Idus ejusdem mensis hinc discedens, in urbem divi Dominici, ejus sepulchrum sacrosanctum videndi avidus, cum magna pompa & solenni fuit ingressus. quæ quidem civitas caput est provinciæ appellatæ Rioia, nequaquam minima tanto decorata divo & defensore Dominico, necnon cathedrali Ecclesia ad invicem Calagurritanæ unita, vulgataque ubique terrarum propter gallum & gallinam. de qua ob ejus ubertatem dicit ad agium : *Si Castella esset vaca &c.* etsi hoc ad agium in nostra Carpetania multis sit ignotum. In hac urbe permansit duobus vel tribus diebus. Interim magister Ioannes de Oria à fratribus Dominicis incusatus super certis propositionibus quas ipse defensare pollicebatur in concione publica, sed ob temporis angustiam in futurum terminandas beatissimus pater, ut suo loco assignabimus, reservavit. In urbem hanc Dux de Naiara venit deosculaturus beatificos pedes ; cui Comestabilis, extra civitatem egrediens, magna nobilitatis caterva occurrit. Et ambo alacres mutuò colloquentes, quamvis in locis illis fuerint capita factionum Ognezinorum & Gamboinorum, semen antiqui serpentes, civitatem ipsam læti intravere. Deinde postquam ea reverentia qua debuit magnus ille Dux affatus fuerat sanctissimum Dominum, precatus est ut urbem suam de Naiara territoriumque visitare ac benedicere dignaretur. Et licèt ob aëris intemperiem, qui, ut ferebatur, civitatem illam infestabat, alia via Lucronium adire decreverat, devictus tamen Ducis deprecatione, quoniam instantissimè eum exoraverat, in urbem illam munitissimam situ maris & castris cum suo comitatu conscendit ; in qua obsonia sanctissimo Pontifici ejusque comitibus jussu Ducis fuerant satis lautè parata.

Vna tamen nocte Naiaræ moratus, die sequenti valde mane Lucronium versùs proficiscitur. Et quamvis transiret juxta mœnia loci de Navarret, illum intrare renuit, hac forsan de causa quia ibi in arce propter seditiones communitatum Zamorensis Episcopus detineretur. Etsi à multis flagitatus, noluit ipsum videre, contentus visitatione suo nomine facta per dilectum suum Doctorem de Agreda protomedicum.

IV. *DE HONORIFICA receptione à Lucronensibus habita in Pontificis adventu.*

HOra autem nona ante meridiem Lucronium pervenit sejunctum parva intercapedine à Navarret. Vrbs ipsa est amœna, intus & extra habens arbusta & vineta pulcherrima terramque feracissimam; quam percelebris Iberus alluit, & radices utriusque Cantabriæ veteris desertæ atque dirutæ, olim capitis provinciæ Cantabrorum, & novæ, quæ appellatur Lucronium; quæ cùm antea Pontificis adventum præsciviſſet, multa ad ejus occursum paraverat sub hujusmodi forma, ordinans quidem pedites habitu & arte militari compositos numero sexcentos, necnon equites levis armaturæ triginta aut quadraginta, qui suo more per gyros huc atque illuc vertentes currebant. Pedites verò bellico ordine suis sclopetris (ut verbo utamur novo Antonii Nebrisensis in capite septimo de deditione Zamoræ Regi Ferdinando in ejus chronicorum libro quarto) plumbeos globulos jacientes, strepitum ingentem faciebant. Hos sequuti sunt clerus & populus solenni pompa. Et cùm Papa ex itinere atque calore defatigaretur, hujus processionis ordinem prosequi, ne diù moraretur, noluit; sed

adorato crucis vexillo transiens, proceres urbis & turbam præcessit. Tandem cùm propiùs civitatem accederet, aderant strenui cantores in fornicibus arboreis ad exemplar antiquorum, tantum adventum celebrantes. Deinde cùm magis appropinquaret, erant multa tormenta bellica, bombardæ, colubrinæ, serpentinæ, aliæquæ sulphurariæ machinæ ignivomæ tam ex urbe quàm ex Gallis paulò antè, cum civitatem illam obsediſſent, captæ, quarum tonitribus terra undique resonabat non aliter quàm si fulmina ex cælo caderent. Cùm verò portis instaret, tanta erat hominum turba ut nec muri nec campi eam capere possent, ut vix Pontifici maximo aditus pateret. Nec mirum, quoniam ad spectaculum novum ex Navarra & Celtiberia aliisque diversis locis convenerant. Et cùm jam, licèt difficilè, introiret, quia multitudo in eum irruebat pedes ejus deosculatura, per viam tapetibus & aliis pannis pretiosis magnificè ornatam usque ad hospitium reverendi patris Roderici de Cabredo sui hospitis pervenit. Et quamvis subtili ingenio alii fornices exstebant quibus comœdia tanto viro digna declamatoriè repræsentabatur, tamen ipse obtusis auribus pertransiens, in palatium honorificè receptus est; ibique duos aut tres dies demoranti decuriones splendidè victum necnon familiæ necessaria exhibuere. Hinc in oppidum de Alcanadre profectus, ibidem pernoctavit. Die proxima, hora nonâ, in antiquam urbem Calagurrium receptus solenniter cum mimis & larvis aliisque hujusmodi ludis, jocundè comitatus in Ecclesiam cathedralem, ubi beatorum Emeterii & Celedonii corpora requiescunt, & postmodum in domum venerabilis Archidiaconi Calagurritani pervenit. Et admodum reverendi Decanus & Capitulum ipsius almæ Ecclesiæ in recognitionem dominii duas aut tres mulas egregiè phale-

ratas Pontifici sunt elargiti, intellecta apostolicæ cameræ indigentia, quæ, ut inferiùs dicetur, expoliata suis pretiosis pignoribus, quasi deserta permansit, aliaque cumulatiora munera præstituri si valuissent subvenire tantæ necessitati. tamen pro itineris subsidio libentissimo animo illa parva dona contulere: quæ non ut parva, sed ut magna, accepta sunt à beatissimo Domino Nostro potiùs qualitatem quàm quantitatem considerante. Prope mœnia hujus urbis Iber præterfluens, ad partem orientalem pertransit. Ex parte australi rivulus quidam illi magis accommodus eam abluit riganſque segetes & prata. Vna tamen die sanctissimus Pontifex mansit in hac civitate; ex qua profectus contulit se altera die in municipium belligerum de Alpharo & loci situ & hominum structura munitissimum; quod etsi circumvallatum oppidis & villis regni Navarræ, tamquam signiferum Regis Castellæ permansit; ubi fronte hilari tormentis ignivomis aliisque signis lætitiæ lætanter exceptus est. Et hinc Dux de Najara, qui Pontificem comitatus fuerat, tibicinibus dimissis in Pontificis ministerium ad propria rediit. Noster tamen Pontifex iter prosequens in Tudelam civitatem Navarræ, juxta quam idem Iber decurrit, susceptus est non minore lætitia & solennitate quàm alibi. Ibique Decanus Tudelensis hospes Pontificis sumptus magnificos præ ceteris exhibuit. Hem Tudelam miseram, quondam pulchriorem ceteris Navarræ urbibus, factam deformem, postquam jussu magnificentissimi ac illustrissimi Cardinalis Domini Francisci Ximenez Archipræsulis Toletani & Hispaniarum gubernatoris muri diruti sunt, arxque corruit; ut meritò de illa dici possit: Quanta qualisque fuerit, ipsa ruina docet. Gemebant enim incolæ prospicientes deformitatem, qui antea viderant percelebrem & illustrem. Quam tamen Iberi impetus

lætificat, quæ terram lætam arboribus continet vinetisque cultam. Huc Prorex Navarræ Comes de Miranda cum multis proceribus ad deosculandos pedes sacros Pontificis, eadem die Pampilonam reversurus, advenit. Et cùm Tudelæ Christi vicarius duobus recreatus esset diebus, propositum iter non intermittens, in oppidum de Mallem devenit. Die sequenti in villam de Pedrola Domini Comitis de Ribagorsa abiit; ubi comiter exceptus est. Ac fortè cum Comitis conjux nuper filiam peperisset, humanissimus Pontifex in sacro fonte illam abluit, Adrianamque illi nomen imposuit; & tam prætexti adventus novi quàm gratia natæ filiæ celebrata sunt festa plurima, & Mauri chorizantes exhilarave Pontificem. Die verò sequenti nostro almo auriga Cæsarauguſtam versùs proficiscenti novem milibus Vicerex Aragonum cum suo satellitio & tibicinibus insigniisque regalibus occurrens, multis militibus associatus, pedes sacros deosculatum advenit. A quo loco in Cæsarauguſtam usque gregatim hinc inde visuri Pontificem homines confluebant, cùm re ac cognomine maximus esset; adeoque iter totum occupatum erat populo ut nihil aliud quàm hominum offendiculum haberes. Et jam prope meridiem quarto Calendas Aprilis, æstuante calore, in palatium extra muros civitatis, vulgò Adiaferia appellatum, mirificè ornatum, divertit.

V. *DE CELEBRI INGRESSV Pontificis in urbem Cæsarauguſtam.*

POst aliquot dies hoc ordine beatissimus pater ingressus est urbem. Comites & aliqui nobiles cultu & cæstibus expoliti, quos potiùs principes quàm magnates judicares, sanctissimum patrem in sua pontificali sede deferebant. Hos præcedebat

clerus & populus cum crucis vexillo ; quem ordo equeſter cum nobilibus regni poſtmodum ſequebatur; & tanta erat turba huc & illuc divagata ut non liceret ultra neque citra moveri ; atque non parvo labore potuit arceri, quia omnes volebant tangere pedes ſanctiſſimi patris. Nec admirandum ſanè, cùm ad hoc ex diverſis locis conveniſſent. Denique vix teſtudineo, quod aiunt, gradu ingreſſi ſunt urbem; ubi gravior labor & preſſura, quia viæ ſtrictæ non ſinebant nos præ multitudine incedere. Tandem longa gravique preſſura in baſilicam Cæſarauguſtanam ingreſſus, facta oratione, abſque mora ad Archipræſulis palatium divertit, ut tantam fugeret turbam ; eademque elabente die reverſus, ad ſuum percelebre hoſpitium ſe contulit.

VI. *DE BENEDICTIONE ſolenni palmarum per Pontificem facta.*

DOminica verò quæ dicitur in ramis palmarum, ut morem Eccleſiæ paſtor univerſalis obſervaret, intra palatium ſolenniter, ut Romæ fieri ſolet, cum pompa ramos benedicere ſtatuit, diſtribuereque adſtantibus. Et per ſecretiora loca paucis comitantibus ad benedicendum populum in eminentiorem partem palatii aſcendit. Aderat enim tanta hominum copia munus ſuſceptura ut magis admirandam quàm numerandam eſſe cenſuerim. Mea quidem opinione plures conveniſſe quàm Romæ crediderim. Quod contingere ideo potuit quia omne rarum pretioſius eſt. Natura enim ſumus novitatum cupidi, cùm ipſa ſemper aſſueverit novas edere formas. Et quia Romæ frequentiùs ſimiles fiunt benedictiones, facilè eas urbani contemnunt. Feria ſecunda majoris hebdomadæ, majoris inquam, quia in ea majora chariſmata celebrantur, ſcilicet

institutio dominici corporis, ac passio salutis & redemptionis nostræ, ex qua sacramenta fluxere, religiosissimus piissimusque pater, ut opere & exemplo oves suas instrueret, in monasterium sanctæ Engratiæ ordinis divi Hieronymi secessit, abstinens à negotiis; quæ licèt expediri oporteat, his tamen diebus usque in octavam resurrectionis secundùm juris dispositionem decet abeis conquiescere; cujus non ignarus Pontifex, ut liberiùs divinis vacaret, ad octavum Cal. Maij ibi permansit.

VII. *DE PROMVLGATIONE regularum Cancellariæ ac creatione officialium.*

PRima verò die Maii regulas Cancellariæ à se noviter editas in metropolitana Ecclesia publicè & solenniter promulgari jussit; per quas omnes reservationes & expectativæ, ut in ipsis continetur, revocabantur; atque à die illa negotia undecunque sub anulo (quamvis ab aliquibus esset dubitatum utrum Papa ante coronationem facere posset) expediebantur. Quod jure ambigeretur, nisi extravagans Clementis quinti postmodum emanasset, quæ omnia per electum Pontificem absque coronatione geri disposuit. Et ne ab aliquibus dubitetur, dignum duxi huic opusculo eam inserere; cujus verba sunt. *Quia nonnulli, prout accepimus, contra doctrinam Apostoli, suæ prudentiæ quin potiùs imprudentiæ innitentes, ac disceptare super his quæ non expediunt eis satagentes, asserere non verentur quòd summus Pontifex ante suæ coronationis insignia se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispensationibns, & aliis gratiis faciendis, nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti bnlla in qua nomen etiam exprimatur ipsius, nos talium*

Extant etiam apud Odor. Raynald. an. 1307. §. 27. & lib. 5. Extravag. cōm. tit. 10.

lium temeritates compeſcere cupientes, ſingulos qui occaſione hujuſmodi aliquas literas noſtras ſuper negotiis quibuſcunque confectas, quæ à nobis ante coronationis noſtræ inſignia emanarunt, auſi fuerint impugnare, excommunicationis ſententia innodamus. Datum apud Peſſacum Burdegalenſis dioceſis anno ſecundo. Et cùm ita cautum eſſet ut cauſæ confluentium ad curiam citiùs expediri poſſent, Dominus Noſter ſupplicationibus examinandis ac negotiis agendis quator duntaxat, reverendiſſimum in quam Dominum Ioannem à Tavora tunc Civitatenſem Epiſcopum integerrimum patrem, qui poſtmodum Archiepiſcopus Compoſtellanus creatus eſt atque conſilii imperialis præſes, necnon tituli ſancti Ioannis ante portam Latinam Cardinalis bene meritus, poſtremò verò Toletanus Archipræſul ac Primas digniſſimus, & Hiſpaniarum gubernator, Inquiſitorque generalis, ac poſt hunc Coldeſança Doctorem dudum in Dertuſenſi epiſcopatu ipſius Pontificis vicarium, doctum & in ſtylo curiæ ſatis expertum, necnon Didacum de Paternina Canonicum & Abbatem ſactæ Piæ in Eccleſia collegiata civitatis Victoriæ, & me indignum Doctorem Blaſium Ortiz in rebus illis parum expertum præfecit. Qui ſingulis diebus ad videndas ſupplicationes juſſu Pontificis conveniebamus, cum eo communicaturi quæ nobis viderentur concedenda aut deneganda. Huic quadrumviratui additus fuit præſcripto ſanctiſſimi Patris Auditor Cameræ ſuperveniens, homo egregius & in rebus curiæ conſpicuus. Deſignavit præterea Datarium Magiſtrum Theodoricum ipſius ſecretarium, virum timoratæ conſcientiæ, qui benigna quadam & dulci converſatione ſtudioſus virtutis omnes confovebat. Regeſto verò Petrum de Roma Flandrum, intractabilem & inexorabilem hominem; cujus intuitu expeditiones gratiarum, ſi difficilè à Pontifice, difficiliùs ab eo impetrabantur. Tantæ verò

difficultatis eam causam potiorem esse conjicio quòd prudentissimus pater sancto zelo largas & facilesgratias Leonis feli. re. sui prædecessoris non approbaverat, qui sua largitate omnibus petentibus se liberalem exhibebat. Et ista expeditionis acerbitas ab exordio pontificatus adeo in dies crevit ut usque ad obitum Pontificis perduraverit.

VIII. *DE NVMERO PRÆSVLVM ac illustrium, virorum Pontificem comitantium.*

IN hanc itaque inclitam urbem Cæsaraugustam tam Prælatorum quàm illustrium & nobilium virorum copia magna convenerat; quos ne sub silentio prætream, obiter recensere conabor. Et quia jure ac ratione ecclesiastici sunt præponendi, potissimùm in pontificia curia, ideo in ordine Prælatos prætuli. Quorum primus erat illustrissimus ac piissimus Dominus D. Alphonsus à Fonseca Archiepiscopus Compostellanus, postea Hispaniarum Primas creatus: qui jussu Pontificis de prudentia ejus ac maturitate confisi Valentiam urbem pacandam suscepit, quæ in Cæsarem ob tumultus communitatum rebellaverat; quam tamen ad ipsius obedientiam reducere nequivit. Causas verò, quia extra propositum argumenti sunt, aliis scriptoribus relinquamus. Aderat etiam reverendissimus ac perquam illustris Dominus Archiepiscopus Rosanus Dominus Ioannes à Fonseca Burgensis, Prælatus maturo consilio notabilis. Vterque ex celebratissima prosapia Fonsecorum oriundi erant. Intererat insuper Archiepiscopus Cæsaraugustanus, ex regali propagatione originem trahens; atque Archiepiscopus Montisregalis, ex familia inclita Ducis de Cardona, etiam ex stirpe regia oriundus. Et Dominus Didacus Ramirez de Arellano Episcopus Con-

chensis, vir literatura singulari, &, ut fertur, generositate præcipuus, ex clara progenie Dominorum de Arellano. Necnon Dominus Federicus de Portugal Episcopus Seguntinus, strenuus prudentia, & nobilitate præclarus, qui etiam à Regum prosapia ducebat genus. Atque Episcopus Lucensis, ad præsens in conventu juridico Granatensi ob merita & literarum peritiam præses. Ac Dominus Didacus de Ribera Præsul Segoviensis, ex familia insigni atque illustri Dominorum de Silva Toletanus. Aderat præterea Dominus frater Franciscus Ruiz Abulensis Episcopus ordinis Minorum, Toletique ortus, omni virtute & venustate plenus. Adfuit etiam Episcopus de Pati, satis nobilis vir; necnon Episcopus Ilerdensis, literis & experientia præcipuus; atque Oscensis Episcopus, ex familia Dominorum de Vrrias; ac Dominus Episcopus Scalensis Canonicus & Archidiaconus Hispalensis, in dictando & loquendo æquè Carpetanam ac Latinam linguam satis elegans. Et perquam magnificus Dominus Garsias Loaysa in sacra pagina Magister laureatus, ordinis Prædicatorum Generalis, & consiliis sacrosanctæ inquisitionis præfectus, ex insigni genealogia, ut cognomen ejus indicat, temporis successu Episcopus Exomensis, atque Imperatoris conscientiæ scrutator ac auditor, postmodum verò ad Ecclesiam Seguntinam promotus, adeptus cardinalatus apicem, tractu temporum Hispalensem obtinuit sedem, Inquisitorisque generalis officium, cum omnibus consiliariis & ministris sancti officii inquisitionis; cujus consultores tunc aderant, videlicet Doctor Manso, qui postea Episcopus Pacensis, & deinde Exomensis Præsul, ac regiæ cancellariæ Pintianæ præses, & Licentiatus Maçuecos Canonicus Toletanus, & Licentiatus Polancus, & Dominus Licentiatus de Aguirre; quorum noviſſimi duo erant etiam senatus Imperatoris consiliarii, qui tam

nobilitate quàm literis hos dignitatis gradus optimè meruerunt. Huc etiam jussu Pontificis Dominus Magister Gaspar de Avalos, ex antiquo & claro genere illustris familiæ de Avalos, Carthaginensis Canonicus, postmodum Guadixensis Episcopus, deinde Granatensis, demum Compostellanus Archipræsul creatus, tituloque cardineo decoratus, accersitus advenit; quem propter eminentiam literarum propriaque merita secum ducere cupiebat (quod rarò aut numquam fecerat) noster Pontifex. Ille tamen justis ex causis, honestiori modo submittens se ordinationi Papæ, excusatus ad propria redire decreverat. Adfuit Dominus Licentiatus Franciscus de Herrera Canonicus Toletanus ac in basilica Toletana regiorum sacellanorum præfectus, qui deinde fuit Archiepiscopus Granatensis ac conventus juridici præses. Et Dominus Rodericus de Mendoça, filius Comitis de Castro, postmodum Decanus creatus Toletanus, & Salmaticensis Episcopus. Aderant præterea ex ordine equestri multi illustres viri, videlicet prædictus Dominus Amiras Castella, qui licèt statura pusillus, virtute ac strenuitate præclarus, ac Marchio de Villena magna suorum consanguineorum & familiæ vallatus caterva, atque Dux de Luna, & filius ejus Comes de Ribagorsa, necnon Comes de Sastago, & Comes de Belchite; & Dominus Ferdinandus de Sylva Toletanus, capitaneus custodiæ Pontificis, Commendatarius de Hotos & de Guadalherca ordinis sancti Benedicti nominati de Calatrava, quam Orerum antiqui dixere. Et ejus nepos filius Domini Ioannis de Ribera Marchionis de Montemaior; ac Blasius Cavallero re & nomine splendidus Eques, Canonicus Toletanus; & Ioannes de Roias ejusdem Ecclesiæ Canonicus, ex nobili prosapia & fæcunda de Roias. Necnon Ioannes à Hurtado consobrinus Domini Roderici Tenorio Canonici Toletani; cum multis nobi-

libus utriusque Hispaniæ, nomina quorum, ne prolixitate displiceam, sub silentio prætereo. In hanc præclaram urbem se contulit perquam illustris ac reverendissimus Dominus Cardinalis Cæsarinus vices sacri collegii gerens, de quo inferiùs habendus est sermo, & quidam Episcopus Vngariæ regni valde doctus; cujus diœcesis cùm invaderetur à Turcis, velut pastor sine grege abactus, ad Pontificem supplex confugit; cui præfatus Dominus Episcopus Conchensis hospitium & victum magnificè tribuebat, tum propter indigentiam illius ac dignitatem, tum etiam propter cladem & excidium quod passus est. Quis enim ejus non misereretur, qui ex divite pauper, ex incola exul errabat, cùm inter omnes adversitates infeliciſſimum infortunii genus sit fuisse felicem; præsertim cùm fuerit senex probus & eruditus. Et cùm pacificus noster Papa vellet omnia inter Reges Christianos pacare bella & seditiones, quas frequentes ebullire videbat, hunc probum virum Vngariæ Episcopum in Franciam, Angliam, & alias regiones ad pacem componendam misit; frustra tamen, cùm nullus inde effectus concordiæ manaret. Huic bene merito Episcopo viaticum & alia dona tribuit magnificentissimus Præsul Conchensis, qui omnibus affluenter munera conferebat. Ceterùm, ut ad institutum redeam, tanta hominum varietas occurrebat ad videndum Pontificem & ad negotia expedienda ut nemo prorsùs explicare posset. Ideo, ne infensus lectoribus judicer, his supersedendum censeo. Et quamvis negotia instarent ac temporis angustia ad iter agendum urgeret, non immemor fuit claviger fidei earum propositionum quarum accusabatur Ioannes de Oria. Assignata itaque die, Pontifice nostro pro tribunali sedente & libram, quod aiunt, & pensum in utraque manu ferente, astantibus multis viris theologica laurea decoratis, proponuntur conclusiones

in quibus Magister ille de Oria, ut intelligere potui, cùm expeditior abeo expectaretur defensio, in publica disputatione succubuit. In qua magna & illustria de nostro doctissimo Pontifice dicta sunt præconia, & meritò; quoniam qui honore præstantior erat, alios scientia præcellere debuit; quemadmodum turpe esset quempiam imperare qui in omni genere virtutis subditos suos non antecelleret. Et quia discussio dictarum propositionum palam in sacro palatio fuit habita, non opus est singula quæque referre, cùm se res ipsa indicaverit. Hoc ultimum memoria dignum Cæsaraugustæ peractum est, licèt multa alia digna contigerint quæ perlongum esset ac fastidiosum perscribere.

IX. *DE DISCESSV A Cæsarauguſta Dertuſam versùs.*

AB hac illustri & amœna urbe, quam prædictus Iber præterfluit, tertio Idus Iunii ejusdem anni sanctissimus noster Pontifex magna stipatus turba Dertusam versùs progreditur. Et quia interjacentes vici erant parvi & virorum copia magna, diversis itineribus in illam concedere coacti sumus. Et hac die in oppidum de Pinna sex luceis à Cæsarauguſta sejunctum devenimus; ubi illius dominus Comes de Sastago esculenta & poculenta copiosè omnibus sine discrimine donavit illac iter agentibus. Die proximo per villas ignobiles in oppida de Caspi & Favera beatissimus pater se conferens, sequenti die per alia parva loca obiter transeundo per partes clivosas, non parvo labore vigilia sacratissimi corporis Christi ad Dertusensem civitatem appulit, quam alluit prædictus amnis; in eamque per ligneum pontem ingressi sumus. Hic primùm humanitatis morumque difficilium experti sumus, cùm in Castella mitissimè, in

Aragonia piè tractaremur. Hospitatusque est Pontifex in episcopali palatio. Die verò sacratissimi corporis Christi summus Christi vicarius ipsum corpus Christi, Prælatis comitantibus, cum multis deauratis equitibus innumeraque caterva, quasi alter David religiosissimè cum spirituali gaudio suis manibus deferebat; expletaque solennitate, ingenti comitatu ad palatium est reversus. Hæc autem civitas etsi aliquo modo videretur in lætitiam concitata felici tanti pastoris adventu, non tamen eo modo quo in regnis Castellæ & Aragoniæ susceptus sumus. Aliter enim victitant Catalani, quorum mores multùm differunt à nostris. Ductor verò noster vigilanter agens, tam in negotiis expediendis quàm in classe paranda operam navabat. Et cùm navigationis tempus instaret, velletque in his locis suas vices committere, Nuncium apostolicum reliquit Dominum Bernardinum Pimentel virum illustrem, sinceri animi, vividæque mentis, conjugatum tamen, rem sanè novam hominem secularem apostolicum creari Nuncium. Sed Papæ lex imponi non potest, cùm omnia jure possit. Attamen ipsius Domini Bernardini probitas & honestas omnium ora occludebat. Tanta verò erat aviditas Pontifici nostro visendi limina Petri sedandique Italiam, quæ tota seditionibus & factionibus agitabatur, tanta denique erat illi anxietas suum munus obeundi ut neque Imperatorem nostrum Cæsarem, quem ipse tamquam filium educaverat, quamvis certior de ipsius in Hispanias adventu factus esset, expectare voluerit. Itaque hujusmodi negotiis intendens, usque in octavum diem Iulii in illa urbe commoratus est.

X. INCIPIT NAVIGATIO *Adriani sexti Pontificis maximi.*

CVm beatissimus pater commoraretur in illa bene fortunata tantoque decorata Pontifice Dertusa, cui ipse paulò antè præfuerat, & tempus navigationis instaret, quasi repentino motu hora ferme tertia post meridiem, die Martis, octavo Idus Iulii ejusdem anni, nimio æstuante calore, egressus est in portum memoratu dignum, qui vulgò dicitur de Ampolla, à præfata civitate quatuor leucis distantem, non tamen tali ac tanta stipatus caterva quanta tantum stipari Pontificem oportebat. Nemo enim tam intempesta hora ipsum abiturum arbitrabatur. Itaque cùm fama ad aures omnium pervolasset, videres Archiepiscopos, Episcopos, illustres ac nobiles per invia & inaccessa arbusta & rupes pererrare, suum beatificum ducem ac aurigam (mirabile visu) assequentes. Et ne longa præfatione fastidiosus videar, magna pars comitatus ad prædictum portum in noctis crepusculo pervenerat; ac expeditè sanctissimus pater cum sua insigni & præclara familia triremes ascendit; quæ licèt numero octo cum scapha vulgò vergantin appellata, principem Ecclesiæ festivè receperunt suis tormentis ignivomis, ut moris est. Hic beatissimus pater in sequentem diem ob temporis intemperiem permansit. Recreationis tamen causa paucis comitantibus ante solis occasum eodem die quo illuc appulimus in littora exiens, dum escæ parabantur, huc & illuc deambulabat. Post cœnam in sua navigia reversus est. Namque ab hora quarta noctis haud parvo remigum labore totam noctem navigavimus.

XI. *INGRESSVS DESCRIPTIOQVE urbis Tarraconensis.*

TErtia verò hora post solis ortum, sexto Idus Iulii adivimus Tarraconem. Ceterùm beatissimus Pontifex, quamvis ex navigatione aliquantulum fatigatus, suæ laudabilis consuetudinis, quam multis retro annis observaverat, memor, priusquam urbem ingrederetur, in cœnobium divi Dominici extra muros Missam celebravit. Interea autem clerus & magnates urbis cum plebe accingebantur Christi vicarium recepturi; quem non parva solennitate & jocularibus pompis in suam introduxere antiquam & celebrem civitatem Ecclesiamque arte & ingenio illustrem, in qua cùm orationem prælibasset, ad Archipræsulis properavit palatium, ubi non segniter se gerens in negotiis expediendis classeque paranda, quam aliquandiu demoratus expectavit, necnon centuriones missos ad milites conscribendos, ut simultates tumultusque Italicos pacaret, præstolatus est; quorum gesta breviter suis locis recensebimus. Nos tamen cùm essemus in procinctu navigationis, à negotiisque aliquantulum vacaremus, hanc urbem & ejus antiquitatem & provinciam describere non ab re fore putavimus. Erat enim ista inclita civitas quondam Romanorum emporium caputque provinciæ Tarraconensis juxta veterum descriptionem ferme duplæ ad Hispaniam ulteriorem. Hanc urbem Romani quasi propriam stationem sibi vendicabant. Quorum monumenta ac litteræ in eis sculptæ, atque colosseum ad Romani amphitheatri exemplar, sunt evidens argumentum. Hæc meridiem versùs ad mare nostrum adjacet, murorum ambitu & situ satis munita; licèt tempore quo floruerat, numero inhabitantium copiosior fuerit; ut ex ipsa murorum ruina perpenditur.

Cauſam verò depopulationis non aliam quam defectum aquarum fuiſſe arbitror. id quod vetuſtæ ciſternæ, unde aqua pluvialis hauritur, oſtendunt. Continet præterea Eccleſiam Canonicorum regularium jam prædictam, cui ſubſunt ſex epiſcopatus, Barchinonenſis, Ilerdenſis, Dertuſenſis, Vrgelenſis, Gerundenſis, & Elnenſis. In hac nonnulla corpora & ſanctorum reliquiæ coluntur. Eſt etiam domus quædam conventualis ſatis inſignis, ubi antiquitus regulares veſcebantur Canonici, quæ veterem magnificentiam urbis demonſtrat. His delibatis, interrupta reſarciamus. Cùm animus itaque Pontificis eſſet quàm breviſſimè transfretare ac viſere Apoſtolorum baſilicam, poſt longam tandem navium, triremium, militumque expectationem, in die feſtivitatis intemeratæ virginis, quæ ob nivis miraculum celebratur, ad portum omnes convenerunt; tantaque fuit ſanctiſſimi patris lætitia ut eadem die perſolutis in æde ſacra veſperorum ſolennibus, quibus ipſe interfuit ut exemplo ſuo nos inſtrueret, non minori pompa & jocunditate quàm fuit receptus ad littora progreditur. Tantum verò tota illa ora maritima reſonabat ſtrepitu bombardarum & murmure ſuum Pontificem conſpicientium ut nemo ferme poſſet quæ agebantur perpendere. Et priuſquàm ſummus Pontifex triremem conſcenderet, magnatibus & notis talia fatur. *Quas laudes Domino noſtro Ieſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens concipere nec lingua exprimere poteſt. Multa quidem & antea meminimus à larga Dei manu recepiſſe, ac innumerabilia circa nos ejuſdem beneficia conſitemur; pro quibus nec meritas quidem gratias egimus, nedum retuliſſe cognoſcimus. Præ omnibus tamen hoc quod nunc omnipotens Deus pro ſua benignitate & clementia in nos conferre dignatus eſt, omnium hominum ſenſus excedit. Nunc verò poſt tot tantaque beneficia quæ nobis divinitus contulit, illud de Domino*

nostri misericordia speramus, votisque omnibus deprecamur, ut omnes oves commissas firmas & illæsas ipse custodiat, nosque faciat eas secundùm suam voluntatem & beneplacitum firma & inconcussa fide gubernare. Quod etiam deprecantes, suffulti precibus deiparæ virginis exoramus; ut quicquid pro virium captu non valemus, ipse Deus suo nomine dignum efficiat. Hæc cùm dixisset, comiter ab illis quos diutina conversatione & suavi eloquio demulserat, tristitia quadam se expedivit; & gratias pro tantis laboribus agens, mari licèt fluctibus concitato se commisit. Nobiles verò qui illum fuerant comitati, per diversa itinera domum se contulere, illos felices esse proclamantes qui sanctissimum Pontificem assequebantur, reliquos verò infortunatos. Deus tamen secretorum cognitor, qui non humano discernit judicio, aliter disposuerat; ut inferiùs demonstrabitur. Ceterùm nonnulli ex familiaribus non existimabant sanctissimum Papam die tam solenni navigationem inchoaturum, quoniam hæc non palam divulgabantur, propterea opinor quia non erat in animo Pontificis tanta stipatorum turba onerari, ideoque aulica comitate in Hispaniam volebat eos dimittere. Vidisses multos ignavos, testudine, quod aiunt, pigriores, ad littora errantes; quorum alii in patriam remearunt, alii difficulter ad triremes pervenere; quos tamen ideo Pontifex non evocandos curaverat quia nimia importunitate eos admiserat, tum etiam quia formidabat triremes non posse tot hominum copias capere, quæ magnatibus patriciisque viris repletæ jam fuerant. E quibus primus & præcipuus erat Cardinalis Cæsarinus ex priscorum Cæsarum præclaro sanguine oriundus, ut suo cognomento demonstrat, patria sanè Romanus, qui, ut prædiximus, à sacro Cardinalium senatu ideo in Hispaniam missus fuerat ut eorum nomine maximo nostrati Pontifici reverentiam debitam

exhiberet. Necnon Lupus Hurtado vice imperiali in hac navigatione fungens. In urbe tamen alius creatus fuit, nempe Dux Sueſanus Comes de Cabra. Atque illuſtris orator Regis Anglorum, ac ambaſiator Mediolanenſis, Duciſque Ferrariæ legatus. Et Epiſcopus Feltrenſis. Quos quaſi præcipuos ex omnibus ſegregare volui, quia perlongum eſſet omnium nomina recenſere. Naves autem centuriones cum exercitu & innumera turba conſcenderunt; in eaſque etiam vaſa argentea ceteraque Pontificis ſuppellectilia congeſta ſunt. Et omnibus ferè in navigiis receptis ante noctis crepuſculum, mare graviùs æſtuabat. Propterea aliquantulum à littore nos oportuit diſcedere; & portum versùs appellatum Solon tribus hinc millibus paſſuum diſtantem tendere.

XII. *ILLVSTRIS ADMISSIO Pontifici à Barchinonenſibus facta.*

DEnique æquore ſedato, iter proſequentes, labore aſtrictorum hominum in triremeſque damnatorum Barchinonam hora quarta poſt meridiem ſequentis diei acceſſimus. Hæc civitas, inter alias Cataloniæ præcipua, non minore ovatione quàm reliquæ univerſalem paſtorem voluit recipere. Struxit namque pontem ligneum ab aqua ad terram uſque protractum, tapetibus pretioſis ornatum, ut decebat majeſtatem pontificiam, & urbis magnificentiam, quò venuſtiùs in præclaram illam ac pulchram urbem intraret. Noſter tamen Pontifex cùm hinc inde tantam vidiſſet ad hoc ſpectaculum in ipſum pontem concurrentium turbam, ſuſpicatus effractionem, renuit illum ingredi, & terreſtri greſſu civitatem cum pompa percelebri aliiſque ſignis lætitiæ adiit, & ad Eccleſiam auguſtiorem veniens, in qua corpus beatiſſimæ Eulaliæ in

sacello subterraneo subtus altare reconditum est, oratione ad Deum fusa voluit regredi ad sua navigia; sed ingens & repentinus imber obstitit. Quamobrem remanere coactus, ab Archiepiscopo Tarraconensi, qui tunc illius provinciæ Prorex erat, convivari sustinuit. Ministri autem alii in navigiis, alii in urbe quieverunt. Et intempestæ noctis conticinio ecce bombardarum tonitrua, quibus non minùs infimi quàm supremi ordinis homines vocabantur ad triremes. Nam illud signum omnibus erat commune; neque quisquam, ni statim adfuisset, expectandus erat. Qua de causa multos ex familia Pontificis, tum ob horam importunam, tum ob celeritatem navigationis remansisse suspicor; quorum aliqui postea in navibus militaribus in Italiam evecti sunt, alii verò cùm neque naulum persolvere possent, neque victum haberent, ad sua redierunt. Et licèt fuerit magna pressura ascendendi navigia, soliciti lintribus & scaphis ad suas triremes opportunè pervenere. Secundo vento die Iovis ad portum de *sant Feliu* hora vesperorum concessimus. Sanctissimus verò pater cum primatibus in oppidum descendens, visitata Ecclesia, ad cœnobium monachorum quod propè aderat cœnatum veniens, statim se contulit in triremem, & classe quamprimùm aptata, in portum cognomine sancti Pauli perveniens, ibi pernoctavit. Et licèt portus de Palamox sit ceteris celebrior, quia tamen peste laborabat, intactum reliquimus. Die Veneris adveniente luce, navigatione continua ventum est ad portum qui dicitur *la cala de Calella* distantem novem milliariis, quò triremes convenerant; nuntiatumque fuerat quædam navigia cum duabus biremibus, quas fustas appellant, propè adesse. Quapropter oportuit navigationem subsistere quousque per exploratores veritas patefieret. Qua cognita intrepidè hora tertia post me-

ridiem profecti, post solis occasum venimus in portum cognominatum de Rosas ; ubi illa nocte quievimus. Et proxima die magna navigantium copia ad divina audienda reficiendumque corpora in prædictum locum de Rosas concessit, propterea quòd classis usque ad meridiem non esset discessura. Hic portus situs est in Emporiis, vulgò *Lampurdan*, feraciſſima provincia Cataloniæ, in qua proscripti, qui vulgò dicuntur *delats*, & possunt appellari profugi, versantur. Cujus provinciæ caput est Gerunda, quam Gironam dicimus. Prædicta hora opposito vento lacertis remigum, maritimam oram legentes, juxta oppidum Cadaques transeuntes, levi cursu petivimus promontorium nuncupatum *Cap de Creus*. Vulgò significat *Cabo de Cruzes*.

Turbat hoc loco Ortizius. Nam solventibus à portu Barcinonensi primùm occurrit portus sancti Pauli, deinde Calella, postea portus sancti Felicis Guixalensis, quartò portus de Palamos, quintò Rosæ, sextò Caputaquensis portus, postremò Caput sanctarum crurum, vulgò *Cap de Creus*.

XIII. *NAVIGATIO SVMMI Pontificis postquam oram solvit ab Hispaniarum finibus.*

ET cùm claviger apostolicus ageret in Hispaniarum finibus, & ad limina Galliarum, utrum maritimam Gallicam oram an altum legere expediret, ambigebamus, quoniam tutius est multò juxta littus uti remis quàm passis velis periclitari in fluctibus, quia non omnibus venti favent, etsi à Rege Franciæ illac transeundi fides publica data esset, noluit, ut reor, noster Papa se illi credere. Quamvis multis ex familia cum jumentis tum vectoriis, tum farcinariis, præcepto Pontificis per Gallias illæsi &

incolumes transierunt. Tandem satis consultè habita deliberatione fuit decretum ut sub divina protectione mari appellato Golfo Narbonensi vento aliquo modo prospero nos committeremus. Et quia pelagus istud latissimum est infestissimum piratis & Sarracenis, more nautarum nomen sancti Laurentii, cujus vigilia illa die observabatur, per omnes triremes in signum tesseræ indictum fuit. Hujus beatissimi martyris die cùm ventus infestus flaret, viribus miserorum remigum navigare coacti sumus; quia jam hinc inde nimiùm à terra semoti occingebamur aquis. Vespere autem nonnulli ex nautis terram Franciæ aut Italiæ se cernere testabantur. Nos verò inexperti, licèt nihil intueremur, non minùs in lætitiam hoc auspicio concitabamur, ut tantam ponti vastitatem evaderemus. Post cœnam, præmissa Pontificis salutatione, magno tubarum clangore applausuque virorum tormentisque ignivomis, ut fieri solet, ante noctis crepusculum cantores tum Papæ tum Conchensis Episcopi, in cujus trireme vehebantur, *Salve Regina* solenniter decantarunt; quorum concentus suavissimè resonabat. Atque expleto cantu, designatoque nomine beatæ Barbaræ pro noctis custodia, ut moris est, aura felici, resumptis viribus ad pristinum laborem fuerunt compulsi illi miseri remiges; magnaque parte noctis labori incumbentes, ante diluculum littora Massilientia transivimus, quæ nostra classis, forsan ne se committeret Francigenis, noluit attingere; & orto jam sole ad ripas Provinciæ navigando, cujus principalis civitas est * Asagis, etsi indigenarum numero fuerit copiosior Massilia, insulas comperimus Erroias nomine tres aut quatuor inhabitatas, ut opinor, formidine piratarum. Et hac die prospero vento solutis velis, vespere, ut consuetum est, accepto nomine beatæ Magdalenæ pro primis duabus noctibus per

* Aquæ Sextiæ.

caput de Monterros appulimus ad insulam beatæ Margaritæ divisam parvis aquarum canalibus, quibus ad eam difficilè patebat aditus triremibus. Adjacent præterea insulæ Canoes ; ubi celebre est monasterium sancti Augustini. Huc accessit orator Marchionis Mantuani satis, ut decuit, magno comitatu stipatus. Deinde in aliam insulam tendimus ubi est cœnobium ordinis sancti Benedicti, cujus monachi ob absentiam Abbatis suppliciter precati sunt Pontificem ut ædem illam sacram visere dignaretur. Ad quorum preces sua custodia munitus beatissimus pater in terram descendit ; & cum monachorum pompa solenni venerabilem illam domum ingressus, sumptoque cibo, nulla media intercapedine temporis pari solennitate revertitur ad inceptam navigationem. Interea autem aliqui ex turba peragrabant insulam, alii verò aquam & necessaria deferebant, & adveniente Pontifice, omnes uno signo conveniunt. Et hæc cum aliis adjacentibus insulis subsunt Regis Franciæ ditioni. Antè verò quàm inde discederemus, Episcopus de Grassa illius conventus Abbas festinanter deosculandos Pontificis pedes scapha strenuè parata veniens, honorificè à Pontifice fuit receptus ; quem ideo in lintribus multi sequebantur, ut desideratam sui pastoris faciem intuerentur. Non tamen vacui, sed uvas & poma ferebant quæ omnibus liberaliter more Gallico impertirentur. Hinc per angustum canalem, qui potiùs flumen quàm mare videbatur, utpote cujus aquæ brevitas vix triremibus ipsis sufficeret, transeuntes per littora Provinciæ usque ad Antibol perreximus ; deinde ad municipium de Niça, quæ est ducatus Sabaudiæ, transivimus. Quas celebres provincias & urbes medius fluvius intersecat. Eas tamen non attigimus, eò quòd morbo epidimiæ asserebantur infectæ. Hac eadem causa pernoctantes in portu de

Villafranca

Villafranca de Niça, jussu Pontificis absque commercio inhabitantium quievimus, licèt alacriter suis bombardis & signis aliis hilaritatis nos salutaverint; & nisi Pontificis imperium obstaret, libentiùs exciperent. Huc Regis Gallorum orator accessit; quem Pontifex noster animi lætitia oreque renidenti suscipiens breviter expeditum remisit. Hinc portum Isam nuncupatum adivimus; qui licèt strictus, satis tamen amœnus erat. Quapropter ibidem beatissimus cum suo comitatu aliquantulum demoratus est.

XIV. *DESCRIPTIO SITVSQVE municipii de Monago.*

DEinde municipium de Monago duobus vel tribus milliariis à præcedenti subiimus, quod natura (propterea quia situm est in promontorio ad modum peninsulæ, quod paulùm excurrit in mare contra meridiem) & manus artificum inexpugnabile reddidere; cujus prætextu, Genuensibus invitis, multò antè, ut aiunt, usurpatum detinebatur per quendam equestris ordinis virum Genuensium potestatem minimè veritum. Nec mirum, quandoquidem municipium ipsum plura propugnacula contineat, muros, & antemuralia, necnon in superiori parte, aquilonem versùs, turrim ad propugnationem satis fulcitam (ubi municipii dominus morabatur) instar castelli multis hinc inde munitam æreis tormentis, quibus, ut Pontificem exhilararent, lætitiæ signa municipes ostenderunt. Et quamvis dominus de Monago ad triremem Pontificis ipsius pedes deosculaturus veniens multa polliceretur, deprecatusque esset instantissimè vellet domum & locum visere, Dominus Noster noluit assentiri, immo neque portui accedere. Et sic suo functus officio regressus est; ac ex templo ab ejus portu quatuor triremes Genuen-

ſes exierunt, quarum dominus Andreas de Oria exul à die expugnationis Genuæ profugus exulabat. Multa enim damna ipſe cum factione ſua in illius civitatis calamitate & ruina pertulerat, ut inferiùs ſuo loco dicetur. Et parum à portu diſcedens, huc & illuc navigando noſtram claſſem versùs, fœdera pacis ignivomis tonitribus demonſtravit, cui noſtri invicem reſponderunt, & quamprimùm ad ipſummet portum remeavit, forſitan timens noſtram navalem militiam; quoniam, ut fama erat, Dux ipſe Andreas tunc partes Franciæ ſequebatur. Qua ex cauſa non eſt auſus noſtras adoriri triremes; & juſſu centurionum, inſcio, ut reor, Pontifice, omnia navigia & milites Andreæ de Oria animum ignorantes parabantur ad arma. Et eo fortaſſis Andreas tam citò in ſuam ſtationem ſe recepit. Ac cùm multi nobiles provinciales ſuis ſcaphis ad recipiendam benedictionem à Pontifice adveniſſent, eundem Andream inter eos adventaſſe ferebatur, id quod minimè compertum eſt. Neque opinandum quidem virum cautum & providum tam facilè ſe Hiſpanis hominibus credidiſſe. Cùmque hinc in littora Liguriæ tenderemus, in qua etiam Monago jam dicta continetur, hiſque viſitationibus nonnihil moraremur, mare nullo agitatum vento æſtuare cœperat. Quod cùm tunc denuo navigantes conſpexiſſent, illorum animos timor invaſit. Propterea ambigebatur inter peritiores utrum redire ad portum de Villafranca, an rectà tendere, tutius eſſet. Tandem placuit Pontifici ulteriùs progredi; quoniam in votis erat & non levis affectus ut viſeret limina Petri, cupidus præterea componendi inter Chriſticolas pacem atque gerendi negotia quæ nequaquam extra urbem Romam agere ac finire poſſet. Cujuſmodi zelus domus Dei curæque paſtoralis neque in mari nec in terra Pontificem diù ſinebat morari. Omnium

præterea animus cum voluntate Pontificis unus erat; ideoque in peragenda navigatione minimè detinebatur. Progredientes igitur è regione noſtræ claſſis quandam navem non procul à piratis captam conſpeximus, idque, ut delatum eſt, juſſu Andreæ de Oria. quod vix credendum opinor. Vtcunque tamen fuerit, cùm vergantinus & alia navigia puppim illam oppreſſam circumſtarent, noſtram proſpicientes claſſem, ſicut nebulæ ante ſolem repentè evanuerunt. Ad illam verò Chriſti vicarius accedens, liberam abire juſſit. Cùmque triremes noſtras ſequi non potuiſſet, ſolam in fluctibus agitatam reliquimus. Ad rem igitur à qua digreſſi ſumus redeamus. Die ſequenti, vigilia Aſſumptionis intemeratæ virginis Mariæ, oppido cognominato ſancti Stephani appropinquantes, in ipſius æde ſacra Chriſti claviger rem divinam fecit. Et hinc poſtridie Aſſumptionis ſacroſanctæ, in loco qui dicitur Portus marinus, in cœnobio fratrum Minorum extra muros idem Pontifex maximus idem ſacrificium ſecretò fecit, ut turbam vitaret, quæ nequaquam poterat arceri; ita tamen ut illius diei ſolenni ſacro publicè decantato impartiretur benedictionem. Ac paucis aſtantibus tranſus, continuo audita oratione declamatoria, per loca ſecretiora pergendo ad navigia, hominum turbam evaſit. Tanta enim erat multitudo fidelium hominum, quæ ſupplex ac obediens, ut ſummum Pontificem cerneret, illiuſque ſacros pedes oſcularetur, convenerat ut illorum ſubinde ſe ſubtraheret aſpectibus; idque ut expeditiùs navigatio noſtra peragetur. Priùs tamen quàm inde ſolveremus, acceſſerant Genuenſium juſſu ad comitandum Pontificem quinque triremes, ad eundemque in quo eramus portum venerunt; quæ ab aliis tormentis ignivomis, ut fieri ſolet, fuerunt ſalutatæ. Cùmque illa turba, quæ viſura Pontificem veniſſet, inſcia de

ipsius discessu doleret, ruebat quippe catervatim per montes & littora, neque sat explicari potest quanta aviditate suum quæritabant pastorem. Nos verò navigationem nostram prosequentes, ad insulam appellatam de Ruenga prope civitatem Nolensem memoratu dignam accessimus: ubi, ut aiebant, talis vigebat inviolabilis consuetudo, ut nullus posset struere navem nisi & simul turrim ædificasset. Vnde tot turribus est munita. Quod suo loco latiùs explicabimus.

XV. *DE INGRESSV PONTIFICIS in Saonam, ac jocunda à Saonensibus facta receptione, & concordia Regis Catholici cum Rege Franciæ, initisque nuptialibus contractibus cum Regina Germana, ejusdemque urbis situ.*

NAvigationem autem prosequendo, aliis, quorum narratio non injocunda esset, brevitatis causa omissis, decimo sexto Calendas Septembris appulimus ad inclitam civitatem Saonensem, cameram imperii; ubi honorificentissimè fuit exceptus Petri successor, & in ipsius ingressu, ut conjectari potui, quendam oratorem nomine senatus Saonensis orantem auribus (quòd aiunt) obturatis pertransiens Pontifex, eodem honore clero & præstantioribus viris cum cruce & pallio pergentibus augustam Ecclesiam eminentiori parte sitam episcopali dignitate illustrem est ingressus. In hac colitur corpus sancti Octaviani; ac consuetudine Pontificis reverentia exhibita Deo, oratione ad Dominum habita, benedictioneque præsentibus data, paulò pòst ad egregiam domum Tidensis Episcopi unàque Archipræsulis Avinionensis, ubi prandium opiparè Do-

mino Noſtro ſuiſque comitibus paratum erat, veniens, antequam ad menſam accederet, in loco ſecretiori divina ſacra perſolvit. Et cùm jam ſtratis menſis lautiſque cibariis appoſitis gratias Deo ageret, non ſolùm pro munere ſpirituali ſoluto, verùm etiam corporali ſumendo, reliquis autem Prælatis & equitibus ipſius mandato in altis thoris aliquantulum ſemotis ſuo ordine ſedentibus, accubuit. Series autem convivii talis fuit. Apponuntur ex abaco lances argenteæ & tympana cum ceraſis & prunis uviſque recentibus & perſicis pomis. Nec deerant vina generoſa, album adeo pellucidum ut aquam putares ſolo aſpectu, & flavum, & nigrum, dulce, acutum, lene, ſuave, auſterum, ut peteret quiſque ex animi ſui appetentia. Deinde importantur artocreæ & aſſa edulia, pulli, perdices, palumbuli, cuniculi, & vitulina caro. Elixæ verò caponum, gallinarum, arietinæ bovinæque carnes, & id genus alia cum condimentis aptioribus, ut ea malis quàm carnes. Quæ ſingula referens (ne videar prolixus) volui prætermittere. Afferuntur etiam cytronia & olivæ Balearicæ in muria aſſervatæ, pira, caſeus multiplex. Colliguntur analecta. Datur deinde aqua odorifera lavandis manibus. Peracto tandem convivio, ſuo more ſolitus noſter Pontifex gratias Deo egit; deinde impendit quas debuit hoſpiti, qui tam ſolenniter & egregiè illum exceperat. Poſt gratiarum actiones tolluntur mantilia & mappæ; deinde verò ſternuntur ſecundæ menſæ paulò minùs opiparæ prioribus, quas munificentiſſimus Archipræſul ob jocundum adventum tanti hoſpitis ſterni fecerat comitatui; ut qui ex clara illuſtrique proſapia Iulii magnanimi Papæ originem duceret, animo namque & magnificentia æmulus. Iulii nempe induſtria tempeſtate noſtra patrimonio Eccleſiæ Ravenna multaque alia loca acceſſerunt. Pontificatus

tamen illius tempore illud immane ſchiſma ſeu conciliabulum in toto orbe terrarum diffamatum proſiluit, cujus caput fuerat Dominus Cardinalis à Carvajal. Atque hujuſmodi occaſione ſucceſſit conflictus ille horribilis inter Hiſpanos ſequentes partes Iulii & Gallos inhærentes factioni prædicti Domini Cardinalis, quod vulgariter dicitur *la batailla de Ravenna*. Ceterùm ut ad rem redeamus, quamvis prandium fuerit opulentiſſimum, decrevit prædictus Dominus Avinionenſis Præſul Pontifici noſtro illiuſque comitatui ad cœnam non minores ſed pares aut lautiores eſcas parare. Decuriones itidem Saonenſium beatiſſimo Papæ xenia obſoniaque donaverunt. In hanc eandem inclitam urbem Rex Ferdinandus cognomento Catholicus à Neapoli rediens & Rex Franciæ olim convenerant, & tam ſplendidè & opiparè (ſicut ab indigenis accepi) Gallorum Rex excepit Regem noſtrum atque Gundiſalvum Ferdinandez Ducem cognomine magnum, qui primas in Ferdinandi Regis militia tenebat, ut facilè explicari non poſſit. Ferebatur tamen ad Regum menſam ſede humiliori in memoriam & honorem geſtorum memoratum Ducem comediſſe; qui dexteritate & armorum virtute noſtram Hiſpaniam ſemiſepultam belli exercitio ſublimavit. Tanta quippe erat Regis Catholici prudentia forſan caventis ſubrepentia Hiſpaniarum bella ob adminiſtrationem regnorum Caſtellæ defuncto jam Rege Philippo clariſſimo Principe, ut qui paulò antè ferme expulſus in Neapolim transfretaverat, ſub nuptiarum prætextu Reginæ Germanæ pacem cum Francorum Rege iniret, cùm ſapientis ſit maturo conſilio providere futuris. At Regum ſolenniis expletis, repotiiſque ſolitis, alter in Hiſpaniam, cui ex animi ſententia cuncta ſucceſſere, alter in Italiam devenerunt. In hanc (ut eò regrediamur unde digreſſi ſumus) urbem Saonam

se contulerat Hieronymus Adorno imperialis dux, frater Genuensium Ducis, egregio comitatu stipatus, visendi gratia Pontificis, nonnullaque cum eo communicandi. Et licèt videar aliquantulum à proposito divertisse, non ab re tamen; quia in dignum duxeram sub silentio præterire festivam lætitiam solennequeconvivium & urbem tam illustrem. Atque eadem causa describere volui situm amœnitatemque illius urbis. Adjacet enim ad mare nostrum orientem versùs. Habet amplum portum, calculosum tamen & inaccessibilem; quia Genuenses videntes urbem suam ubique notissimam à mercatoribus deseri, & Saonæ fieri commercia, lapides ingentes, ut aiunt, in prædictum portum projecerunt, ut magnis navigiis nemini liceret adire Saonam. Habet etiam ad meridiem castrum arte & situ munitissimum; omnitumque judicio urbs ista intus & extra est forma eleganti. Mulieres hujus civitatis ornantur mundo satis honesto absque palliis, crinibus collectis sub calanticis. Nobiliores verò matronæ etiam singulæ incedunt sine pedisequis, indutæ vestes talares. Vtuntur soleis parvis, non sandaliis; ideo fortassis quia majoris staturæ cernuntur Ligures, ut experimento compertum est. Vtinam ornatu simili Hispanæ feminæ, abjectis vulpinis caudis & examine ancillarum, illas imitarentur.

XVI. *DE MOESTA AC LVGVBRI receptione Pontificis à Genuensibus paulò antè expugnatis facta.*

QVibus obiter utcunque expeditis, quid tum auriga noster egerit audiamus. Expleta cœna, triremes conscendunt omnes, Genuam versùs nocte illa navigantes, quam exoriente sole adivimus paulò post ipsius excidium & ruinam. Quocirca etsi

magna mœstitia ex præterita expugnatione Genuenſes adficerentur, tamen cùm felicem tanti Pontificis adventum perſenſiſſent, tam ex urbe quàm ex caſtro & ex navibus in portu aſtantibus tot globi bellici jactabantur ut faciliùs ſit admirari quàm ſcribere. Et hac ſolennitate portum acceſſimus; cui à terra inhærebat ponticulus ligneus, quo dux noſter auguſtiùs intraret. Ibi tunc proclamatum eſt à clero & majoribus natu: *Princeps Eccleſiæ, ſit tuus adventus felix, præſentia ſalva. Gaudet in adventu turba deſerta tuo. Gaudet & exultat, jubilat, lætatur, ovatque.* Ac confeſtim eodem ordine & celebritate petunt Eccleſiam; quæ caput atque metropolis totius Liguriæ eſt. Interim parantur ſolennia Miſſarum, quæ dulciſſimo concentu celebrata fuerunt. Illico viſit ærarium ſacrum, quo inter venerandas ſanctorum reliquias quæ ibidem aſſervantur, catinus in cœna Domini celebratus, ut ex loco evangelii elicitur, fuit mirabilis viſu; qui eſt tanti valoris ut non facilè æſtimari queat. Tanta verò convenit circumdantis populi undique turba, aviditate videndi, ut dum invicem ſibi impedimento fuiſſent, pauci eorum aſpectu præoptato potiti ſint. Adjacet præterea extra ſacrum ærarium in ſacello ſancti Ioannis Baptiſtæ tumulus lapideus ſupra columnas marmoreas, ubi ſervantur fideli cuſtodia divi Baptiſtæ reliquiæ; quibus reverenter veneratis, ſummus ſacerdos in palatium progreſſus eſt. Reliqui verò hoſpitabantur prout cuilibet occaſio ſe offerebat. Hæc urbs in toto terrarum orbe celebratiſſima Pontifici illiuſque comitatui biduo epulas non minùs affluentes quàm ſuaves eſt impartita; uberiùſque factura eſſe videbatur, ni clades illam obruiſſent. Nam quæ inter Italicas urbes elegantior erat, ſuperba cecidit. Genua, genuiſti Eſau & Iacob in utero bellantes, & peperiſti Adornos ac Fragoſos filios diſcordiæ; qui cùm prin-

cipes civitatis esse co tenderent, cùm nec Roma duos fratres nec apes & grues duos principes habere potuerint, ruinam tibi intulerunt. Quis enim cupiditate dominandi inflammatus, vel fastu dominationis elatus, desiderat habere consortem? Aut quis avarus quærit suarum opum participem? Nemo inquam. Quapropter invicem dissidentes, alii Cæsareas, alii verò Gallicas sunt sequuti factiones. Adornii enim exules & profugi, è quibus præcipuè Hieronymus Adornus suorum Dux, Hispanorum Germanorumque asciverunt exercitum, quorum favore Fragosos Gallorum partes tuentes expellerent. Et cùm Marchio de Pescara militiæ ductor plusquàm civiles concitationes perpenderet, capta opportunitate qua faciliùs posset urbem illam in Cæsaris obedientiam reducere, solerter properans, eam circumquaque ex parte orientis Germanico exercitu, ex parte verò occidentali Iberico obsideret. Et tandem post aliquot dies Fragosos allicere nititur ut urbem in Imperatoris obedientiam tradere velint. Adversarii verò omnino recusabant, eò quòd jussu Regis Gallorum in ipsorum auxilia accesserit strenuus ille dux Petrus Navarrus Comes; propterea etiam quòd milites Corsicos ad septem millia stipendiarios pro urbis propugnatione obtinerent. Sed illorum contumacia cùm in dies singulos crescceret, oportuit ex Hispanorum partibus tormenta ignivoma admovere & prosternere muros; atque stricto foramine audacter Hispani adoriuntur urbem, & in ipso ingressu nonnulli confligentium ceciderunt, ac brevi tempore Ligures cum suis stipendariis nostratibus cessere. Hispani autem in urbem ut hostes irruentes quæ damna, quas neces intulerint expugnatis, prudens lector consideret. quod latiùs historici memoriæ mandabunt; ad quos lectores ipsos remittimus, hæc breviter nunc dixisse contenti. Nec facile est credere tantam &

tam munitam urbem, militibus præsertim Gallis Corsicisque eam propugnantibus, illo maximè unico duce Petro Navarro suffultam paulò ante eversionem defensionis causa in eandem civitatem ingresso, expugnari tam facilè posse; cùm præcipuè, indigenis asserentibus, suorum militum copia major fuerit numero quàm nostrorum. Postmodum verò cùm Germani intellexissent tandem urbis expugnationem, confestim nemine impediente eam invaserunt; ac barbarico more, nunc occidendo, nunc verò diripiendo mœstam vastabant clamoribus urbem. Non est profectò quisquam cui nisi tibi & tuis ascribas & imputes ærumnam. Ceterùm inter captos præcipuos perducti sunt Neapolim Octavianus Fragosus Genuensium Dux, Comesque Petrus Navarro, cum plurimis nobilibus. Sed dum Franciæ Rex captus detinebatur Vrsariæ, quæ Madrid vulgò dicitur, contraheretque nuptias cum Domina Leonore sorore Imperatoris, quia inter alias fœderis conditiones stabilitum est quoslibet hinc inde captivos liberè posse ad propria remeare. Et quoniam Dux Petrus Navarro in libertate positus Regi Francorum potiùs quàm suo servire maluit, imò in illum & in ipsius exercitum, ut modò diximus, rebellavit, sub judice ac voce præconis Neapoli capite plexus est, post tot præclara facinora insigniaque facta pœnas quidem graves duraſque, jure tamen debitas persolvit. Hujus superbæ & elegantis civitatis situm & pulchritudinem sigillatim nolui describere, propterea quòd Dominus Doctor Didacus Lopez de Stuniga Complutsius elegantiùs & copiosiùs in suo explicuerit itinerario.

XVII. *DE ADVENTV DVCIS Mediolanenſis, Proſperi Columna, Marchionis de Peſcara, Antonii de Leyva, aliorumque Militum in Genuam ad deoſculandos Pontificis pedes.*

HVc pedes Pontificis deoſculaturi venerant Dux Mediolanenſis, & Proſperus Columna, & Marchio Peſcaræ, atque Antonius de Leiva, magno Hiſpanorum Italorumque comitatu circumſepti; quos beatiſſimus pater vultu ſereno amplexuseſt. Hi, ut fama erat, inſtantiſſimè ſupplicarunt Pontifici ut eos militeſque ſuos à devaſtatione prædictæ urbis dignaretur abſolvere. Quod nullatenus impetrantes, ad proprias redierunt ſtationes. At ne longiùs digrediamur, eadem ſolennitate qua erat receptus, dempta illa ſolenni pompa poſt biduum ad portum beatiſſimus pater pervenit, ibique quàm breviter expeditus, navigationi intendens animum, in portum nuncupatum Portuſi decem & ſex milliariis à Genua diſtantem acceſſit; illumque noſter ductor ingrediendo, ſervata priùs conſuetudine, viſitavit Eccleſiam divi Georgii, in qua ipſius reliquiæ ſub ſacello coluntur; quem ex citeriori Hiſpania accolæ à Catalonia ortum, paſſum Tarraconæ, in promontorium quo nunc veneratur tranſtulerunt. Genuenſes verò oſſa ſacra Genuam traducere pluries tentaſſe dicuntur, quia militare ſymbolum eorum eſt Georgius, ut Hiſpanorum eſt beatus Iacobus, & Venetorum divus Marcus. Quotiens autem tranſlata ſunt, toties in ſuam baſilicam aſſerebant eſſe reverſa. Ex divi itaque Georgii Eccleſia in pomarium quoddam cænaturus Pontifex intravit; peractaque cæna, in triremem proficiſcendi gratia progreditur. Cujus mentem omnino

proretæ nitebantur explere; ex quibus nonnulli seniorum ob tempus importunum, ne triremem solveret, hortabantur. Tandem ipsis invitis movetur classis, quam vehemens imber parva à porta intercapedine semotam magno labore & periculo in eundem portum compulit redire; quæ si aliquantulum ultrà progrederetur, non sine jactura magna navigaremus, quod meritis nostri ductoris nos incolumes evasisse minimè ambigitur. Itaque adeo invaluit semel exorta tempestas ut cogeret per quatriduum invictum Pontificem à navigatione desistere. ac de more his diebus secretò sacra libabat; nihilominus tamen in prædicta Ecclesia divi Georgii audiebat Missam publicè ac solenniter à cantoribus celebratam. Atque fama erat nullum Principem illuc appulsum quin aliquot dies ab æquore æstuante fuisset detentus. quod experimento excellentissimi Imperatoris Maximiliani Genuam accedentis, necnon nostri clarissimi Regis Catholici à Neapoli redeuntis eadem perpessi comprobatur, & in nostro Pontifice propriis oculis vidimus; quos omnes fidei tutores eadem ceperat domus; quæ nequaquam minima vocari poterit, quandoquidem hospitio tot ac talium virorum fuerit illustrata. Ceterùm postquam maris sæva tempestas sedata fuit, intentam prosequentes navigationem, ad portum Veneris juxta oppidum de Spetie ante solis occasum accessimus; & in cœnobio littori adjacente Pontifex cænatus est. Interea autem nonnulli recreationis causa descenderunt in terram, institores verò navigiorum aquatum misere servos. Tandem summo ductore nostro cum toto comitatu in triremes ascendente, parantur bellica tormenta, milites & arma expediuntur, eò quòd nuntius assereret navigia Turcarum, quæ vulgus fustas vocat, non longè à nostris existere. Tamen cùm neque ibi nec alibi Turcarum aliorumve offendiculum nobis obstaret,

imò prosperè omnia succederent, armorum tumultus omnino cessavit. Illa verò nocte, vel ob lunæ oppositionem, vel formidine piratarum, in illo portu pernoctavimus.

XVIII. *DE ACCESSV PONTIFICIS in Liburnum, quem quinque Cardinales expectabant.*

DIe autem illucescente, labore astrictorum remigum inter littora Pisana & insulam appellatam Gorgonam appropinquavimus Liburno; ubi aderant quinque perquam illustres Cardinales, * Clemens de Medicis, qui beatissimo Adriano in Pontificatum successit, Petruccius, Cortona, Rodulphus, summum Pontificem expectantes; & ex portu castroque & municipio ac triremibus in ipsius introitu prospero innumera tonitrua belligera, ut talem decebat felicem adventum, emittuntur. Et cùm tota jam classis juxta oppidum esset aggregata, magnificentissimi Cardinales in uno monoremo vergantino, ut ita dixerim, ad maximi antistitis pedum oscula delati sunt; quos ipse piissimus hilari vultu animoque læto ut fratres Ecclesiæque columnas suscepit. Et exhibita obedientia, unà cum Pontifice magno à triremе sunt egressi, atque scaphis & lintribus in Liburnum supradictum ventum est. Et nullus Cardinalium in monoremo Pontificis aderat præter illum reverendissimum Clementem de Medicis, cum quo summus antistes, quasi successionem præsagiens & claves regni cœlorum illi relinquendas, familiarissimè confabulabatur. Et juxta portus Liburni quasi ad rem novam excita plurima turba convenerat, congratulans utique tanti Pontificis adventui; & ipso primo ingressu consuetudinem sibi ac exemplum omnibus servans, Ecclesiam visitavit, & oratione habita, hospitium quo

* Iulius

splendidè omnia adcænandum extructa erant adivit. Nam ille liberalissimus Cardinalis de Medicis plures vaccas, vitellas, gallinas, panem, vinum, & tempestivos fructus sanctissimo patri omnibusque illius triremibus splendidissimè obtulit. Ac ne dux noster suum comitatum videretur longa mora deserere, ante noctis crepusculum cum tota familia ad suam triremem reversus est; ubi propter imbres & ventum, quibus mare concitabatur, illa nos oportuit nocte ac sequenti quiescere die. ubi sunt quædam monimenta memoriæ digna, castrum nempe primo aspectu inexpugnabile. Est præterea in ipso mari parum à littore semota turris quædam, quæ de Mala hora vulgariter dicitur, quam ferunt Catalanos sanguine Ligurum vice aquæ ad calcem stringendam in vindictam veteris injuriæ ædificasse. Distat Liburnum à Pisis novem milliariis; cujus portum veteres appellavere Pisanum, propterea fortasse quia quondam commercium Pisanorum agebatur in eo. Sed ut institutum prosequamur, secunda feria, prima noctis vigilia, felici aura classis tota movetur, ac exoriente sole in oppidum celebre de Plombin die Martis convenimus, ibique alacriter sumus excepti; & alacriùs hospitaremur per dominum oppidi & municipes, si ductor noster sineret nos terram attingere. At ne prosperum amitteremus tempus, illac transivimus oppido intacto; quod quidem continet tria castra, cujus dominus nullius paret imperio. Et quia canalis de Plombin est adeo celebratus ut ferè nullus ignoret, paucula de eo subnectam. Ibi lapidicina magnetis prope municipium foditur, ex qua non parum emolumenti provenit domino. Tum etiam multæ insulæ adjacent, quarum præcipua Corsica nominatur. Sunt etiam aliæ appellatæ Hierna, Claveria, Planosa, Mons Christi, Elxico, & aliæ, quas dicunt Formicas de Plombin. Est etiam insula Cervitroya, præterea in-

sula del Genut, & mons Argentarius, quæ quidem circumdant prædictum canalem; atque illarum occasione crebra pericula piratarum Turcarumque & Maurorum contingunt circa eas navigantibus.

XIX. *INTROITVS IN CIVITATEM Centumcellarum, quæ vulgò nuncupatur Civitavieja.*

ET ut revertamur ad locum unde discessimus, eadem venti felicitate perreximus ad portum Herculis; quem eadem causa intactum relinquentes, ipsa die, vigilia noctis secunda, appulimus Centumcellas; in quas, quia portus calculosus erat, usque in diem Mercurii illucescentem minimè descendimus, quoniam absque periculo facilis non erat accessus. Et cùm beatissimus pater Centumcellas intrasset, veterem appellatam urbem, tota civitas gaudiis suffundebatur felici adventu sui pastoris ac domini. Et hanc primam terrarum Ecclesiæ civitatem ac patrimonium attingens antistitum maximus, ut usum pium custodiret, præcipuam visitavit Ecclesiam; auditaque solenniter Missa, ut tantum decebat virum, ad palatium redeundo, ut peculiare sibi fuerat, rem divinam exolvit, ubi aliquot Cardinales aderant, atque nonnulli nobiles Romani, expectantes dominum suum. Ibique familia Pontificis in palatio ipso tinellum, ut ita loquar, Romanum agnoscere cœpit, quò se familiares vescendi gratia conferebant. Mansitque ibi sanctissimus Dominus illa die usque ad occasum. Interea verò urbem & castrum nondum consummatum cellas centum, ut fama erat, & nomen vetus civitatis adhuc continens, munitumque instrumentis ferreis, necnon aquosa fovea ferme cinctum, visimus; quod quidem postquàm fuerit perfectum, inexpugnabile fore creditur, dum defensoriis munitioni-

bus non caruerit. Tandem cùm jam omnia essemus intuiti, & sol à nostro hemisphærio ad Antipodas discessisset, beatissimus Pontifex ad triremes deveniens, prima vigilia noctis aura secunda continuando navigationem, hora nona ante meridiem in urbem Hostiensem Tyberinasque undas appulit, qui inter omnes primus cum suo dilecto Doctore de Agreda in uno monoremo per Tybetim Hostiam versùs paulò ante meridiem advenit. Et cùm classis vellet suum sequi ducem, ostium Tyberis obstitit. Aditus enim nequaquam profundus, sed propè vadosus est. Propterea ad pelagus regredi oportuit. Et cùm jam felix Pontifex in tuto maneret, subitò fretum vento agitatum efferabatur adeo ut vix liceret nobis absque periculo littoribus accedere. Quam ob rem nonnulli nostratium gravia discrimina sunt perpessi; veluti apparuit in magnificentissimo Domino Episcopo Abulensi, cujus pars supellectilis periit, pars verò madefacta difficillimè in terram delata fuit. Alii autem graviora pericula passi sunt, qui desidia aut ignavia in triremibus remanentes, post viginti demum dies in urbem nobiscum se contulerunt, per maria & per terras errantes, quia nulla statio in tota Romana & importuosa plaga tuta triremibus usque ad Caietam reperiebatur. Quo exemplo docemur quantum sit discriminis inter solicitudinem & ignaviam. At qui post naufragium sospites ad littora evecti sunt, quasi ex hostibus æstibusque liberati lætabantur. Vidisses nempe Archiepiscopos, Episcopos, Oratores, Duces, & Equites, literatos, ac alios hujusmodi huc & illuc oberrare, partim jacientes oblectamenti causa lapides, partim verò deambulantes.

XX. *FINIS NAVIGATIONIS factæ ad ostia Tyberina, ac lautum convivium Cardinalis à Carvajal Hostiæ custodis.*

ET tandem voti compotes urbem Hostiam parum semotam à mari pedes tres sub ardenti sole ingressi sunt, ubi illustrissimus Dominus Cardinalis à Carvajal castri & urbis custos Papæ epulas lautas & copiosas pontificiæque paraverat clientelæ. Pomeridiana verò hora noster antistitum maximus quinque aut sex Cardinalibus comitatus ad urbem Romam tribus leucis inde distantem progreditur. Et quia in parva illa urbe jumenta non reperiebantur, minima pars Præsulum & nobilium equitans poterat suum aurigam assequi. Ac propterea ex ordine equestri sua nobilitate accensi pedestres, nonnulli verò in curribus ac rusticorum jumentis, prout sors cuique acciderat, ipsa vel sequenti die in divi Pauli ædem ordinis sancti Benedicti extra urbis muros in qua sanctissimus hospes illa nocte fuerat, convenere; ibique Dominus Hincfort, de quo infrà habenda est mentio, jussu Pontifici fercula copiosa illi ejusque famulis paraverat. Et cùm jam in limine essemus, audacter asserere audeo quòd licèt Papa per tot maritima loca pertransisset & Cardinales magnatesque cum eo colloquerentur, adhuc ex Hispaniis in Italiam minimè adventasse credebatur, cùm pro certo haberent non tam brevi ex Hispania expediendum, & meritò, cùm nemo excurforum eum præcederet illius adventum denuntiaturus. Quin immo; tamquam ad suum obitum deproperans, anteibat omnes. Et utinam ipsius nomine præfectum mitteret, sicut putabatur, ut ipse in negotiis tam gravibus deliberatiùs ageret; quia necessarium est tempus ut aliquid maturiùs agatur.

Et cùm jam ejus adventus in notitiam omnium propalaretur, veſpere illo multi ex urbe aviditate Pontificem videndi in prædictum cœnobium pervenere.

XXI. *CELEBERRIMA ingreſſio Pontificis maximi in urbem Romam.*

SEquenti verò die Veneris, quarto Calendas Septembris, poſt ſolis ortum, exierunt ab urbe reverendiſſimi Cardinales, Præſules, Conſules, Oratores, Decuriones, Officiales curiæ, milites ſtationarii, qui pro cuſtodia Pontificis ad primam portam ſacri palatii alternis vicibus deputantur, numero ducenti, necnon equites ejuſdem cuſtodiæ, diverſa arma ferentes. Et cùm communis paſtor ſuo ſpectabili decoroque vultu cunctos admiſiſſet, unus Cardinalium ore omnium totiuſque ſacri collegii ſuaviter affatus eſt, offerens obſequia tanto Pontifici debita, ac ſacroſanctæ apoſtolicæ ſedi debitam obedientiam. Deinde unuſquiſque Oratorum vice dominorum velut Chriſti vicarium Petrique ſucceſſorem ac Romanum Pontificem agnoſcebat, atque univerſali paſtori reipublicæ Chriſtianæ obedientiam præſtabat. Quorum unus in hæc verba prorupit. *Si ulla unquam hominum memoria documentis apertiſſimis eſt declaratum res humanas divina miniſtrari prudentia, id, beatiſſime pater, te Pontifice maximo cælitus conſtituto luce clariùs apparuit. Salutiferè atque adeo proclementer rerum omnium opifex ac moderator Deus de excelſo ſancto ſuo miſericordes oculos in populum Chriſtianum convertit, cùm te, Adriane ſexte, in iſto ſolio collocavit. Iam enim eò procellarum ac tempeſtatum adducta erat Romana reſpublica ut propediem foret per extremum naufragium peritura, niſi te peropportunè Eccleſiæ gubernacula capeſſente. Quis enim ambigat quin ille ſis futurus qui ſumma*

sapientia animique magnitudine universos Christianos omni non modò calamitate, sed & calamitatis æruminarumque formidine, quæ hinc à Mahometica rabie, inde à venenatis hæresibus impendet, planè liberes? Cur enim de te non sperentur maxima quæque & salutaria, in quo videmus ea inesse omnia quæ in summo viro, in summo Principe, in summo Pontifice requiruntur? Divino certè afflati spiritu sacratissimi isti patres te præ omnibus unum delegerunt ad dominicum gregem truculentissimis undique lupis circumseptum pastorali cura ac vigilantia conservandum Non enim clam & furtim, non ambitiosè aut subdolè ad summum pontificatum irrepsisti, sed cum nutu quodam consilioque divino, tum vero uno & claro & eodem Cardinalium omnium judicio atque consensu; qui ut colis semper & honoras & quotidianis sacrificiis semper precaris Christum Iesum, ita divinitate suffragante feliciter avertes quicquid aut ab immanissimis Turcis ac hæresibus possit accidere incommodi, ut ad id non tam reprimendum quàm omnino comprimendum & alios excites. Et quia tempus breve, ne fastidiosius videar, subsisto. Et felix ac prosper, ut speramus, tuus sit adventus in sanctam & apostolicam sedem, quæ & nomini tuo ad laudem immortalem atque universæ Christianæ reipublicæ ad salutem & tranquillitatem sit accessura. Ceterique Præsules & magnates ut apostolicum patrem venerantur, una voce dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, putantes per eum Ecclesiam esse reformandam. Quibus clementissimus noster Papa brevi compendio respondens, *Obsecro*, inquit, *vos, columnæ Ecclesiæ reverendissimi Cardinales, per viscera nostri redemptoris, necnon Præsules, Oratores, magnates, reliquaque astantium corona, juvare me precibus; ut & spiritus gratiæ maneat in me, ac ne judicia de me vestra frustrentur. Quid enim tam insolitum tamque pavendum quàm labor in-*

jungatur fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti ? Et tamen non diffidimus, neque deficiemus, quia non in operibus nostris sed in illo confidimus qui omnia operatur in nobis. Divina namque dignatio, quæ me indignum in summum gradum provexit, juxta Apostoli verbum, idoneum ministrum ad tantum onus subeundum faciet. His dictis assentiunt omnes, collaudantes Deum qui talem suo gregi dignatus est exhibere pastorem. Hæc & similia hinc inde affati sunt verba, quæ nec mens mea concipere nec calamus scribere posset. Quare contentus ero judicio lectoris æstimanda relinquere ; qui accuratiùs perpendere poterit quæ & qualia in tanta acclamatione ultro citroque acta fuerint. Denique magno jubilo hora nona ferventeque sole sanctissimus Præsul cum ingenti caterva à prædicto monasterio egreditur, & tali ordine ac pompa urbem versùs procedit. Equites quos sancta sedes habet ut aliis viam facerent, anteambulones præibant. Eos secuti sunt pedites custodiæ. Continuò scutiferi cum reliquis officialibus curiæ vestibus rubeis insigniti. Vltimus verò Magister domus cum Prælatis domesticis gradiebatur. Postremò autem parafrenarii sacram majestatem ambibant. Nam de more est, ob dignitatis pontificalis excellentiam, ut nullus quantæcunque dignitatis ejus latus tegat. Et illico eum sequebantur reverendus Dominus Doctor de Agreda Protomedicus & magister Petrus præcipuus camerarius ; quibus consuetudine seu prærogativa speciali talis locus conceditur. Et statim illustris atque conspicuus cœtus Cardinalium sequutus est. Postremò autem Oratores, Consules, magnates & nobiles, deinde turba plebeia, quæ ad spectaculum novum accesserat ; qui omnes, etsi disparis gradus, compositi tamen ordinatique procedebant. Nimirum cùm tanta esset fama sanctimoniæ literaturæ-

que sanctissimi viri, ut quasi infelix quisque putaretur qui faciem ejus non cerneret; unaque voce clamabant *Benedictus qui venit &c.* existimantes per eum Ecclesiam renovandam atque omnia reducenda in sanctorum patrum pristinum statum. quod maximè ipse conceperat, licèt non fuerit executus; ideo forsan quòd fragilitas nostri temporis censuram districtionis illorum temporum non patiebatur; aut fortasse, nec immeritò, quia indigebat plusculo tempore ut maturiùs rem tam gravem conficeret; ne opera & consilia præcipitare videretur, ordinem priorum Pontificum abolendo. Sed pia fuisset laudabilisque talis commutatio rerum, quæ sinceriorem Ecclesiæ statum redderet. Antiquus tamen hostis impedierat, qui semper bonis operibus insidiatur: quia, ut verum loquar, nihil aliud magis animo Pontificis affixum persensi quàm statum Ecclesiæ reformare. de quo aliquid inferiùs tangetur. Et ne multùm ab instituto dilabamur, cùm jam clementissimus pater portis appropinquaret suo celebri ac illustri comitatu stipatus, aderant fornices perpulchri in ipso primo aditu ad exemplar antiquorum cùm triumphantem imperatorem debellatis hostibus Romani excipiebant; quorum vestigia in urbe adhuc extant. Quot deinde & quanta post urbis ingressum per vicos & plateas fuerint gesta, veluti peregrinus, minimè investigare potui, quia nec locus quidem præ nimia turba singula considerandi concedebatur. Et prædicto processionis ordine in basilicam Apostolorum Petri & Pauli; ac circiter meridiem audita Missa, illico in sacrum palatium eidem palatio contiguum proceditur. Et propter serotinam prandii horam brevi à Cardinalibus reverendissimis, Oratoribus, ceterisque magnatibus expeditus, ne tamdiu Pontifex maneret impransus, stratis mensis accubuit. Reliqui autem catervatim

huc & illuc fervido sole in hospitia domosque divertebant. Dies hic festus, quamvis magnæ solennitatis, nostratibus tamen injocundus, cùm marcidi ex longa navigátione nesciebant quò se reciperent.

XXII. *DE CORONATIONE Adriani Papæ.*

BEatissimus noster Papa ut Romanum servaret morem, juraque custodiret, ad suam coronationem intendit animum priusquàm aliud quicquam exordiretur, ad omne tollendum dubium, id quod superiùs tetigimus, possetne Papa quicquam expedire ante suam coronationem, cùm in Decretis quicquam agere posse prohibeatur, maximè in cap. 1. 23. *dist.* cujus verba sic se habent. *Postquàm electio fuerit facta, si bellica fuerit tempestas, vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit ut is qui electus est in apostolicam sedem juxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen, sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam & disponendi omnes facultates illius. quod beatum Gregorium ante suam consecrationem cognovimus fecisse.* At si quisquam Romanorum Pontificum ante suam coronationem aliquid attentare præsumeret, prædictis duntaxat duobus exceptis casibus, præfatus textus graves infert pœnas; cujus lectio talis est. *Quòd si quis contra hoc decretum nostrum synodali sententia promulgatum quasi per seditionem vel præsumptionem aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit, auctoritate divina & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum suis auctoribus & fautoribus & sequacibus à limitibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur sicut Antichristus & invasor & destructor totius Christianitatis, neque aliqua super hoc ei audientia*

reservetur, sed ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque fuerat priùs, sine retractatione deponatur; cui quisquis adhæserit, vel qualemcunque tamquam Pontifici reverentiam exhibuerit, vel in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quòd si quis hujus nostræ sanctæ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere & perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non resurgent in judicio, reputetur, omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum Ecclesiam præsumit confundere, in hac vita & in futura furorem sentiat. Fiat habitatio ejus deserta, & in tabernaculis suis non sit qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus commoveatur ipse, & filii ejus mendicent & ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria, & omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant & in hac vita super eum apertam vindictam eorum ostendant. Observatores autem hujus nostri decreti omnipotentis gratia protegat & auctoritas beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat. Quapropter Adrianus maximus juris gnarus pœnas & interminationes hujus textus ut evitaret, etsi ob extravagantem prælibatam illæsa mente cuncta apostolicæ sedi occurrentia posset explicare, tamen quia bonarum mentium est timere culpam ubi non sit, ignari vulgi nemini parcentis opinionem fugiens, quàm ociſſimè potuit inthronizationem suam facere decrevit. Igitur cùm prædictam suam coronationem proxima Dominica fieri destinasset, hoc biduo nihil insigne ab eo gestum esse cognovimus; quoniam ob temporis angustiam om-

nia fercula & ornamenta ceteraque necessaria in tantam festivitatem portabantur. Et quidem omnia ita splendidè copiosèque facta sunt ut quispiam diceret multò antè parata fuisse. Vnum pro certo affirmare audeo, quòd si in negotiis futuris eam diligentiam impartiretur noster Pontifex qualem in itinere & coronatione adhibuit, nullus prædecessorum, exceptis tamen canonizatis, eum præcelleret; & si quid remissionis illi quisquam ascriberet, re vera ut testis oculeus audacter assero potiùs officialibus imputandum, qui tardè & difficulter more Flandrorum expediebant negotia, ut experimento omnibus compertum fuit. Et quia sermo de coronatione Pontificis incidit, inter ejus gesta brevi compendio eam referre constitui. Primùm quidem pulcherrima aurea & argentea vasa à præfectis familiæ in sacellum peculiare principum Apostolorum intra basilicam divi Petri ad ornatum & ostentationem potiùs quàm ad necessitatem allata sua serie ponuntur; quibus ipsimet familiares præficiuntur custodes. Deinde almus noster Papa magna celebritate in sede majestatis suæ circumstantibus Cardinalibus, magnatibus, innumeraque turba, à cubiculariis camerariisque ducitur in ædem Apostolorum ad sacellum beati Andreæ; ibique collocatur in solio quod cœtus Cardinalium circumstat, & prævia oratione gradatim genuflexo, deosculantur venerabiles pedes, & quamprimùm egrediuntur. In limine autem officialis quidam incendit stupam atque proclamat: *Beatissime pater, sic transit gloria mundi hujus.* statimque devenitur ad proprium sacellum beatorum Petri & Pauli, ubi eorum corpora requiescunt. Et cum ista majestate in pontificali veste ipsum magna humilitate ingressus est cum toto cœtu. Et facta oratione & confessione, nullo intervallo in propriam cathedram beati Petri in eodem sacello defixam

ascendit; ac Cardinales primos, Oratores secundos, Prælati tertios occupant accubitus. Capella tamen ipsa erat brevior quàm ut tot caperet; ubi in eadem cathedra Petri resedit Pontifex quousque epistola & evangelium cum ceteris Missæ solennibus absolverentur. Quibus peractis, ad sacrosanctum altare perveniens, cœpit ministrare. Cui Oratores & magnates in fastu ad manus lavandas deserviebant, malluvias ac alia pro hujusmodi obsequio deferentes. Missa coronationis celebratur populum versùs intuentem faciem Pontificis. Solennia verò Missarum quanta præterea & quali melodia cantores psallerent; & qualis fuerit loci majestas tanto viro tantisque columnis Ecclesiæ illustribus & magnatibus illustrata, tu ipse, prudens lector, considera. Si enim vultum angelicum Pontificis, dulcem vocem ceremoniasque conspiceres, potiùs divinum quid quàm humanum judicares. Et cùm piissimus pater illa sacrosancta mysteria peregisset, eadem solennitate qua venerat ad testitudinem templi revertitur. Et tanta erat hominum copia ut difficillimè via ad contabulatum locum, ubi actus coronationis celebrandus erat, pateret. Tandem post aliquod spatium non parvo labore ad locum deputatum ante fores basilicæ structum ornatu mirabili devenimus; atque ibidem quædam ceremoniæ sunt factæ orationesque recitatæ, quas in ceremoniali libro poteris legere. Nam longum esset omnia sigillatim describere. Sat mihi censeo, ne prolixus videar, ad pontificalem librum lectorem remittere, ubi hæc omnia latiùs tractantur. Inserere enim orationes in eo contentas potiùs esset molestum quàm necessarium aut utile; ideo maximè quòd officium illud adeo est longum ut ab hora nona ultra meridiem duraverit. Tanta nimirum mole & gravitate omnia fiebant. Hac peracta solennitate, antistitum maximus cum

fratribus, licèt hora intempestiva, ad prandium in aulam sacri palatii spatiosam basilicæ Apostolorum contiguam concessit; ubi mensæ, soli Pontifici prima ab aliis aliquantulum semota, Cardinalibus verò suo ordine præparatæ aderant. Cujus prandii apparatum obiter prosequar. Primò, ut à caliculis ordiar, custos abaci scyphos exposuit aureos ac argenteos cum vino albo purissimo ex oppido sancti Martini, ut reor, quod apud nostrates Hispanos in maximo pretio habetur, non infectum, ut solet, sed quale in eodem oppido sancti Martini bibitur, necnon cum vino flavo atque rubeo. Erant præterea alia diversa vina diversi saporis & coloris; ut quisque appetitui pro arbitratu satisfaceret. Post verò benedictionem pontificalem afferuntur uvæ in primis aliique generosi fructus, ac continuo pulli perdicini, phasiani, gallinæ, capones, carnes vitulinæ arietinæque, & cetera hujusmodi, quæ prudens speculator poterit considerare, qualia quantaque convivio lauto & opiparo convenirent. Nemo enim posset omnia brevi compendio perstringere. Et quamvis, ut fertur, in similibus conviviis venena formidari solent, in hoc tamen nullam assero toxici suspicionem fuisse. Iocundissima namque viscera Pontificis ita cunctos inæstimabili pietate afficiebant ut nihil in convivio infectum à quoquam credi deberet. Attamen reverendissimi Cardinales suos structores aulæ magistros & pincernas habebant; qui, etsi edulia essent communia, vina tamen propria deferebant. Propterea fortè quòd crebriùs in haustis virus misceri experimento liquebat, hac de causa pincernæ Cardinalium inserviebant poculis. Et mos iste sine injuria invitantis in urbe inviolabiliter observatur. Absoluto prandio, benedictione peracta, ecce cantores dulciter concinentes, item magno jubilo Cardinales, proceres, & innumera turba comitati sunt

Pontificem in secretiorem camerā palatii, unde facta copia, lætus in suum quisque sese recepit hospitium.

XXIII. *DE PVBLICA revocatione indultorum in cancellaria apostolica.*

SEd cùm semper lætitiam sequatur mœror, juxta illud nimirum Salomonis *Extrema gaudia luctus occupat*, die sequenti post hanc transactam gloriam ac pompam, Calendis Septembris, indulta Cardinalium à die notitiæ electionis suæ, videlicet vigesima quarta Ianuarij anni supradicti, esse revocata declarari jussit. De cujus revocatione inter alias cancellariæ sanctiones regulam edidit & publicavit. Id quod molestè pertulere illustrissimi Cardinales, id eo fortassis quòd ipsis ignaris fuerint revocata. Vnde provisiones medio tempore collatæ indultorum gratia illusæ atque frustratæ remansere. Sed cautè atque prudenter reverendissimi Cardinales pertulerunt. Deinde per aliquot dies nihil conspicuum egit præter restrictionem Referendariorum; qui cùm essent triginta numero, eos ad octo duntaxat reduxit. Quod etiam, ut opinor, seminarium odii in Pontificem fuit; quamvis à multis fuerit approbatum, quia tanta multitudo effrenis dispendiosaque videbatur. Qua occasione officiales ceteri graviter doluerunt, propterea quòd crederent totam curiam & Ecclesiam reformandam. Et hic, ut diximus, fuerat Pontificis animus. Considerans tamen hostis lividus novum Pontificem, novum hominem, multiplici virtutum gratia vernare, machinatus est uredinem, qua jam exortum meritorum germen posset suffocare, ne suum propositum perficeret Pontifex, cùm jam viros doctos & strenuos ex diversis locis ad hoc opus peragendum evocasset, eosque sæpe sæpius super hac

re consuluissent. At versutia Sathanæ & humana malitia longè aliter obstiterunt. Quapropter cùm viri docti in dies minùs proficerent, sensissentque mentem Papæ refrixisse, post breve tempus eò unde evocati fuerant, non perfecto modò sed neque incepto negotio, reversi sunt. Cessavitque reformatio illa quam multis antea diebus noster morum sanctorum censor mente conceperat. Postmodum verò sequutæ sunt legationes, quoniam potentatus, duces, magnates Italiæ, ut est moris, ad ipsum suos nuntios mittebant in publica concione causam suam perorantes, etsi secretò secretiora beatissimo Domino exponerent, cùm illa publica narratio causæ ad ostentationem potiùs quàm ad rei substantiam attineret. Oratores verò Imperatoris & Gallorum Regis, non publicè, sed secretò propter bella intestina, cum Pontifice sua negotia pertractabant. Necnon Helvetij, qui stipendium ab Ecclesia recipiunt ut in pace & in bello sint fideles, prætendentes diù observatum morem ut quoties legatos ad apostolicam sedem pro obedientia exhibenda miserint, expensas eis ab Ecclesia erogandas, ascribentes hunc sibi titulum, se fidei tutores & velut patronos, subindeque hoc sibi jus vendicant. At nostra tempestate non jure assumunt sibi titulum hunc. Magna enim pars ipsorum Luteranam hæresim est amplexa. Vtcunque tamen sit, gloria hujus mundi parum duratura ad hunc statum eximium nostrum Pontificem per gradus evexit, cùm primùm exigentibus meritis ac literatura in Decanum Lovanii, deinde ob vitæ exemplum in magistrum sacræ Majestatis Caroli quinti Imperatoris nostri semper Augusti fuerit electus, qui eum ad Hispanias gubernandas miserat, ubi Dertusensem episcopatum & temporis successu lauream cardinalatus atque officium generale sanctæ inquisitionis, & cùm de virtute in virtutem crescceret, sine cujusquam offendiculo apicem pontificatus adeptus est.

XXIV. *DE INFORTVNIIS quæ obvenerunt apostolicæ sedi Adriano eam gubernante.*

HActenus narravimus felicitates prosperumque Papæ Adriani successum; qui profectò sine controversia gradatim jure optimo assecutus est fastigium apostolatus. Nunc verò referamus casus & ærumnas quas spectatissimus vir usque ad obitum æquo animo passus est. Hinc enim proclivis, cùm invidia neminem voluit in culmine rotæ diù sustinere, secreto Dei judicio in calamitates diversas usque ad obitum, exemplo beati Iob, ut ejus bonitas & sanctimonia tamquam aurum in fornace probaretur, prolapsus est. Nam vix se collegerat cùm Oratores Vngariæ Regis suam afflictionem & ærumnam ab Imperatore Turcarum illatam deplorantes, lacrymosis singultibus proclamabant. *Pater sancte miserere, miserere reipublicæ Christianæ, quando Mahometica superstitio, perfida impietas sacrosanctam Christi religionem, fidem, pietatem usque adeo jam oppressit ut vix caput attollat. Nonne vides tu, pater beatissime, perfidos hostes extremam nostræ religionis pestem atque perniciem machinantes? Annon vides primarios Christiani nominis ductores nescio qua infelicissimi fati invidia, dum inter se mutuis armis digladiantur, non modò non repugnantes tantæ Turcarum immanitati, sed eam potiùs per contentiones & dissidia nutrientes? Vnicus Archidux Ferdinandus publicam propugnandæ religionis causam solus per hoc tempus suscipit. Quapropter, clementissime pater, lachrymis deprecamur ut tantæ perniciei subvenire digneris.* Qui vix satis desierant cùm accesserunt legati prædicti Archiducis Austriæ, Infantis, ut aiunt, Hispaniarum, postmodum Romanorum Vngatorumque Regis, qui in hæc

verba apostasiam exposuerunt Luteranam. *Aspice, pater pientissime, quanta injuria universus terrarum orbis ex perversis & perditis moribus totus ferè prodierit redemptori suo contumax ac rebellis. Hæreses undique pullulant, ubique erumpunt, ubique propagantur; quibus infelix plebs & ad omnium rerum novandarum varietatem semper exposita velut pestifera quadam contagione tabescit, adeo ut non contemnenda Europæ pars, & quæ hactenus omni monstro caruit, tota sui dissimilis evaserit; quoniam cum religione superstitio, cum fide perfidia, cum pietate impietas, cum veritate mendacium nullo pacto cohæret. In quo tanto incendio, ne in majores flammarum vortices erumpat, extinguendo sanctitas tua Fernandum vel præcipuum adjutorem habebit: qui ut est acerrimus Christianæ veritatis assertor, nulla difficultate perterritus, in id totus incubuit ut Luterus iste draco, unde hoc omne venenum effluxit, ex miserorum mentibus eruatur. Proh dolor, voracitatem istam exortam ab ecclesiastico & religioso viro! Sed non novum est, quia, ut inquit Hieronymus, veteres scrutans historias invenire non potuit aliquos alios scidisse Ecclesiam & de domo Domini populos seduxisse præter eos qui sacerdotes à Deo positi fuerant & Prophetæ in speculatores; ut in cap.* Transferunt 24. q. 3. *At cùm jam Luterus ille suæ rebellionis & apostasiæ plures obtinuerit eosdemque obstinatissimos sectatores, nequaquam prædictam apostasiam Christianissimus Archidux evellere potuit. Propterea, pater sapientissime, accingere fortitudine, & exurgat Deus, & judicet causam suam.* Multa alia eleganti stylo in fidei favorem perorata sunt quæ longum esset referre; ac mihi quidem, quo ad præsens attinet, sufficit tetigisse.

XXV. *DE ACERRIMA PESTE qua negotia cessarunt.*

POstmodum verò per plures dies negotia siluerunt, eò quòd pestis acerrima in dies invalescebat. Nam tempore quo Romam adivimus orta, singulis diebus subrepens, usque ad maximam stragem crevit; cujus prætextu principes Ecclesiæ Cardinales, Archipræsules, ceterique Prælati & curiæ officiales ab urbe secesserant. Sed Prælati, magnates, & nobiles, cum cetera turba quæ ab Hispania in Italiam sanctissimum patrem fuerat sequuta, non discesserunt, cùm vidissent Pontificem, tamquam bonum navarchum, naviculam Petri tot tempestatibus fluctuantem non deserere; & sicut servi fideles in tranquillitate, ita in tumultu epidimiæ & angustiis inserviebant. Ideoque plures è nostratibus quàm ex aliis in morbidam luem ceciderunt, quia potiùs mori quàm eum relinquere decreverant, usque ad extremum halitum, ut inferiùs dicetur, in sua fidelitate permanentes.

XXVI. *DE MILITIBVS IN Hispania conscriptis & in Italiam adductis.*

SEd quoniam suprà pollicitus sum navalem armaturam & gesta militum me recensiturum, hic inserere existimavi, & primùm fluctus concitatos marisque tempestatem, qua penè obruti fuerunt. Nam profectò multa & gravia sunt perpessi, præcipuè tempore illo quo fuimus in Portufi, & rursus cùm ad ostia Tyberina accessimus. Sed nos in portu, illi verò in alto mari. Vnde nostrum & illorum discrimen fuit dispar. Ceterùm cùm omnes convenissent ad portum veteris civitatis vulgariter nuncupatæ *Civitavieja*,

magno periculo & labore cum reliqua turba littoribus optatis potiti sunt; & in urbe ipsa aliisque locis adjacentibus per aliquod tempus permanentes, infirmitate aut inedia multi perierunt. Tandem cùm decretum esset milites ad expugnandum Ariminum proficisci debere, quam Dominus de Malatesta occupatam habebat, post aliquam cladem deventum est ad urbem Ariminum, quam obsidentes sunt castrametati. Vbi Dominus Franciscus Maria cognomento de Ruvere Dux de Vrbino, Comes de Montefelcro, Dominus de Pesaro & Senagalla, Vrbis Præfectus, tanquam feudatarius Ecclesiæ, multis equitibus feudum sponte offerens affuit. Quam præfecturam illi donaverat avunculus ejus Julius Papa, de cujus cognatione ducebat originem. Quæ arbitrio Pontificis conceditur ad vitæ duntaxat tempus illius qui donat; & est magnæ auctoritatis magistratus, præcipuè in coronatione Imperatoris, cui Præfectus Vrbis coronam imponit. Quæ præfectura hodie imago & umbra est præfecturæ priscorum; ut videri potest titulo *De officio Præfecti urbis in Digestis.* Præfectura enim omnia omnino crimina urbis sibi vendicavit, neque tantùm ea quæ intra urbem admittuntur, verùm etiam quæ extra urbem, dum intra Italiam patrentur. Quies quoque popularium, & disciplina spectaculorum, necnon dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem, & cura carnium & armentorum, ut justo pretio vendantur, ad Præfecti Vrbis curam pertinet. Et ut brevi compendio constringamus, Imperator Vrbem fidei Præfecti commiserat, ut latiùs in præfato titulo tractatur. Et ne nimiùm à materia divertamur, per multi magnates & nobiles in subsidium supradictæ expeditionis Ariminum venerunt. Denique tyrannus ille Malatesta hinc inde constrictus, post mensem ad obedientiam deveniens, civitatem Ecclesiæ restituit. Et cùm exercitus ferme

tota

totahyeme per campos Italiæ discurrisset, febris crebra milites invasit, adeo ut partem dimidiam totius exercitus obiisse crediderim; qui etsi non parva jactura, terras tamen Ecclesiæ inquietas pacavit.

XXVII. *OBSIDIO ET excidium Rhodum.*

INter has simultates & pressuras, ecce obsidio Rhodia è vestigio eminuit; cui pastor Ecclesiæ, quamvis à munificentissimo Episcopo Conchensi instantissimè efflagitaret ut à reverendissimis Cardinalibus ac aliis Prælatis auxilia peteret, cùm manifesta cunctis esset inopia sedis apostolicæ, ac ne eorum quisquam se excusaret, primus ipse Conchensis polliceretur se omnia vasa aurea & argentea allaturum in pecunias conflandas, ut reliqui aut religionis gratia aut pudore sua vasa deferrent, hujus efflagitationi assentiri noluit. Atque à multis nobilibus & centurionibus Hispanis interpellatus ut eos in subsidium Rhodum mitteret, eis concedere noluit, tum ob simultates recentes, tum etiam propter nimiam inopiam cameræ apostolicæ, & præcipuè quia Prior Capuanus Præceptor militiæ ordinis sancti Ioannis se obtulit, paucis navibus sibi traditis, Rhodiis opem ferre. Tunc sanctissimus pater zelo fidei accensus misit quendam ex Capellanis Magistrum Petrum Barbirium Genuam, qui magna diligentia & solicitudine classem pararet quam Priori Capuano traderet. Paulò post allatæ sunt litteræ Magistri Rhodii Pontifici nostro, quibus obsidium ac statum belli significabat. Præterea instanter deprecabatur ut beatissimus Papa dignaretur ineunte vere anni sequentis sibi suisque auxiliari. Vsque ad illud nempè tempus civitatem magistrosque militiæ ac milites suos fore tutos arbitrabatur. Securitatem verò medio hoc tempore

Magister militiæ ideo fortè obtulit quòd cùm hyems instaret, Regem Turcarum deserturum castra & obsessionem non immeritò conjiciebat. Illum tamen omnino fefellit opinio, cùm contra eò ardentiùs, non in dies modò, sed in horas etiam civitatem circumvallaverit; quæ septem continuos menses per summas difficultates obsessa, cùm terra, tum vero mari, acerimè oppugnaretur, tandem expugnata succubuit. O infelix illa Rhodiorum militum manus, quæ sola tam gravis & ærumnosi belli pondus molemque sustinuit, partim jam trucidata, partim vulneribus ac inedia penè confecta; cùm interim nullus adhuc Principum (ô inauditum torporem & socordiam!) ad propugnandum suppetiasque amicis laborantibus ferendum accingeretur. Heu miseram atque infelicem Rhodiorum militum sortem! O cœcas nostrorum Principum mentes, quos tantus perturbationum stupor oppressit ut perinde ac in theatrali ludo, Rhodo capta, Christiani milites occisi spectentur, nulla non modò classe, quod factu facillimum erat, ad opem laborantibus ferendam instructa, sed nec cymbula quidem aut lintre ad miseros illos solandos emissa. Quod verò ad nostrum Pontificem attinet, cur ipse quoque in ope ferenda remissiùs egerit, non est quòd incusetur. Nam habito consilio cum viris strenuis in rebus bellicis ac bellorum expertis credidit Magistrum equitum Rhodiorum & milites civitatem per totum ver propugnaturos; quia non credebant ipsi bellici viri eos ad veris duntaxat introitum auxilii dilationem debere præscribere. Propterea Pontifex consilio peritiorum acquiescens, dictum Petrum à navali expeditione revocavit, ne intempestivè, cùm periculum præsertim non esset in mora, fierent expensæ; maximè cùm camera apostolica summa laboraret inopia. Et cùm tota curia magno mœrore afficeretur tot undique occurrentibus malis, calamitas

& mœstitia urbis pro tempore cessavit, delatis literis prædicti Magistri equitum Rhodiorum, eò maximè quòd existimarent Turcam immanem fidei inimicum tempore brumali ab obsidione discessurum, & tunc Pontificem, Imperatorem, Regesque Christianos Rhodiis suppetias esse laturos. Sed hæc nos opinio, Dei tamen occulto judicio, fefellit; quoniam Turca ferus aper non discessit ab obsidione, neque eum tempestas neque imbres aut bruma terruerunt. Qui non solùm urbem constrinxit, verùm etiam maria vetuit, commeatus & auxilia obsessis intercluſit, ne quisquam Rhodum adire aut inde egredi posset. neque poterant naves ad portus accedere. Et hac causa de ejus statu nihil Romæ significatum est quousque die nativitatis Domini hujus anni, cùm Pontifex ad rem divinam audiendam vellet progredi, & milites custodiæ suo ordine componerentur ut arcerent turbam, ne ab ea opprimerentur, ecce lapis decidit ex fornice sacelli sancti Sixti intra palatium extructi, qui quendam miserrimum virum stationatium contrivit, aliumque semimortuum commilitones abstraxerunt. Quo prodigio stupefactus Pontifex, quasi in extasi capellam intrare formidabat. Attamen cùm omnia essent parata, decrevit in sacellum ingredi ut divina audiret officia, ne tanta solennitas natalis dominici omitteretur. Et continuò exclamatum est per seniores Romanos Rhodum esse captam, illam nimirum assignantes causam quòd cùm Constantinopolis à proavo istius Mahometici Principis expugnata fuerat, alius inde exciderat lapis; & hoc signo cognoverunt excidium Rhodium. In hoc loco, nisi aliò properarem, liberet extendere calamum. Dimissis enim quæ de prodigiis Iulius Obsequens memoriæ mandavit, iis quoque quæ Polydorus Vergilius scripsit, multorum sanctorum patrum sententias huc possem afferre. Illud tamen duntaxat

non prætermittam, Dei justo judicio quosdam ejusmodi prodigiorum ostentatione ideo decipi, aut quia id eorum meruere peccata, aut talis credulitas aliquo prætextu fucata superstitiosorum hominum culpam obnubilet reddatque leviorem. Gregorius tamen in expositione sacri eloquii, scilicet, *Erunt signa in sole & luna &c.* hæc verba dicit: *Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus ipsum qui humani generis fusus est sanguinem coruscantes.* Ex quo loco elici potest nonnunquam similia præsagia certitudinem habere. Sed ut ad rem redeamus, proh dolor, cùm tot Principes Christiani armis potentes, virtute strenui, toto orbe diffusi essent, nullus tamen eorum movit pedem, quasi eorum nihil interesset, in Rhodiorum subsidium, præter Dominum Didacum à Toleto Priorem militiæ sancti Ioannis in Castellæ provincia, filium illustrissimi Ducis Albani, necnon Priorem ejusdem ordinis regni Aragoniæ, Castellanum de Amposta cognominatum. Qui singuli singulas naves ex Hispaniis in Siciliam ad portum Messanæ qui dicitur Mecinas adduxerunt; expectaruntque diù alios Priores vel Commendatarios alioslve quoslibet Christicolas, ut simul omnes suppetias ferentes Rhodum navigarent. Frustra tamen expectavere, cùm nullus ad rem tam piam aut zelo fidei aut amore reipublicæ Christianæ incitaretur, decepti fortasse brumam fugaturam tyrannum illum, quantumvis immanem. Hinc intelligi potest religio & virtus nostratium. Atque si mihi absque suspicione liceret, animum Christianum eorum extollerem, ni satis ipsa experientia monstraret, maximè ab illustri & felici tempore Gundisalvi Fernandez ob excellentiam gestorum magni ducis nuncupati. Ceterùm cùm prædicti Priores ab omnibus destituerentur, capta Rhodo à portu Messanio in Vrbem se contulerunt visitatum limina Apo-

stolorum deosculatumque sacros Pontificis pedes. Et post aliquot dies in Hispaniam reversi sunt.

XXVIII. *DE SECVNDA revocatione expectativarum.*

HVcusque nonnulla adversa Christi vicario recensuimus, quæ ipse, ut diximus, lege Christiana vultuque hilari, sicut prospera, æquo animo pertulit. Redeamus nunc ad discursum actorum ejusdem sanctissimi patris. Qui cùm materiam reservationum & expectativarum sacris canonibus inimicam, ac perinde eorum observantissimus exosam haberet, Cæsaraugustæ omnes beneficiorum expectationes, ut prædiximus, octavo Calendas Maii revocaverat. Quarum revocatio cùm sit facti & in facto consistat, posset inculpabiliter ignorari. Vt ergo in omnium veniret notitiam, dictas expectationes in cancellaria apostolica, ne ampliùs ab aliquo ambigeretur, quinto Idus Decembris palam irritas nuntiari jussit. Demum revocatione facta, adeo pestis acerrima increvit ut Cancellariam & Rotam claudi negotiaque cuncta silere ac Pontificem cum familia intra septa palatii detineri oporteret, ut nemini ex urbe aut ex familia, nisi vocato, ad eum pateret accessus, neque cuiquam familiari urbem adire permitteretur; qui, si secùs faceret, eo ipso à consortio palatii ablegaretur. Et adeo complacuit hæc monastica vita Pontifici ut usque ad mortem ferme eam servaverit. Cujus rei causa nonnulli Cardinales aliquantulum sedata peste Romam reversi, cum populo querebantur quòd non esset ad quem pro suis querelis posset haberi recursus. Vt testis domesticus & oculeus, si dictis meis fides adhibenda est, hanc culpam usquequaque illi non audirem imponere. Considerata namque probitate Pontificis, illis potiùs ascri-

Vide suprà cap. 1. & 7.

berem quorum ministerio & consilio Pontifex utebatur; qui sibi tantùm nixi sunt vendicare Pontificem, ut sub contagiosæ epidimiæ prætextu, ejus commercio soli fruerentur & alios prohiberent. Quibus consiliariis plusquam expedierit, cùm alias esset formidolosus, se confidebat. Et fideliter asserere audeo nullum multis retro temporibus Pontificem in studiis & negotiis tantum elaborasse. Sed quamvis solicitè, irrito tamen labore; quandoquidem ejus labores Sathanæ malitia concutiebantur, cùm per manus ignavorum officialium domesticorum negotia essent expedienda. Quorum nomina ideo silere decrevi, ne cùm aliis in hoc proficere nequeam, illis officiam. Pontifex tamen adeo incumbebat labori ut existimaret pontificatum, mare magnum & spatiosum, suo claro indefessoque ingenio esse moderandum. Et iste assiduus labor causa fortassis fuit ejus intempestivæ mortis; quia omnia propria manu quasi tangere atque æqua lance librare volebat. Tractu temporis multis gubernatoribus, præsidibus, vel arcium custodibus tam diversas urbes quàm Ecclesiæ castra commisit.

XXIX. *DE EXPEDITIONE negotiorum, breviumque missione ad Principes Christianos super pacis observatione.*

AT cùm divina clementia sua immensa caritate pestem illam à Romano populo primo ineunte vere anni vigesimi tertii supra sesquimillesimum avertisset, jussu sanctissimi Papæ aperitur Rota, & negotia expeditionesque suo ordine procedebant. Priùs enim propter contagiosam illam tabem causarum actio cessaverat. Deinde reverendissimi Cardinales ac alii curiales egregii, qui timore pestis aberant, paulatim ad urbem redierunt; consistoria-

que publica fiebant, ea causa maximè ut Imperatorem & Regem Franciæ invicem divisos concordi pace ligarent, maturiorique consilio pastot Ecclesiæ cum suis fratribus dissidentes ad pacem reduceret. Ad quos assiduè litteras & nuncios miserar, in cassum tamen, quoniam antiquus sator zizaniarum iram intestinumque odium adeo fixerat in illorum cordibus ut concordiæ semen sanctum & monita salutis non exciperent, neque dissidium illud intestinum ab eorum visceribus evelli aut eradicari potuit. Et hac via sanctissimus Papa optatum consequi finem non valens, ad juris rigorem se convertit; eos monendo & sub excommunicationis pœna præcipiendo ut à bellis & simultatibus infra tempora in litteris bullatis præscripta discederent & ad concordiam caritatemque redirent. Quas litteras numero triginta duas expeditas propriis oculis vidi ad omnes Principes Christianos, potentatus, dominationes, & magnates non recognoscentes superiorem missas quos in partes Imperatoris aut Regis Francorum propensos conspeximus, quibus monebantur ab illis factionibus secedere & pacem sub eisdem pœnis inire. Verùm hæc ne videantur aliquibus peregrina subindeque sua fide carere, cùm præsertim diù bellis durantibus inter Regem Catholicum & Reges Franciæ, Pontifices nunquam eo remedio usi sint, propterea fortassis quòd Pontifices non pacifici his aut illis partibus adhærebant, jure tamen cautum est 90. *distinct.* præcipuè in Conciliis Carthaginensibus, quorum verba hæc sunt. *Studendum est Episcopis ut dissidentes fratres, sive Clericos, sive laicos, ad pacem magis quàm ad judicium coërceant.* Et eodem Concilio : *Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque gazophilatio recipiantur.* Item in Concilio Agathensi, cujus series talis est. *Placuit etiam ut (sicut plerunque fit) quicun-*

que odio aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diuturna obstinatione nequiverint, à sacerdotibus civitatis primitus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. Ideo peritissimus Papa juris censor priùs voluit ad arma spiritualia, quæ propria sunt Ecclesiæ, recurrere quàm corporalia movere. Ista tamen remedia, etsi sancta & juri consona, tamquam futilia & supervacua illi contemnentes, in suo indurato corde perseverarunt. Et in dies ventum est ad ultimum præcipitium, ut nostris peccatis in præliis Longobardiæ & Mediolani periculo comperimus; gravioraque damna formidabamus, nisi Deus sua clementia avertisset. Atque his dissidiis, ut fama erat, originem dedit comprehensio reverendissimi Cardinalis * Volterrani, qui accusatus fuit crimine læsæ majestatis imperialis, eò quòd arguebatur cum aliis nobilibus regnum Siciliæ in Gallorum manus traditurum, & hac occasione, tamquam particeps conjurationis, in sancti Angeli castellum jussu Pontificis per Dominum Ferdinandum de Sylva ipsius Papæ custodiæ ducem die vigesima sexta Aprilis anni prædicti missus est atque ibidem detentus, honestè tamen, sicut ejus dignitas exigebat, usque in ultimum exequiarum beatissimi Papæ diem; quo cum aliis Cardinalibus ingressus est conclave, ut suo loco opportuniùs referemus.

* Francisci Sòderini.

XXX. *DE CANONIZATIONE beatorum Antonini & Benonis.*

ET quia inter alia gesta per Pontificem memoranda potissimum fuit canonizatio beatorum Antonini Florentiæ Archiepiscopi necnon Benonis Saxoniæ, quam celebravit Calendis Maii prædicti

anni, propterea huic opusculo, tamquam dignissimam rem, tali forma celebratam annectere volui. Sed priùs quærendum est quid sit canonizatio. Secundùm Ioannem Andream *cap.* 1. *De reliquiis & veneratione sanctorum* canonizare est aliquem per summum Pontificem catalogo sanctorum adscribere, cùm nemini liceat aliquem, etiamsi miracula fecerit, ut sanctum colere, quia sæpe per malos quædam quasi miracula fiunt. Magna præterea cum instantia petenda est canonizatio; neque Papa facilè moveri ad inquisitionem sanctimoniæ canonizandi, immo debet commissionem differre illius vitæ indagandæ, ut videatur interim an fama & miracula continuentur. Quod si fiat, tunc committit inquisitionem super vita & miraculis hominis canonizandi; ut latiùs hæc traduntur in dicto capite primo. Primùm quidem causa prædictorum per Pontificem commissa fuit judicibus in locis Florentiæ & Saxoniæ, ut diligenter per testes de vita, moribus, & miraculis præfatorum Antonini & Benonis informarentur, sicut jura decernunt, præcipuè textus capitis *Venerabili*, De testibus, cujus litera talis est. *Venerabili fratre nostro Episcopo & Capitulo Corisopitensi ac universis Abbatibus apud Cistercium in generali capitulo congregatis.* Et infrà. *Discretioni vestræ mandamus quatenus testes quos Abbas & monachi sancti Martini Cistercienſis ordinis super vita & miraculis piæ memoriæ * M. Abbatis monasterii suprà-dicti duxerint producendos, examinare sigillatim curetis cum ea diligentia quæ solet & debet in receptione testium adhiberi.* Informatio itaque prædictorum Antonini & Benonis per judices juxta mandatum apostolicum habita sub fideli custodia mittitur ad Papam; eamque ipse uni ex Auditoribus sacri palatii examinandam tradidit, ut per eum discuteretur an fuerit jure facta, & probationem sufficientem

* Mauricij

ad canonizationem sanctorum fuisse perpenderet. Qui quidem idoneam se comperisse informationem & juridicam Pontifici retulit. Quam iterum pater sanctissimus theologis commisit, qui dijudicarent an mores, vita, & miracula sanctorum digna essent necne ad illos canonizandos. Et juxta eorum vota, quoniam omnia rectè fuerunt reperta, astantibus sanctissimo Domino Nostro Papæ cum reverendissimis fratribus Prælatis ac multis aliis viris literatura & nobilitate claris, canonizatio in publico consistorio proposita fuit in hunc modum. Duo Advocati consistoriales declamatoriè, alter quidem unius, alter verò alterius vitam, miracula, & alia hujusmodi, ut manifesta fierent cunctis, radicitus exposuerunt, exorantes beatissimum Papam ut illos viros, qui sanctitate & exemplo in via suæ peregrinationis eminuerunt, catalogo sanctorum aggregare vellet. Deinde Pontifex post illorum narrationem gratias Deo egit, qui nunquam etiam usque in finem seculorum sanctos & justos elargiri desinit. Et ut sanctiùs omnia procederent, triduum jejunium & preces Deo effundendas Prælatis omnibus indixit, ut ipse sua bonitate in eorum corda, si vera essent miracula, illorum approbationem cælitus infundere, sin autem falsa, avertere dignaretur. Et peracto jejunio, Cardinales & alii Præsules cum beatissimo Domino Nostro in palatium convenerunt, & in publica concione de eorum vita & sanctimonia, utrum approbatione vel improbatione digna essent, prout cuique desuper datum est, conferebant. Et licèt multi ex Præsulibus actum istum decorantibus solenniter materiam disseruissent, præcipuus tamen fuit integerrimus pater Dominus Didacus Ramirez Episcopus Conchensis, prudentia & literatura refertissimus. Et post longam altercationem inter omnes convenit viros sanctos approbari. Itaque post biduum aut triduum sanctissimus cum

clero & populo ad basilicam Apostolorum in locum contabulatum eminentiorem ascendens, inter Missarum solennia alta & intelligibili voce ipsorum laudes pertractans, omnesque ad bene agendum exhortans, his verbis concionatus fuit. *Gloriosus Deus in sanctis suis & in majestate mirabilis; cujus ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicij cœlestia pariter & terrena disponit, etsi cunctos suos ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cœlestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum & præmiorum uberiori retributione prosequitur quos digniores agnoscit & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma mater Ecclesia ejus sacra vestigia prosequens, & exemplo ducta laudabili, licèt universos in regnis cœlestibus constitutos studiis honorare solicitis & sonoris efferre præconiis non desistat, Antoninum tamen & Benonem electos Dei athletas specialibus disponit honoribus venerari. Ideoque circumspecta prudentia dictæ sedis, quæ actibus intenta salubribus & operibus exposita pietatis libenter & solerter exequitur quæ sunt Dei, præmissa solicitè dignèque considerans & debita meditatione perlustrans, ad divini nominis honorem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, salutemque fidelium meritò censuit riteque providit servos Dei per sanctam & catholicam Ecclesiam esse colendos. Nos itaque piis ducti consiliis, dignisque studiis excitati, nonnullos prædecessores nostros Romanorum Pontificum specialis devotionis prosequentes affectum imitari solicitè intendentes, qui aliquos sanctos canonizavere, de consilio fratrum nostrorum pariter & assensu beatos Antoninum Florentiæ Archipræsulem atque Benonem Saxonensem catalogo sanctorum ascribimus, festaque illorum, Missas, & officia in eorum commemorationem per universas orbis Ecclesias singulis annis perpetuis*

futuris temporibus celebrari concedimus & ordinamus. Astantes verò concordi jubilo collaudaverunt Dominum dicentes : *Te Deum laudamus &c.* Et quamvis summa pecuniarum non exigua in simili actu, tum in pontificia familia toganda, tum in aliis impendiis soleat consumi, circumspectissimus tamen Papa tales sumptus, quasi alienos à sanctimonia & à puritate canonizationis, fieri vetuit. Quod rarò (cùm pecunia magno pretio habeatur) visum inter homines censeo. Sed non absque querela familiarium aliorumque suam mercedem frustra expectantium actum est.

XXXI. *DE LEGATIONE & suppetiis in Vngariam missis.*

MEnse Iunii anni supradicti reverendissimum Cardinalem Minervæ, Caietanum nomine, in Vngariam cum quinquaginta millibus ducatorum in subsidium contra Turcas regnum illud invadentes atque legationis officio functurum, virum in literis sacris eximium, ordinis sancti Dominici, bellorum omnino expertem, vicarius Christi misit, etsi alium aptiorem huic rei illuc mittendum curare posset, ut qui paulò antè illustrissimum Columnensem Cardinalem, virum strenuum, hujusmodi legationi satis idoneum, mittere decreverat, attamen ob pecuniarum penuriam, cùm ex claro sanguine ortus ampliorem comitatum ducturus, facturusque esset majores expensas, propterea Cardinalis ipse honestiori modo quo potuit, hoc prætextu se excusaverat. Quocirca prædictum reverendissimum Cardinalem Minervæ in illius locum suffecit, qui propter instantem necessitatem citiùs in Vngariam se contulit; ac paulò post ejus adventum stragem magnam indigenæ Turcis intulerunt, quoniam, ut ex literarum inde missarum exemplari percepi, tredecim mille à paucis Christi-

tolis industria & ingenio eos invadentibus obtruncati sunt, cùm furtim expugnare castrum aut prædas agere niterentur. Reverendissimi tamen Cardinalis labor irritus propè fuit, cùm in dies major pars Vngariæ veniret in manus Turcarum ; & quod calamitosius accidit, Rex ipse Vngarorum pro defensione regni & fidei à Turcis anno vigesimo quarto supra millesimum quingentesimum in prælio occisus est. Ac post aliquot dies monachus quidam putans sibi licere à clausstro exire militiæque intendere, eò maximè quòd reverendissimus Minervæ Cardinalis quasi cum Turcis conflicturus Vngariam petiverit, vel fortè quia in subsidium Christianæ reipublicæ se accingeret, Romæ multos pedites ob Dei amorem nullo alio stipendio collectos conscripsit, qui eos quidem tamquam dux strenuus præcedebat, pedites verò ducem illum sequebantur, & militari ordine sæpenumero ante sacrum palatium per gyros huc & illuc incedebant, &, ut moris est, in unum corpus instar coronæ convenientes, jactabant sua, ut ita dixerim, igni-voma tonitrua. Deinde versa vice rotunda phalanx illa hominum paulatim dissolvebatur; & iterum ut grues antesignanum suum insequentes, in hospitia sua redibant. Mercede tandem bellica destituta evanuit exercitus illa devotio, aliis asserentibus Pontificem vetuisse propterea quòd non expediret monachis rebus bellicis immiscери, aliis aliter sentientibus. Nihilominus tamen alter monachus continuò prodiens se obtulit, qui paucis sumptibus multas triremes se paraturum pollicebatur. Sed idem de triremibus quod de exercitu monachali actum est. Et meritò. Gesta enim monachorum extra clausstra evanida reputantur. Monachus enim (ut inquit textus in cap. *Placuit.* 2. 16. q. 1.) neque pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire,

neque ad Ecclesiam secularem transire, neque aliis qualibuscunque negotiis sese implicare debet. Sit claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum. Monachus enim Græcè, Latinè est solitarius. Sedeat ergo, & suæ solitariæ vitæ vacet. Propterea cùm Pontifex juris prudentissimus tantæque sanctimoniæ vir esset, illos monachos extra monasteria evagari vetuisse arbitror, eosque ad claustra redire compulisse, ne ampliùs bellicis rebus immiscerentur.

XXXII. *DE CONFOEDERATIONE Pontificis Adriani cum Imperatore, potentatibus & magnatibus Italiæ.*

ET cùm hinc indeque anxietatibus solicitudinibusque Pontifex distringeretur, diùque ut cultor pacis, quamvis cassо labore, inter Imperatorem & Gallorum Regem per suas litteras nuntiosque procurasset concordiam, quum item rumor esset Regem Franciæ manu potenti in Latium venturum, totaque Italia in partes Imperatoris & Regis, ut diximus, divisa esset, multis diebus consilium cum Cardinalibus in consistorio pater piissimus habuit, ut maturiùs deliberaret quid in discrimine tanto agendum esset. Tandem ut bonus gubernator ac propugnator paterque patriæ curavit Imperatorem nostrum, dominationes Italicas, Duces & magnates Romanæ Ecclesiæ unanimes colligare ad propulsandos omnes qui Latinos invadere niterentur. Et quamvis unio illa esset generalis, qua omnes vincirentur, conjectura tamen certa erat in Gallorum aut Turcarum Regem esse factum. Pontifex pro terris Ecclesiæ ad expeditionem, Cæsar nempe pro regnis Siciliæ & Neapolis

ac urbibus imperialibus, Venetorum verò, Genuensium, Florentinorumque potentatus, cum ceteris Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, certum numerum equitum peditumque pro virili pollicebantur. Ac ut isthæc tamquam utilia & reipublicæ proficua palam omnibus patefierent, sanctissimus pater cum illustrissimis Cardinalibus, Præsulibus, aliisque nobilibus pridie Nonas Augusti petivit Ecclesiam beatæ Mariæ urbis Romæ; ut die intemeratæ virginis de nivibus cognominatæ inter Missarum solennia prædictorum promulgaretur concordia. Quam quidem confœderationem contra quoscunque volentes Italiam invadere jure potuit Papa facere ac arma temporalia movere non suffragantibus armis spiritualibus, ut suprà retuli, ac se & alios Christicolas defensare. Et quidem cùm liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda injuria suum impartiri auxilium, immo, si potest & negligit, videatur injuriantem fovere, licuit etiam Pontifici catholico sibi ac suis proprio subvenire subsidio atque arma parare & gerere bella; ut in cap. *Dilecto.* De sent. excomm. in Sexto. Neque feciſſet noster mitissimus pater nisi jure posset, quia magnæ literaturæ & timoratæ conscientiæ Pontificem nostrum fuisse constat. Quis enim facilè crederet virum præditum scientia literarum propriæ salutis oblitum, in juventute pacificum, in senio ad bella se convertere, ni jus & pia justaque causa permitterent? Cùm ergo divina officia pariterque pacis fœdera proclamata essent expleta, in suum quisque hospitium se contulit.

XXXIII. *CONVIVIVM à reverendissimo Cardinali Bernardino de Carvajal Pontifici factum, ejusdemque Pontificis letalis morbi initium.*

MAximus verò Pontifex in domum sancti Martinelli nuncupatam divertit, ubi à reverendissimo Domino Bernardino de Carvajal Cardinali tituli sanctæ crucis hospitatus atque invitatus fuerat: qui nudiustertius (ne quid siniſtrum quis suspicuri posset) vitellas, arietes, attagines, phasianos, & alias hujusmodi aves esculentiores vivas, vinaque singularia in palatium miserat sacrum, ut per obsoniorum præfectos coquosque pontificios degustarentur & pararentur. Tamen præventus letali morbo ne degustare quidem quicquam potuit. Quamvis nonnulli errore ac siniſtra suspicione decepti improbè suspicati sunt ex illo convivio ægritudinem esse initiatam. Sed omnino falsum id est, cùm nihil, ut diximus, prægustasset. Et hora cœnæ parvo sumpto cibo in noctis crepusculo in aulam sacram rediit. Et in initio infirmitatis medici judicabant esse catharrum è capite defluentem; qui quidem catharrus vulnus quoddam juxta palatum fecerat. Et paulatim apostema illud descenderat in guttur; ubi per aliquot dies sic defixum fuit ut difficillimè quicquam deglutire sineret. Opinabantur tamen physici & chirurgi non esse mortiferum, maximè cùm suppuratio illa in brachium collaberetur: qua intumescente, ij qui experti apostema simile fuerant timuerunt, mortemque proximam esse Pontifici prognosticabant. Sed cùm ope medicorum inflatio illa expelleretur, iterum respirantes ac lætitia affecti credebant Papam evasisse periculum, cùm inde deterius illi contigerit; quia tumor ille deorsum corruens, supra renes consedit;

consedit, & usque ad obitum Pontificis cum gravi dolore plusquam triginta diebus affixus stetit. Et licèt tolerantissimus pater diebus ferme singulis extra thorum vesceretur, & per cameram deambularet, & nona die ante exhalationem animæ benedicturus milites quos in subsidium Mediolani (fide unionis servata) mittebat contra Gallos, qui post Alpium transitum in Italiam descenderunt, in publicum progrederetur, & ab illo die omnes indubitatam Papæ incolumitatem opinarentur, Deus autem, cui spiritum tradidit quadragesima die initiati morbi, aliter decreverat. Et cùm nondum de infirmitate satis constaret tot lapsis dierum curriculis, opiniones hinc inde variæ emergebant. Alii veneno peremptum, alii ex incognito morbo decessisse asserebant. Quod Dei judicio, qui secretorum nihil ignorat, est relinquendum.

XXXIV. *DE CREATIONE Cardinalis Hincfort, & legato familiæ relicto.*

ET cùm familia Flamingiorum mortem Pontificis per aliquot dies antea præsensisset, illi instabat ut Dominum Guiliermum Hincfort, tunc Datarium & Dertusensem Episcopum, Cardinalem crearet, ne omnino manerent deserti in casu (quod Deus averteret) piissimus pater nutu divino ab hac luce emigrasset. Et licèt Papa, sive persuasione familiæ, sive aliàs ardenter hoc procuraverit, difficillimè à collegio Cardinalium impetraret si reverendissimi patres pro certo ejus proximum obitum haberent; tum quia Hincfort exosus habebatur, tum verò quia paulò antè cognitus in tenui officio, eorum consortio indignus putabatur. Et ferme omnes affectabant Magistrum Theodoricum à secretis Pontificis ipsorum

conventui aggregari & loco Datarii Dertusensis eligi. Voluntas tamen Pontificis aut verius suorum aliter inhiabat. Et tandem nostri Cæsaris oratore instigante Comite de Cabra Duce Suessano seu mavis de Sessa, triduo ante mortem Papæ numero Cardinalium prædictus Dominus Gulliermus Hincfort Dertusensis conjunctus est, ditatusque multis beneficiis ac officiis quibus eum Pontifex donaverat. O felix vir, quem Deus ad tantum fastigium brevi evexit. Etsi conquereretur se divitem curialem esse maluisse quàm pauperem Cardinalem. Hoc quippe inde provenire arbitror quia suæ quemque fortunæ maximè tædet. Eadem die Gadicensem Ecclesiam cum mille ducatorum pensione Ioanni Rufo Consentino Archiepiscopo aliumque episcopàtum in Flandria cuidam juveni Proregis Neapolis consanguineo cum eadem aut majore pensione in utramque familiam Hispanicam & Flamingiam dividendas contulit. Et prima hora diei qua obiit, motus precibus illustrissimi Ducis Sessani Dominus Noster Papa breve concessit quo utrisque alumnis supellectilem quam ex Hispaniis in urbem detulerat, moderatione Sessani Ducis ac Cardinalis Dertusensis distribuendam reliquit. Causa largitionum hujusmodi ea fuerat, quòd misera & rerum indiga clientela, tum ob temporis angustiam, tum quia id casu contigit, nihil aut parum pro multis expensis & illatis damnis recepisset. Sed frustra, quia ex legato nihil, ex pensionibus verò modicum post longam expectationem sortiti sunt. Nam defuncto Pontifice parva aut nulla cura fuit executoribus in explenda ejus voluntate. Vel fortè quia novus Pontifex pensionibus assentiri noluit; aut quia ij quibus officium illud commissum fuerat, sibi officiosi duntaxat, aliorum sunt obliti. Et cùm ante mortem Papæ suspicarentur medici in potu aut cibo sive literis eum toxicatum, prævia informatione Dominus Ferdinan-

Eustachius de Croy Episcopus Atrebatensis.

dus de Silva Capitaneus custodiæ incarceravit in castello sancti Angeli quosdam subditos Ducis de Camerino, qui factionem Gallicam sequebatur; quorum causa mihi fuerat commissa. Et quia ante excussionem definitionemque almus Pontifex à vita migravit, succesſitque cœtus Cardinalium, quibus non magis quàm suffecto Papæ curæ fuit ampliùs crimen examinare, negotium infectum permansit.

XXXV. *DE MORTE brevibusque Papæ inferiis.*

ET cùm jam sæva mors quatuordecima die Septembris prædicti anni MDXXIII. insidiaretur Pontifici, receptis devotissimè sacramentis, ut moris sui erat, ibidem astantibus Prælatis domesticis cum reverendissimo ædituo Archiepiscopo extremam unctionem ministrante, necnon Pœnitentiariis alternis vicibus more solito præsentibus, moritur Pontifex quadragesimo die incepti morbi, defatigatus doloribus ac cruciatibus creberrimis, anno secundo sui pontificatus. Mortuo Pontifice pontificalibusque ornamentis induto, cadaver foras vehitur in secundam spatiosam aulam palatii; deponiturque in thorum stratum, ubi manifestè usque ad noctem omnibus pateret. Innumeræque hominum copiæ catervatim ad ipsius pedes deosculandos solita consuetudine irruebant; quia, ut asserebatur, indulgentia plenaria deosculantibus ejus pedes est concessa. Aderant enim comitantes exanime corpus magnificentissimus Conchensis Præsul, & Dominus Ferdinandus de Silva infelix tunc custodiæ Capitaneus, & Dominus Bartholomæus Cueva, temporis succesſu creatus Cardinalis, Ducis de Albuquerque filius, & Dominus Petrus Paciecus postea Episcopus Gienensis & Cardinalis, filius Domini Alphonsi Tellez Comitis de *la Puebla*

de Montalvan, fratris Marchionis de Villena, & Dominus Rodericus Mendocius filius Comitis de Caſtro, Salmanticenſis Epiſcopus poſtmodum creatus, cum multis aliis nobilibus Hiſpaniarum cadaver obſervantes, ne turba irruens proſterneret, quam vix poterant arcere. Aſtabant præterea Pœnitentiarii ac alii de familia ſacellani ſummiſſa voce officium defunctorum canentes. Deinde nocte eadem in ſacellum ſacri palatii ſub ſilentio portatur; quod nonnulli noſtratum cuſtodierunt, dolentes lachrymoſis ſingultibus obitum immaturum ſui ducis & aurigæ. Pietatis namque affectu aut humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, ſicut nonnullos ſanctorum patrum exequiis aliorum pias lachrymas impendiſſe legimus. Triſtes interim collachrymant ærumnas & miſerias coacervatas quas per mare & per terras (profectò dignas ploratu) paſſi ſunt, quaſque paſſuri eſſent; quarum inferiùs aptiùs forſan mentionem faciemus. Poſtmodum verò decimo ſeptimo Calendas Octobris convenere reverendiſſimi Cardinales, Prælati, Oratores, magnates, nobiles, innumeraque turba ad inferias beatiſſimi Papæ, quæ in hunc modum ductæ ſunt. Horam circiter nonam ante meridiem magna & ſolenni pompa in baſilicam Apoſtolorum eodem ornatu pontificali cadaver lectica defertur funebri. Et celebrata Miſſa & peractis exequiis ſicut pridie factum fuerat, in aperto relinquitur, ut matronæ Romanæ venirent Pontificis pedes deoſculaturæ. Nam hic mos jamdiu in urbe obſervatur ab ipſis; quæ non paſſim è domibus egrediuntur, exceptis diebus in chirographo nuptiali deſignatis. Et tunc obligationis potiùs facultate quàm arbitrio maritorum egrediuntur. Hinc inter illas exortum eſt adagium, beatas eſſe feminas quæ nubunt Hiſpanis, quia liberè ad ſacra aliaque munia obeunda pro arbitratu exeunt juxta Iberiæ conſuetudinem, neque

constringuntur ut reliquæ ad certos dies & festa solennia. Et ne ab argumento susceptо discedamus, circa noctem ejusdem diei honorificè defertur corpus pientissimi patris in capellam; ubi per Canonicos sancti Petri diebus singulis divinum decantatur officium. Et cùm vivens esset aspectu pulcherrimus, horribilis visu tunc omnibus apparebat, ob id nempe quia non pinguis tantùm, sed morbi vitio erat valde turgidus. Et cum Scalcus, id est, architriclinus, sacellanorum ac sacri palatii scutiferorum prospiciens tumiditatem cadaveris acclamasset Pontificem toxico interemptum, quippe qui meminerat Alexandrum felicis recordationis veneno occisum similem effigiem & inflationem habuisse, exorta est contentio inter alterutram familiam. Hispani enim incusabant Flamingios quòd non fideliter & solicitè custodissent Papam sanctissimum, quem sibi solis servandum vendicaverant, repellentes Hispanos, admittentes Gallos & coquos & ministros coquinæ. Et cùm eo tempore præfata bella exarderent, suspicabantur omnes ab illis toxicatum Pontificem. Auctore enim Boëtio nulla pestis efficacior est ad nocendum quàm familiaris inimicus, nec deterior hostis quàm fictus amicus, aut odium gravius quàm simulatus amor. Et sunt ideo nequiores hostes hi quàm illi qui foris sunt, quoniam per amicitiæ speciem quæ inimica sunt gerunt. Sed non puto Flandros adeo ignavos ut tales reciperent à quibus simile flagitium perpetraretur. Si enim aconiti potione Pontifex fuit interemptus, subtiliori ingenio commissum est facinus. Omnia namque edulia prægustabantur ab structore. Sed, ni fallor, propterea admittebant Gallos quia ritus moresque eorum potiùs quàm nostri cohærent illis. Et tantus fuit tumultus domesticus ut ad sedandam altercationem oportuerit arte anatomiæ aperiri à chirurgicis cadaver. Attamen quia veritas hujusce rei

minimè certa constitit, jurgia nondum sopita fuerunt; & ita semidilaniatum cadaver sepulchro traditur. Quamvis memor fuerim Doctorem de Agreda protomedicum dixisse sacrum magistratum veneficio sublatum esse. O immane & horrendum facinus, oves necare pastorem! Nam si apertè quempiam occidere grave flagitium arbitramur, quanto magis insidiosè Pontificem universalis Ecclesiæ, speculum pudicitiæ, magisterium vitæ, scholam virtutum interimere? O nequissimum leonem veriùs quàm hominem! Tune agnum mitem interfecisti, quem ut animarum patrem tenebaris diligere? Qua temeritate quave audacia tantum scelus commisisti? Considerasses enim bonitatem, literaturam, aliaque multa Pontificis merita ut à tam turpi facinore abstineres. Quæ si omnia vellem colligere, faciliùs me tempus quam materia desereret. Quod non ab homine, sed à dæmone perpetratum existimo. Quod si verum est sanctum Pontificem ab homine toxico occisum esse, hujusmodi suspicioni præsumptionem addidit obitus Prosperi Columnæ generalis copiarum sacræ majestatis ductoris, qui post mortem Pontificis viam universæ carnis est ingressus peremptusque, ut fama erat, veneno. Hoc multi suspicabantur, quoniam Pontifex in fœdera contra Regem Franciæ omnes potentatus Italiæ devinxerat. Et quia Prosper Columna armis & consilio exercitui Gallorum resistebat, ideo cum Pontifice toxico interiisse rumor erat. Quæ nimirum judicio divino relinquamus; quia tam nefaria facinora non sunt à Christi fidelibus præsumenda, neque re neque consilio perpetrata fuisse credendum est. His novem continuis diebus magister domus cum tota familia pontificia ad tumulum Papæ singulis diebus veniebat, & peracta Missa in domum revertebatur. Alii in tinellum palatii, alii verò in proprium hospitium divertebant. Nam mos est quòd clientes

Pontificis defuncti impensa cameræ quadraginta diebus alantur. Vtinam mihi citra suspicionem liceret nostrorum fidelitatem suis laudibus non fraudare, quanto vitæ discrimine quantisque damnis impensisque hunc virum sanctum usque ad sepulchrum sint comitati. Nam profectò si parens singulorum ipse fuisset Pontifex, eisque multa beneficia contulisset, non possent ardentiori amore eidem inservire, cùm tamen expers muneris eorum major pars fuerit. Hac eadem die decimo septimo Calendas Octobris, cùm tota urbs armis ebulliret, reverendissimi Cardinales in unum convenerant super rebus agendis, & primùm ut ordinarent magistratus urbis Præfectum Præfectique officialem, quia obitu Pontificis omnes de more cives parantur ad arma. Et quod deterius est, ex villis & castris finitimis catervatim ruunt rustici ad prædam & pugnam. Item fautores civilium dissensionum concitant partes suas. Ideoque Domini Cardinales ad justitiam expediendam sine mora creant magistratus; frustra tamen, cùm seditiones usque ad creationem Pontificis non sedentur. Tractarunt præterea de Castellanis ministris & officialibus in tota Ecclesiæ ditione sub homagio ponendis. His rebus à morte Pontificis in decimum calendarum ejusdem mensis operam dederunt.

XXXVI. *DE EXEQVIIS solennioribus Papæ à Cardinalibus factis.*

VLtima die novendialis reverendissimi Cardinales, ut defuncto parentarent, moremque priscum exequiarum servarent præteritorum Pontificum, & officium funebre in hunc modum perficerent, basilicam Apostolorum petivere. Assistunt enim reverendissimi Cardinales, per quos Missa funebris decantatur in prædicto sacello Canonicorum. Et inter

Missarum solennia concionatus est præclarus Patriarcha Hierosolymitanus, illustrissimi Cardinalis sanctæ Crucis nepos ex sorore, ex familia de Carvajal, alliciendo & exhortando reverendissimos Ecclesiæ principes ut talem in pontificali sede constituere procurarent cui Reges & Principes terræ capita submitterent, ejusque monita velut medicamenta susciperent. Ac finita Missa quatuor Cardinales comitantur reverendissimum eandem Missam celebrantem usque ad suggestum in Apostolorum media basilica erectum, quod circumstabant familiares Pontificis pullati; super quod aliud contabulatum instar arcis facibus magnis plenum structum erat. Atque interim dum cantores psallebant æternæ requiei ntiphonam, quilibet Cardinalium circuibat tumulum, aspergens supra eum aquam benedictam, aut thurificans; & cùm perficiebat orationem, summissa voce cantabat. Quo ordine ad ultimum usque deventum est. Ad has solennes inferias Dominus Cardinalis Vulterra eductus à carcere venit, cùm multis antè diebus in arce sancti Angeli jussu Domini Nostri Papæ illa de causa quam suprà retulimus inclusus detineretur, eumque bonæ memoriæ Adrianus solvi vetuerit ante creationem novi Pontificis. Attamen ut cessarent Oratorum Cardinaliumque contentiones, quoniam alii volebant illum statim dimitti, alii autem præceptum Pontificis custodiri, decretum est ad illam ultimam Missam ducendum, qua finita, conclave cum ceteris Cardinalibus intraret, esset que cum illis inclusus usque ad novi Pontificis electionem, qui posset, si vellet, eum in castrum reducere aut ejus causam indecisam relinquere, sicuti factum est.

XXXVII. *DE PROTESTATIONE nuntii Regis Franciæ ne Cardinales intrarent conclave.*

PEractis exequiis, illustrissimis Cardinalibus conclave, ut moris est, ingredi volentibus, contentio exorta est inter Oratores Cæsareæ majestatis ac Regis Gallorum. Nam Orator Regis asserebat reverendissimos patres expectaturos Cardinales in Galliis commorantes antequam intrarent conclave, eò præcipuè quòd tenerentur absentes citare ut venirent ad futuri Papæ electionem; alioqui absentium nomine protestabatur se acturum de contemptu, prætendens etiam moris esse omnes Cardinales citra vel ultra montes existentes ad electionem esse vocandos; quòd si secus fieret, irritum & inane quicquid sine ipsis decernerent fore protestabatur. E diverso Cæsaris Legatus dicebat rem esse magni periculi diuturnam vacationem apostolicæ sedis, & propterea breviùs pleniùsque esse consulendum. Quàm verò gravibus sit onusta dispendiis, quot & quantis sit plena periculis Ecclesiæ Romanæ longa vacatio, exacti consideratio temporis edocet; quia deficiente Ecclesiæ pastore gregem dominicum rapax lupus invadit, & Ecclesia viduata in facultatibus grave dispendium patitur. Et iccirco petebat à reverendissimis Cardinalibus ne sanctam congregationem differrent, ut tantis discriminibus occurrerent; maximè autem quòd juxta juris dispositionem Cardinales præsentes non tenentur absentes expectare ultra decem dies; ut apparet ex textu cap. *Vbi periculum.* in verbo *Hoc sacro.* De electio. lib. sexto; cujus verba sunt. *Hoc sacro concilio approbante statuimus ut si eundem Pontificem in civitate in qua cum sua curia residebat diem claudere contingat extremum, Cardinales qui fuerint*

in civitate ipsa præsentes absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes convenient in palatio in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus Clericis vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, eisdem electionis arbitrio reservato. Auditis & intellectis utriusque Legati rationibus, decretum fuit per Dominos Cardinales, ut tot damnis obsisterent, statim adire conclave.

XXXVIII. *DE INGRESSV conclavis.*

TAndem more solito itur ad claustrum prima die Octobris anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii, quod usque in diem sequentem quarta hora post meridiem mansit occlusum. In eo autem triginta Cardinales affuerunt; & sexta die ejusdem mensis supervenere alii tres Cardinales Gallici modo excursorio; quos Orator imperialis simul cum aliis dicebat non esse admittendos, eò quòd conclave jam esset clausum. Sed post longam altercationem determinatum est ut admitterentur juxta textum in capite prælegato in versic. *Si verò ibi absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiæ sit de pastore provisum, in eodem negotio in illo statu in quo ipsum invenerint admittantur; qui præmissa quæ diximus tam de clausura quàm de famulis, cibo ac potu, reliquisque cum aliis servaturi erunt.* Quorum adventu perculsi sunt imperiales. Triginta itaque tres Cardinales fuerunt in conclavi usque in diem Mercurii dedicationis basilicæ Apostolorum Petri & Pauli decimam octavam mensis Novembris ejusdem anni,

qua electus est Pontifex maximus reverendissimus Dominus Cardinalis de Medicis, vocatus Clemens septimus. Quæ autem compositiones & conventiones, si fas est foras effutire, diebus conclavis inter reverendissimos Cardinales eorumque confœderatos ultro citroque jactæ fuerint, aliis scriptoribus relinquamus, qui veriùs gesta secretiora intellexerunt. Sat sit nobis tot sine controversia dies elabi non potuisse. Nos verò post tot dierum curricula potiùs schisma quàm electionem formidabamus, propterea quòd adjurationes dicebantur factæ à senioribus Cardinalibus de non creando Domino Cardinali de Medicis, & à junioribus de eodem pontificali apice decorando. Et quamvis in re tam sancta non sit verisimile talia juramenta interveniſſe, cùm lex etiam humana similes pactiones sive juramenti sive cujuslibet alterius vinculo firmitatis innexas cassetet irritet, & jura viribus eas carere decernant, ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit astrictus, nec quisquam ex earum transgressione notam vereatur fidei non servatæ, & Deo transgressiones hujusmodi quàm jurisjurandi observationes sint acceptiores, cùmque cessetet electio dum libertas quoquo modo adimitur eligendi, vulgus tamen nemini parcens has pactiones pro certo asserebat. Tandem seniores Cardinales, fortassis defessi, cesserunt; vel quoniam tam prolixam clausuram pati non poterant, aut quod verius est, quia Deus, qui cuncta gubernat, mutaverat illorum corda ut omnium consensu reverendissimus Dominus de Medicis eligeretur, ne defectu pastoris universalis Ecclesia incommoda pateretur. Et die sequenti festo sanctæ Helisabeth de Vngaria celebritati dicato fuit ejus electio publicata, nimirum quinquagesima die, quasi Spiritus sanctus repræsentato Pentecostes festo affuisset. Pontifex autem priùs quàm exiret à conclavi magnas fecit largitiones Cardina-

libus, donando eos officiis ; quatuor duntaxat reservatis, quorum obventiones sibi retinuit. Conclaviariis etiam aliisque complura beneficia & quadraginta millia ducatorum, vestes insuper contulit, & omnibus gratias egit pro electione de se facta. Et non post longum intervallum à publicatione electionis pontificali apparatu amictus, magna solennitate & pompa in solio à lecticariis ducitur in basilicam Apostolorum, in capellam beati Andreæ, ad gratiarum actiones, ubi à Cardinalibus solita veneratione fuit exceptus, ut superiùs in genuflexione piissimi Adriani retulimus. Et post benedictionem populi, in limine sacelli Magister ceremoniarum tenebat duas arundines, alteram stupa, alteram candela incensa paratas ; & cùm Papa egrederetur, alta voce & intelligibili acclamavit incendendo stupam : *Pater sancte, sic transit gloria mundi hujus.* Deinde in medio Ecclesiæ fecit idem. Tertiò denique ad exitum basilicæ eadem protulit verba. Et eodem ordine ac comitatu reversus est in sacrum palatium. Primitiæ pontificatus fuit creatio Datarii Ioannis Matthæi ; qui etsi juvenis, prudentia tamen senex clarisque virtutibus pollebat, ut ab omnibus probabatur. Postmodum verò magna festa solennitatesque celebrabantur usque ad Calendas Decembris ; quibus Pontifex novus coronatus. Ceterùm quia animus meus fuit gesta beatissimi Adriani immortalis memoriæ viri describere, quæ facta sunt tempore Clementis felicis recordationis sub silentio præteribo ; (Hoc enim esset membranam, quod aiunt, totam occupare) maximè quia in Romanorum Pontificum annalibus latiùs & elegantiùs sunt designanda. Ac ne multùm à proposito videar dilabi, ad rem cœptam revertar.

Ioa. Matthæus Gibertus, postea Episcopus Veronensis.

XXXIX. *DE RETENTIONE beneficiorum in pectore Pontificis Adriani.*

CVm beatissimus Papa, recolendæ memoriæ vir, in omnibus esset circumspectus, præcipuè tamen in provisione beneficiorum, eos undique viros quæritans quibus salva conscientia posset ea conferre. Cùm eos ex sententia non facilè inveniret, plurima beneficia post ejus decessum vacantia remanserunt. Et quia non passim & sine delectu curialibus ac reliquis beneficia & ordines de more conferebat, æmuli invidique tenacitati potiùs quàm debitæ provisioni hoc imputabant, minimè considerantes qua vigilantia ac solertia beneficia sint conferenda. Prælati enim juxta canonum statuta ad unguem perpendere debent viros provectiores scientia, moribus, & ætate, qui in sacro ordine & Ecclesiis sunt collocandi; ubi, ne potentia aut supplicatio quorumlibet subrepat, merita personarum sunt expendenda. Et quia vigilantissimus Papa tam in promotionibus quàm beneficiis conferendis hæc exactissimè observabat, in multorum indocilium quasique barbarorum hominum odium incidit. Cùm dignitates, personatus, & reliqua sint singulis singula, & non plura, ut sacri canones testantur, tribuenda, attamen nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diversas & plures Ecclesias contra canonicas sanctiones nituntur accipere; qui cùm unum officium vix adimplere sufficiant, plurimorum stipendia sibi vendicant; quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, quique infelices in plateis mendicant, possent abundè sufficere æqua distributione collata. Hæc & majora pericula pluralitas beneficiorum execrabilis adfert. Plura enim sacerdotia habentibus paratur materia vagandi, præter id quòd divinus cultus

minuitur, atque jura Ecclesiarum absentia rectorum collabuntur, &, quod deterius est, animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur. Hæc & alia hujusmodi effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum, generat. Et cùm hi nondum in castris dominicis fuerint initiati, jure optimo tamen putant sibi majores præbendas deberi, tum quia antiqui curiales, tum præcipuè quia caudatarii sint aut cubicularij Dominorum Cardinalium; non attendentes quòd etiam leges civiles officia secularia & principalem locum, non tyronibus, sed veteranis ac per singulos gradus examinatis conferunt. Quis tam arrogans, tam impudens erit qui in cælesti militia, quæ propensiùs ponderanda est & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux animarum esse desideret, cùm fortè ne tyrocinium quidem fecerit, cùm priùs lectorem, aut ostiarium, psalmistam, exorcistam, sive acolytum in divinorum rudimentis, ut sacros ordines omittamus, agere debuisset; cùm iniquum sit absurdumque ut imperiti magistris, novi antiquis, rudes emeritis præferantur. O execrabilis ambitio, quæ semper quò plus ambit, eò magis fit insatiabilis; quò sibi ampliùs indulget, eò magis inhiat. O improbitas importuna petentium à Pontificibus Romanis coacervata sacerdotia, ut non tam obtinuisse quàm extorsisse plerique noscantur. His omnibus vicarius universalis mederi cupiens, quæritabat undecunque literatos quibus Ecclesiarum gubernacula committeret, Doctorem inquam de Agreda, Doctorem de Alvarado, Doctorem Coldesança, Doctoremque Ortiz tunc Parisiis commorantem, ut ex multis hos saltem pauculos seligamus, ac plures alios in Hispania, Francia, Italia, & utraque Germania; ut de me interim taceam, non inter hos antè signatos Doctores nominando, eisdem tamen ab

eodem Pontifice connumerato. Ideoque cùm provisiones & alia hujusmodi præmissa oculeus testis inspexerim, omnibus hæc pernoscenda curavi. Ac propterea maximè curialibus Pontifex erat infestus, quasi novarum opinionum superstitiosus inventor. Qui utinam considerassent quòd si qua beneficia vivens adhuc non concessit pastor eximius, non sibi, sed viris doctis & sublimibus perquirendis reservavit, ut experimento exemplisque omnibus probis fuit exploratum. Considerassent præterea detractores, ne opinarentur eum esse tenacem, inopiam apostolicæ cameræ ex eaque omnia vasa aurea & argentea & pretiosissima quæque supellectilia asportata aut pignorata esse, adeo ut neque obolus quidem, quo indigentia sublevaretur, in ea reperiebatur, nedum ad liberalitates exercendas sufficeret, & nemo in tanta paupertate posset liberalis existere nisi demens, aut ni contra fas extorsisset gabellas seu impositiones à subditis. Quod minimè attentavit pientissimus Papa; immo potiùs eos spiritu lenitatis confovebat, illorumque indigentiis subveniebat. Animadvertissent etiam ob acerrimam pestem siluisse negotia è quibus obventiones apostolicæ cameræ evenire solent. Neque erat industrius ad investigandas pecunias, magis deditus lucubrationibus litterarum. Vellet nempe solvere creditas pro classe paranda & exercitu colligendo clientelaque alenda; qua quidem omnino brevi & immatura morte non esse soluras reor. Considerantes verò magnas impensas, apostolicæ sedis summam inopiam parsimoniæ & non avaritiæ attribuerent. Si enim hoc non fecisset sanctissimus Papa, dilapidator bonorum potiùs quàm magnificus largusque videretur. Quamvis sæpe vitia se ingerunt, sæpissimeque sub virtutum prætextu latitare conantur. His veriorибus & justis causis obstruere ora latrantium contra Pontificem existimavi, licèt alius oratione magis

compoſita meliùs poſſet eum excuſare. Sed veritas abſque ampulloſis verbis longiſque verborum ambagibus ſe ipſam demonſtrat. Hæc ſat mihi puto retuliſſe, ne in re tam clara prolixus aut verboſus videar.

XL. *DESCRIPTIO STATVRÆ & qualitatum Adriani Pontificis maximi.*

AD coronidem opuſculi congruum duxi in meam aliorumque piam recordationem ſtaturam & qualitates Adriani ſexti Pontificis maximi dignas memoratu deſcribere. Nam quod imago depicta indoctis, idem ſcriptura præſtat literatis hominibus. Erat igitur membrorum pulchra temperatura, aſpectu pulchro, vultu oblongiori, candido, & rubeo, ſubſimo naſo, ac aliquantulum aut ſenio aut natura incurvabat caput & collum, ſtatura proceriori, inceſſu moderato neque tardo neque cito, ſilentio providus, utilis & cautus in verbo, humilis, doctus, caſtus, honeſtus, converſatione alacer, ac benignus, videntibus & colloquentibus placidus ac clemens, ſermone verax, judicio rectus, qui conſpicientes honeſtate inſtruebat atque reficiebat moribus, integerrimus vita, literatura ſacra conſpicuus, adeo ut ejus tempeſtate par difficillimè reperiretur. Heu miſeram temporis calamitatem! Antequam faſtigium pontificatus adipiſceretur, erat exemplar virtutum; in pontificatu verò non defuerunt detractores, critici, & blaterones, qui illi detraherent. Poſt obitum verò à malevolis quaſi vas contumeliæ fuit reputatus. Deus tamen, qui cuncta per veras cauſas agnoſcit, aliterque homines judicat, qui bene noverat mentem & opera piiſſimi Papæ, quem neque magnitudo ſtatus movit ut vitam mutaret, immo eadem frugalitas, eadem continentia, par in ſacris eloquiis enucleandis ardor & ſtudium, ſibique per omnia ſimilis in

cultu

cultu & parsimonia, æquali in omnes mansuetudine usus, nulli servivit desidiæ, nulli denique fuit perturbationi apud eum locus. Neque minùs clementer ac leniter, ubi res postulabat, vel severè & rigidè & dixit & fecit omnia, ni forsan clementior fuerit natura quàm regnorum gubernatores decet. Audacter fortassis asserere possem, ut domesticus testis, quòd neque vidi neque persensi, quandiu in ejus obsequio & ministerio permansi, quicquam sinistrum aut minùs grave in dictis aut factis; immo quasi speculum cunctarum virtutum, antequam urbem ingrederetur, ut cuncti noverunt. Cujus orationi studium vehemens succedebat. Et studium interdum oratio interpellabat, ita ut ea solùm tempora quæ naturæ necessitas exigit victui & quieti concederet, cetera omnia officiis divinis ac humanis ita distribuens ut humani generis adversario nullum locum vacuum relinqueret. At quid moror in illius præconiis enarrandis, cùm esset vir ex omni parte irreprehensibilis? de quo consultius forsan esset nihil dixisse quàm hæc pauca referre, præsertim cùm lingua dictantis impar sit tam arduæ materiæ.

XLI. *DE BREVI MORA IN urbe post Pontificis obitum, redituque meo in Hispaniam.*

OCcasione tamen hinc sumpta, in calce hujus opusculi, ut de me interim nonnihil loquar, annectere volui brevem moram quam post obitum Domini mei Papæ in urbe, non tamen sine causa, traxi; reditumque meum in Hispaniam nonnihil ad rem attinentem adjungam. Defuncto enim Domino meo non pœnitendo Pontifice, lites exortæ, ut solet, super canonicatum meum reditum morabantur. Quapropter oportuit gradum figere eisque finem

optatum imponere. Et habita sententia, exequutorialibus, ut sic dicam, obtentis, possessioneque canonicatus à clarissimo ac perinde in orbe terrarum celeberrimo capitulo almæ Ecclesiæ Toletanæ concessa, continuò composui sarcinulas, ut ad propria remearem. Sed cùm non expediret hominem solum proficisci, potissimùm ex Italia, quæsivi comites, & inveni ex familia Papæ paucos quidem ex multis. Nam illorum magna pars illa infesta & prolixa peste jampridem obiverat, alia in exercitum Imperatoris distracta cum expeditione maximi Adriani ejus morte fuerit consumpta, reliqua verò periit in illa miserrima summersione Domini Ferdinandi de Silva, de qua suo loco dicetur. Et cùm sacra eloquia nos doceant ut quæcunque agere verbo aut opere velimus, omnia in nomine Domini Iesu Christi faciamus, mœrentes amisso duce, omnique comitatu in basilicam cognomento sanctæ Mariæ de populo nos contulimus, unde post rem divinam celebratam feliciter cœpimus nostrum iter die Martis Idibus Martii anni vigesimi quarti supra sesquimillesimum, hora decima quinta secundùm horologium Romanum, quod numerari incipit à solis occasu pridianæ diei. Et tendimus in oppidum de Bacano, cui adjacet nemus illud satis vulgatum ejusdem cognomenti, & lacus capax ad piscandum; & cùm pisces sint mali, nihilominus tamen aër deterior est, distatque ab urbe quatuordecim, ut mensuris Italicis utamur, milliariis. Ac illico inde profecti, in oppidum de Monteroso pervenimus sejunctum à præcedenti sex milliariis; quorum tria leucam Hispanam conficere dicuntur. Deinde oppidum de Ruisellon in noctis crepusculo petivimus; inter quæ duo oppida fluit amnis profundus. Nihil aliud inter utrumque memorabile cernitur præter lacus piscatorios similes præcedenti. Die Mercurii in aurora egressi concessimus Viterbium civitatem,

quam, ut reor, mille * vicini colunt; ubi corpus divæ Rosæ in cœnobio quodam monialium colitur; quæ illac transeuntibus dant chordulas quasdam quibus sacrum illud corpus tetigerant, juvantes quidem, ut incolæ aiunt, parturientes patientesque lumborum dolorem & renum ac hujusmodi alios cruciatus. Quod minimè ambigendum puto ob prærogativam illius beatæ virginis. Nam ejus merita hæc & majora privilegia merentur. Est prætereà cœnobium sanctæ Mariæ *de la Cheroia*, nostro idiotismo *del enzina* nuncupatum. Continet etiam imaginem Deiparæ virginis, quam magna religione accolæ venerantur; distatque à Ruissello decem milliariis. Hinc perreximus in urbem nomine Montis-Flascon, aliàs Faliscos; quæ licèt parva inhabitantium numero, fulget tamen cathedrali Ecclesia, qua corpora beatorum Margaritæ & Felicitatis & septem filiorum magna devotione coluntur. Cui è regione non eminus prominet palatium episcopale; honoraturque prætereà corpus sancti Publiani in propria Ecclesia, unita tamen majori basilicæ. Circumstant urbem tria cœnobia, unum divi Augustini, aliud beati Francisci, tertium ejusdem ordinis nominatum servorum. Continet etiam quatuor Ecclesias parrochiales, & castrum occidentem versùs mediocriter munitum. Quæ omnia reddunt urbem illam magnificam, infula episcopali decoratam; quam quidem minimè proprius sponsus illustrat, propterea quòd quondam communitas eum occidisse perhibetur; ac civitati dignitas episcopalis jure subtrahitur casu quo ipsa interemerit Prælatum; ut *cap. fi. 25. q. 2.* Neque stupescas tali pœna eos puniri, cùm in libro Decretorum scriptum sit: *Oves pastorem non reprehendant, plebs Episcopum non accuset, neque vulgus eum arguat.* Quinimmo sententia Chan filii Noë damnantur qui suorum præpositorum culpam produnt more Chan, qui verenda patris non

* id est, cives.

6. q. 1. c. 9. *Oves.*

operuit, sed irridenda monstravit; cùm si aliquid contigerit de Domini sacerdotibus audiri quod piis mentibus ingerat confusionem, non infrunitum Cham, sed pudoratos filios Noë imitantes, contegere teneantur. Legitur præterea Imperatorem Constantinum dixisse: *Verè si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei peccantem, chlamydem meam exuerem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Ergo si accusare aut reprehendere suos præpositos nefas judicatur, quanto atrocius oves trucidasse pastorem nefandum & immane flagitium solaque morte piandum est. Quod rarò aut nunquam in nostris Hispaniis accidisse creditur. Etsi proditum sit in comitatu de Vizcaya Cantabros olim proprium interemisse Pontificem, hujus tamen facti nihil certi conjectari potest; quamvis aliqui opinentur propterea Episcopum totum provinciam neque visitare neque in comitatum ingredi, ac etiam jura duplicia ab eis in litibus ecclesiasticis persolvi. Quæ quidem argumenta nequaquam ob id hanc consuetudinem inoleviſſe probant. Etsi vulgus hoc teneat, aliterque alii sentiant, hoc tamen liquet quòd Episcopus non visitat illos, neque illi se visitari permittunt, eò forsan quòd primates provinciæ obsistant, ne ab eis decimæ & alia emolumenta Ecclesiarum vendicentur. Sed ex quacunque causa id evenerit, oporteret, ne grex dominicus dispergeretur, oves suum pastorem agnoscere. Etsi apud ipsos ad gloriam Dei fides illibata & inconcussa permaneat, quod ut testis & arbiter asseverare possum, non tamen ambigo quin multa incommoda ex absentia Prælati exoriantur, quibus esset medendum. Namque rectius est in tempus occurrere quàm post vulnus impactum medelam quærere; ideoque esset opus rei tam periculosæ intendere animum: quia, ut evangelica sententia præmonet, bonus pastor cognoscit oves suas, ab eisque mutuò cognoscitur. Vnum coram

Deo testor, quòd quandiu in episcopatu Calagurritano fui demoratus, cum multis nobilibus viris comitatus Cantabriæ sæpe pertractavi de ingressu & visitatione nomine Episcopi domini mei facienda, qui nunquam ei obstiterunt; ac nisi electio piissimi Adriani citiùs quàm perficeretur negotium emergeret, omnia, ut reor, componerentur. Neque piget hæc inseruisse, etsi videantur ad rem propositam non attinere, ut aliquis fortasse zelo religionis accensus à summo Pontifice & Rege Carolo Imperatore nostro impetrare conetur ut Præsul Calagurritanus planè & sine offendiculo comitatum Vizcaiæ sicut reliquas partes episcopatus visitet. Evangelica enim lectio præcipit: *Compelle eos intrare &c.* Ad rem itaque rediens, ne longiùs provehar, prædicta civitas Montis-Flascon distat à Viterbio octo milliariis. Illinc egressi hora tertia post meridiem, tetendimus Vulsenam ducentorum civium oppidulum, quod ferme circumdat lacus magnus triginta milliariorum; quod prætereuntes, appropinquavimus oppidulo nuncupato sancti Laurentii satis munito distanti à Monte-Flascon novem milliariis & à Vulsena tribus, ubi pernoctavimus. Die Iovis diluculo à sancto Laurentio discedentes sex milliariis, in oppidum de Aquapendente devenimus; & absque mora abeuntes, accessimus diversoria de Palla per alia decem milliaria, ac post prandium in cauponam de Escala, ubi illa nocte quievimus; licèt per terram ignobilem inhabitatamque octo milliariorum intervallo concessimus. Sequenti verò die Veneris in sanctum Quiricum nos contulimus Iouca, ut breviùs dicam, inde distantem. Quod oppidulum etsi parvum sit, aliquantum tamen præmunitum apparet; processimusque decem inde milliariis in municipium de Buenconvento, tandem ad oppidum de Lucina semotum quinque milliariis. Deinde in Monteron parvo tramite distantem ventum

est. Et pransi, Senas duabus leucis semotas appulimus. Quæ civitas semper Imperatoris partes secuta est; ideoque forsan imperialis appellatur. Hæc sane quondam conterminarum clarissima extitit; hodie vero magna ejus pars diruta manet. Nihilominus tamen ubique terrarum insignis habetur, tum quia episcopali dignitate decorata, tum vero quia caput divæ Catarinæ Senensis in Ecclesia ejusdem nominis magna devotione observatur; ac propterea vulgo dicitur sancta Catarina de Sena. Ex eo etiam insignis habetur quia neminem in terris præfectum aut superiorem dignatur; ideoque proprio jure regitur, ut Venetiæ ac alii potentatus Italiæ. Brevius expediti a Senis, in vicum nomine Stayam leuca communi distantem, deinde in municipium de Pogio imperiale tribus milliariis semotum, hincque ad Pogibonum castellumque Florentinum oppida munita transeuntes.

XLII. *DE COMPVTATIONE leucarum millarumque Italicarum, passuum atque pedum.*

CEterum quia in hoc itinerario itinerum intervalla milliariorum aut leucarum Hispanarum millarum Italicarum appellatione explicantur, non ab re me facturum existimo si hujusmodi intervallorum nomina exposuero. Vt sciamus igitur quot passibus leuca communis constet, earumque certitudo habeatur, quatuor millia passuum leucam communem efficiunt. Ac ne per incerta procedamus, investigare etiam oportet quid sit passus. Est enim mensura quatuor pedum; ut inter peritiores cosmographos convenit; qui propriè appellabitur nostro idiotismo Carpetano *tranco o passada.* de quo habent Canonistæ glo. in. c. *Sicut antiquitus.* 17. q. 4. quæ

etiam ponit quot digitos habeat. Pes enim quindecim digitorum spatium; ut in ead. glos. Cosmographis verò est sedecim. Sed de his hactenus. Deinde vero per loca inhabitata & cauponas usque ad montem Lupi; & ultra procedentes divertimus in suburbium Pisarum urbis antiquitus celeberrimæ & primas provinciæ obtinentis, quæ dominabatur in magnam partem maris nostri terrarumque, nunc autem facta est sub ditione & tributo Florentino. Habet hæc antiqua civitas & celebrata per orbem juxta cathedralem Ecclesiam templum sancti Ioannis Baptistæ satis insigne cum turri artificio singulari constructa quasi minanti ruinam quæ propriùs transeuntes conterreat. Est præterea juxta templum cæmiterium cujus area parietibus circumquaque depictis inclusa dicitur Campus sanctus instar Romani. Huic domus episcopalis quasi cohæret. Ex altera parte ædes Canonicis ad degendum victitandumque deputatæ, quibus annectitur vicus porrectus longè latèque discurrens, qui appellatur *Strata*, satis magnificus, parum tamen habitatus, propterea quod tempore æstatis fertur esse nocivus. Continet præterea celebrem universitatem, quam tunc decorabat magnus ille ac famigeratissimus Doctor Philippus Decius utriusque juris Doctor. Collabitur etiam per mediam urbem amnis lætificans eam, si lætitia mœstis paulò antè dominis, modò astrictis alieno imperio, cùm nondum recentem delimisset dolorem, tribui potest. Habet item ultra prædicta loca unum orphanotrophium non prætereundum, quo educantur infantes expositi, opus sanè memorabile, instar nostræ illustris civitatis Toletanæ in orbe terrarum clarissimæ. Reliqua verò, si qua digna annotatu ibidem adhuc extant, non potui conspicere, quia clanculum urbem illam ingressus fui; cùm ideo observaretur ne ab urbe Roma profecti peste illa acerrima & diutina

qua urbs ipsa infestabatur, quæque tot homines corripuerat; quamque illuc usque durare formidabant, Pisarum urbem inficerent. Ideoque velut in latebris cunctati fuimus in nostro hospitiolo apud Pisas tres quatuorve dies, expectantes quidem lintrem qua Genuam veheremur.

XLIII. DE COMPVTATIONE *stadiorum, & navigatione in Genuam.*

Supra c. 16. 17.

VErùm quia superiùs annotaveram portus à Genua in Liornani distantem à Pisis nonaginta sex stadiis, hic non referam. Stadium est, ut hoc quoque cum reliquis mensurarum intervallis omnibus innotescat, quod continet octavam mille passuum partem, hoc est, centum viginti quinque passus, pedes verò sexcentos viginti quinque, aut quingentos secundùm certiorem cosmographorum computationem. Hunc itaque Pisanum portum nostra aggressi sumus navicula. Ideo autem hos portus censui prætereundos, ne geminato sermone videar molestus, cùm in navigatione Adriani Pontificis eosdem pro modulo descripserim. Priùs autem quàm accederemus Genuam, comperimus militem quendam Hispanum, qui primus nobis cladem & calamitatem Domini Ferdinandi à Silva ambiguo verbo referavit. Nos verò tristati paulatim processimus, cùm paulò antè instantissimè faceremus iter ut cum illo in Hispanias regrederemur. At Deus ex alto aliter prospexit, né tota lamentabilis Pontificis familia aquis obruta, peste aut bellico gladio consumeretur, sensitque salutem qui nuntium mœstum, etsi dolentes, ad nostrates Hispanos deferrent. Demum adivimus Genuam, ibique invenimus Dominum Doctorem de Agreda, qui nos præcesserat ut cum prædicto Domino Ferdinando in patriam navigaret. Eramus quidem

milites, quia jam apertiùs circumferebatur infortunium illorum nobilium. Agentes tamen quas potuimus gratias redemptori nostro, qui nos à tanta infelicitate liberavit, cùm omnes simul periissent in navi contrariis fluctibus agitata. Neque adhuc constat certus locus infortunii calamitosique casus, cùm nemo illorum periculum evaserit qui id nuntiaret. O infelix nobilium animus indefessus! Quanta aviditate, quanta solertia sequuti suum dominum & aurigam Pontificem Adrianum, quanta mœstitia illo amisso sunt reversi, ac demum perierunt in mari cum Domino Ferdinando à Sylva è nostris plures illustres viri; quorum paucos obiter referam. Dominum Petrum inquam filium Marchionis de Monte-majori, ac Dominum Alphonsum filium Comitissæ de Salinas nostri patroni Adriani Camerarium, multosque Magistros militiæ ordinis sancti Iohannis, quos virtus à calamitate exemerat Rhodia ut causa latens fluctibus submergeret ac suffocaret, cum pluribus aliis quotquot navis illa magna, carraca vulgò nominata, onusta capere poterat. Flevit infelicitatem Hispania, & præcipuè nostra urbs Toletana, suos filios extrema fuisse passos. Flevit etiam Genua cives suos cum navarcho suo obbutos. Flevit præterea Nolensis civitas nauclerum ac ministros navis ac cives mersos amisisse. Hinc pensanda sunt facta divina. Heu nos miseros, qui anxii festinabamus ut simul cum eis nostra fieret navigatio! Quod Deus sua clementia dignatus est avertere judicio suo secreto. Quòd utinam fuerit ad salutem animarum nostrarum. Ceterùm vix paulùm processeramus post miserabilem illam ruinam, ecce nuntium nostras perculit aures quòd altera navis, quæ vulgò dicitur carraca, etiam submersa fuerat juxta insulam Ebusum, quæ nunc Ibiça dicitur, ex qua Dominus Ioannes à Corduba Decanus Cordubensis cum paucis, propterea quòd esset in portu aut propè,

fuerat liberatus, reliqui verò emigrarunt à luce. Nos verò circumdati angustiis, consideratis tot discrimenibus, timentes ne criminibus nostris casus similis nobis accideret, quærebamus modum securiorem quo tutiùs proprias domus possemus invisere, cùm ad hoc necessitas ipsa nos cogeret. Per terram enim non erat tutus accessus propter bellicam cladem Gallorum assiduosque grassantium incursus, qui cùm diù moraremur Genuæ, ut fama erat, nobis astruxerant insidias. Et cùm aliud non supereſſet confugium, oportuit nos periculis vasti maris exponere ac quærere navigium quo tutiùs navigaremus. Denique tertiâ se obtulit navis magna oneraria quæ merces in partes occiduas erat evectura; cujus navarchum instanter sollicitavimus ut quam primùm nauclerum ac nautas excitaret, necnon anchoram, armamenta, funes, amplastria, & carbasa, & munimenta quæque paràret, atque malum constringeret, ne horum aut hujusmodi aliorum defectu carraca nostra periclitaretur, ac nos ut ceteros deglutiret maris sæva tempestas. Et licèt ipsum in horas hoc efflagitaremus, non tamen continuò impetravimus, propterea quòd opus fuit illi viginti dies demorari. Et cùm interim otio vacassem, ne omnino otiosus essem, volui varias opiniones de nomine Genuæ hic immiscere, unde nomen acceperit Genua, cùm sit caput Liguriæ. Libuit etiam mores indigenarum huic papyro mandare. Quæ inter, quamvis crasso stylo, annotassem situm ac pulchritudinem ejus & pleraque in illa urbe annotanda, nisi sigillatim elegantiùs & copiosiùs Didacus Lopez Stunica Complutensis, ut suprà retuli, hæc omnia in suo explicuerit itinerario, ubi harum rerum cupidi cuncta poterunt perlustrare. Ad primum ergo dixerunt quidam Genuam à genu deductam: quia habet quasi quoddam genu curvum & semisphæricum à latere maris. Alii à Genuo, qui eam condidisse putatur

Quidam hanc urbem Ianuam appellant, quam à Iano conditam dicunt; alii verò quia sit janua Italiæ, & potissimum in Galliæ cisulpinæ sive togatæ, quæ vulgò dicitur Lombardia. Appellatur etiam Genua Ligustici emporium. Ex hac incipit mons Apenninus, qui dorsum Italiæ dicitur. In eadem hac urbe nobiles & mercatores vestibus utuntur talaribus ac manicatis; neque intra urbem equitant, neque ferunt arma nisi bella continua aliud pro tempore introduxerint. Fœminæ verò absque palliis & sine turba pedilequarum & sine caliendris seu vittis incedunt; reticulo tamen colligunt capillos, facilèque sine injuria vadunt ad forum, etiam honestiores, quia conditione locique natura humiles, & sibi comparant necessaria. Et eâdem virgines aut nuptæ non induant capita vittis, magna in nutriendis curandisque capillis est illis quasi ingenita solicitudo: quæ quidem sunt procerioris staturæ quàm nostræ, ut experimento comprobatur. Sunt præterea, ut asseritur, Genuenses ditiores mercatoribus cunctis, quia nobiles etiam negotiantur, tesi jure sunt prohibiti, ut in *l. 3. Cod. De commer. & merc.* cujus verba sunt: *Nobiliores natalibus & honorum luce conspicuos & patrimonio ditiores perniciosum ingenuis exercere mercimonium prohibemus; ut inter plebeios & negotiatores facilius sit emendi vendendique commercium.* Et quamvis ratio hujus legis sit justa, rationabilis, & honesta, jam domini Genuenses eâdem sunt legibus exempti, quia si non jure, re tamen ipsa recusant superiorem, in hoc non servant jura, sunt acutissimi ingenii, ideoque commercantur in pluribus nostri hemisphærii locis ac alterius nostra tempestate reperti. Fertur apud omnes in suis contractibus & pactionibus inviolatam servare fidem. Multa alia possem referre. Sed ne videar longiùs evagari, de his hactenus, ut eò revertar unde nostra divertit oratio.

XLIV. *DE NAVIGATIONE à Genua in Hispaniam.*

QVum itaque omnia essent parata, pridie Idus Aprilis, die Martis, prope solis occasum aliquantulum pavidi & meticulosi ob aliorum infortunia, quæ nos cautiores reddiderunt, ad præparanda cuncta conscendimus navim; atque intempesta nocte solvuntur vela ventis, accessimusque mane apud Saonam; juxta quam huc & illuc ferebatur navigium, expectans merces in Hispaniam vehendas. Nocte verò sequenti paulatim navigavimus, ac die Iovis ante meridiem ventum est in urbem Nolam; quæ etsi nunc parva, olim nobilis & egregia, dignitateque episcopali nunc insignita fulget, non tamen tanti redditus quanti, ut sic dixerim, Burgensis episcopatus. Hæc extra muros duo cœnobia protegit, alterum ordinis seraphici Franciscí, alterum monialium, utrumque tamen tenue; ultra quæ habet castrum ferme inexpugnabile potiùs natura quàm arte architectorum. Ad hæc sunt multæ turres in ædibus incolarum, quas singulas singulos mercatores proprias habentes naves, & non alios, ferunt quondam fabricasse. Quod propterea annotare volui ne tam insigne factum vetustate penitùs aboleretur, cùm hujusce rei pauci indigenarum memores fuerint. Mansimus Nolæ in die sabbati, & circa crepusculum nullo venti flatu revertimur in navim; ac tum demum pauliſper cœpit invalescere ventus; atque secunda vigilia nauclerus opportunum considerans tempus, jussit nautis velificare. Embolaque, quod aiunt, felici tendimus meridiem versùs, ut plagam manusque fugeremus Gallorum atque Andreæ de Oria addicti eo tempore Regi Franciæ, qui ut leones ad prædam parati præternavigantibus, ac nobis præcipuè, insidiabantur, tum

propter navigium merceſque pretioſas, tum etiam quia ex vectoribus qui illa navi vehebantur, alii præbendati, alii verò divites erant. Ac dum magis protenderemus contra meridiem, magis ac magis invaluit ventus. Et uſque ad veſperum dominicæ diei terras Latii ducatuſque Sabaudiæ conſpeximus; atque prima noctis vigilia juxta inſulam vulgò appellatam de Eras perlabentes, fretum de Hierro aggredimur. Deinde illa eadem aura ſecunda die Lunæ tranavîmus ſinum alterum nuncupatum *de Leon*. Et à præcedente nocte diei dominicæ uſque ad diem Mercurii nil aliud quàm cœlum & mare viſum eſt. Qua die cùm mare & littora nebulis contegerentur, neque nauræ neque illorum præfectus cognoſcere poterant longè eſſemus à terra necne, quòve curſus eſſet. Et cùm ſol paulatim rumperet caliginem, in cacumineque reſulſiſſet, repentè conſpeximus montes noſtro mari adjacentes, & qui navi præerant, Lætamini, lætamini, inquiunt, amici, quia incolumes in Hiſpaniam tandem appulimus. Quo audito nuntio, quæ gaudia & lætitia poſt tot anguſtias piratarumque inculſam nobis formidinem nos jam metus expertes ceperint, vix erit credibile, quotque laudes omnipotenti Deo necnon intemeratæ virgini egerimus ille penſabit qui ſimile periculum evaſiſſet, tum pro tanto munere à Deo conceſſo, tum quia paratas inſidias ſcopulorumque alliſiones, nunc hiantium cæcas vorticum fauces abſque ullius detrimento tranſegeramus, tum quia nos ad optatum perduxit portum. Quanto verò jubilo agitaremur nemo inquam ſignificare poterit, neque calamus meus demonſtrare: quia hi ſolùm optimè norunt qui eiſdem periculis vexati, eadem evaſerunt. Adde etiam quòd portui de Roſas, à quo Hiſpaniarum ultimo cum ſanctiſſimo Domino Noſtro Papa copioſa & illuſtri comitato caterva diſceſſum fuerit cùm in urbem navigaremus, die præ-

dicta Mercurii pridie Idus Aprilis hora vesperorum feliciter appulimus. Videre tunc posses qua solicitudine aut verius lætitia scaphis, monoremis, navigiis in terram defideratam quasi præcipites descenderemus. Qui verò ex Bætica aut Valentia, licèt pauci, ne per tot viarum dispendia fatigarentur, in navi remanserunt eos Carthaginem evectura.

XLV. *DE ADVENTV IN Hispaniam, ac nonnullis insignibus rebus Cataloniæ, ejusque amplitudine.*

DIe Iovis à Rosarum oppido in locum de Castellon mediocriter munitum trecentorum * vicinorum, leuca distantem, ac continuò Gerundam quinque à præcedenti leucis semotam ventum est. Horum oppidorum medio intervallo nihil memorabile occurrit præter humum margam juxta civitatem. Reliqua verò, quia maritima, sabulosa, atque sterilis inhabitataque manet. Vrbs Gerundensis perpulchra ac, ut reor, duorum millium civium capax, fulget episcopali dignitate, continetque plures ecclesias & monasteria, & est caput feracissimæ provinciæ appellatæ *de Lampurdan*, in qua plus quàm alibi in toto principatu Cataloniæ grassantur pestiferi homines qui banniti seu proscripti dicuntur, depopulatores agrorum, quasique quoddam viperarum genus omnibus infestissimum. Ii sæpe itinera frequentant, & publicas stratas insidiis & incursionibus obsident, ut totam regionem infestent; à quibus cædes, strages, atque insidiæ parantur, & alia innumerabilia damna ab iis oriuntur, quibus seguiter obviatur. Hanc civitatem à suburbiis rivulus aut verius torrens dividit. Die sequenti in oppidum de * Sterlic centum & sexaginta stadiis à Gerunda semotum, deinde verò locellum de * Sasona à præcedenti

* id est, civium.

* Ostalric

* S. Saloni

duabus leucis disjunctum, ubi fertur beatus Franciscus, cùm in Hispanias proficisceretur, ab indigenis vapulasse. Et continuò in pagum de Roca itinere nonaginta sex stadiorum nos contulimus; ubi, quia nox instabat, quiescere nos oportuit. Ceterùm quoniam stadiorum mentionem fecimus, per quæ nostrates itinera rarissimè metiuntur, octo stadia milliarium, tria milliaria unam leucam conficiunt; quamvis nonnulli quatuor milliaria uni leucæ attribuant. Die sabbati quatuor leucis Barchinonem præ ceteris Hispaniarum urbibus elegantem accessimus; quæ adjacet Balearico nostro mari necnon radicibus montis Iovis qui vulgò dicitur Monjui, ubique gentium vulgatissimi; ex cujus lapicidina, ut accolæ aiunt, tota civitas & muri, cùm sint lapidei, extructi fuerunt, neque ideo fuerit mons diminutus. Miranda profectò res, cùm omnes ædes ex lapidibus inde excisis constructæ sint; nisi cum Iurisconsulto Papiniano *in l. Divortio. §. Si vir soluto matrimonio. ff.* dicamus lapides renasci; cujus verba sunt. *Nisi talis sit ut lapis ibi renascatur; quales sunt in Gallia & in Asia.* Volui citare verba Iurisconsulti, quia videtur hoc difficile creditu. Sed in monte Iovis experientia docet vera dixisse Papinianum. Nimirum cùm mons ille sit in confinibus Galliæ, ubi (ut inquit consultus) lapides renascuntur. Multa alia in illa celebri civitate quæ non essent prætermittenda relinquo; tum quidem quia nostris nota patent; tum etiam ne cùm multa dixero, multò plura relinquam. Ideo decrevi potiùs illa sub silentio præterire quàm pauca dicere. A Barchinone in oppidum de Martorel quatuor leucis semotum, relictis obiter Monterei ac aliis oppidulis, venimus confestim in locum de Esparraguera quatuor milliariis distantem; unde in cœnobium illud Deiparæ virginis vulgò de Monte Serrato toto orbe celebratissimum duobus leucis inde semotum concessi-

mus. Et quia multi aut devotione aut curiositate videndi monasterium ejusque eremeticas cellas visitant, omnia prætereunda censui; quæ tamen pro dignitate materiæ justum sibi volumen exposcerent. Ea enim quæ omnibus nota sunt, non debent stricta serie narrari. Venimus itaque ad locum de Igualada quatuor leucis, deinde in oppidum de Momaneo duabus, ac illico in Cerveram tribus; indeque in Tarragam una leuca æquivalenti duabus pervenimus. Vnde de longiori leuca ortum est adagium apud nostrates: *A Tarraga usque Cerveram.* Perreximus continuò in oppidulum de Castilnovo, hoc est, Castelli novi, sexaginta quatuor stadiis segregatum à præcedenti. Deinde verò Belloc, hoc est, Bellum locum, tribus leucis ventum est. Cursimque transeuntes, in antiquam urbem Ilerdam, satis celebrem, tum propter universitatem insignem & insulam cathedralem, tum etiam ob fluvium Sicorim, vulgo *Segre*, mediam urbem interluentem, qui, ut ab auctoribus scribitur, fluebat olim arenis aureis. Deinde in oppidum Alcarraz ultimum Cataloniæ devenimus. Antequam ad loca Aragonum accedam, ut intelligas, pie lector, qualis quantusque fuerit Cataloniæ principatus, nonnulla quæ prælibanda essent hic saltem annectam, quibus facilè cognoscetur ejus nobilitas & amplitudo. Continet enim comitatum de Ruysellon conterminum Franciæ; ob cujus obtentionem pax antiqua Hispanorum & Gallorum fuit rupta, initiataque bella, cùm priùs sub pignore à Rege Franciæ haberetur, & à Carolo cognomine capitoso fuerit restitutus. id quod curiosi ab historiographis radicitus elicere poterunt. Præterea archiepiscopatum Tarraconensem continet, ex cujus cognomento provincia Tarraconensis nomen assumpsit, quæ majorem Hispaniarum partem sibi vendicat. Expanditur enim à Pyræneo ad Anam fluvium. Cui archiepiscopatui subjacent sex

Ecclesiæ

Ecclesiæ episcopales, prima Elnensis in noviſſima parte principatus, secunda Gerundensis, tertia Barchinonensis, quarta Vrgelensis, quinta Ilerdensis, sexta Dertusensis. Habet etiam tria insignia cœnobia, primum Populeti, vulgariter dictum *Poblet*, vetustate notabile, quo sepulchra Regum Aragoniæ magna veneratione observantur. Inter hoc & monasterium de Bonefac. fuit quondam illa subtilis contentio super locum de Rosellis, de qua in cap. *Abbate sane.* De re judic. lib. VI. in qua lite jura & allegationes utriusque partis copiosiſſimè fuere deducta. Et audacter fortasse possem asserere nullibi latiùs & subtiliùs esse allegatum sive consultum. Neque mirum, cùm negotium esset monachorum & magni momenti. Monasterium de Populeto in redditibus annuis est multum locuples, sed plurimùm in subditis. Asserebatur nempe neminem ex magnatibus, Duce de Cardona dempto, in toto principatu plures habere subditos. Habet præterea illius Abbas suffragium in curiis Aragoniæ. Hoc cœnobium caput est ordinis divi Bernardi in tota citeriori Hispania; sicut in nostra monasterium sancti Bernardi extra muros Toletanæ urbis. Sed longè dispar alterum ab altero, cùm illud opulentiſſimum, istud verò pauperrimum sit. quod non ideo minoris æstimandum est, cùm redemptori nostro paupertas maximè arriserit. Volui circa particularia hujus sanctæ domus calamum protendere, eamque propriis oculis intueri, quia ubique famigeratiſſima est, ac propterea præcipuè quia in præallegato capite illius fit mentio, cùm aliàs crederem longiùs à nostro commercio esse. nec mirum, cùm in solitudine fuerit sita, atque ad ipsam non per itinera immo potiùs per diverticula iter. Secundum cœnobium celebratiſſimum est matris virginis de Monserrat. Tertium fortalitium Iliberritanum, quod nunc dicimus Salsas, inexpugnabile quidem castrum,

quo clauditur Catalonia; quæ, ut clariùs designari possit, tantum occupat soli quantum Aragonium Valentinorumque regna. His itaque decursis, in quibus aliquantulum divagati fuimus, ad propositi itinerarii materiam pertractandam revertamur.

XLVI. *TRANSITVS ARAGONIÆ, atque denominatio Aragonis.*

AB oppido igitur Alcarraz venimus in Fragam, municipium primum Aragoniæ multùm amœnum, ad cujus radices fluit amnis nomine Cinga. Hinc in pagum de Candasnos nonaginta sex stadiis inde divisum, & ad oppidum de Pennalva leuca tantùm, ac alia in oppidum de Burjalaroz, & continuò in cauponas appellatas de sancta Lucia tribus leucis, & totidem in viculum de Ossera, atque aliis tribus in vicum paganum nomine Alphaxarim per terram aridam & inaquosam, qualis rara alibi habitata reperietur. Hinc aliis tribus leucis (ut sæpius numero utar ternario) in urbem inclitam imperialemque per loca amœna, hortos, & pomaria Cæsaraugustam devenimus, quæ caput est regni Aragonum, qui hoc nomine funguntur propter duos amnes Aragones nuncupatos, velut Iberi dicti sunt ab Ibero. Hæc celeberrima urbs est metropolis, cui subsunt quatuor episcopatus; Oscensis primus universitatem vetutissimam habens, nempe a tempore Sertorii, ut ex illius vita apud Plutarchum liquet; secundus Tirasonensis, tertius Pampilonensis in regno Navarræ, quartus Calagurritanensis & Calciatensis ad invicem uniti in regnis Castellæ, præter Segobrigensem simili modo Ecclesiæ civitatis de Albarazim unitum. Et pro ea parte qua subjacet ecclesiæ de Albarazim, subest etiam Cæsaraugustanæ metropoli; pro alia verò, qua Segobrigæ, archiepiscopatui Valentino. Hanc

Cæsaream urbem meritò à Cæsare nominatam abluit illè celebratissimus amnis Iberus, à quo sæpissime Hispani nomen accipiunt. Ac juxta eam est oppidum appellatum Velilla; quod quidem, etsi nonnullis videatur fabula, habet cymbalum quod cùm aliquid memoria dignum etiam valde remotum contingit, nemine impellente (ut Aragonenses testantur) pulsatur. res stupenda; & qui dubitaverit, eos sciscitetur. Vnum tamen in hujus rei comprobatione asserere possum, quòd cùm jussu reverendissimi ac illustrissimi Domini Alphonsi Maurici Archiepiscopi Hispalensis eo tempore Inquisitoris generalis ad visitandas inquisitiones Navarræ, Aragoniæ, atque Cataloniæ missus essem, pertransiremque Cæsaraugustam, quidam ex officialibus sanctæ inquisitionis eò voluerunt me deducere; quorum unus promotor fiscalis, ortus in præfato oppido de Velilla, narravit mihi rem admiratione dignam. Volo, inquit, tibi propalare campanamde Velilla nuper pulsatam; & hactenus ignoratur causa. Tunc ab illo percontatus sum quid illud esset, qui prædictum mysterium reseravit. Cui refragari nolui, cùm esset vir non lubricæ fidei. Perterritus tamen novitate rei tam insolitæ. Et profectò antequam accederem Barchinonem, divulgatum fuit excidium Romanum, quo tempore exercitus Imperatoris (occiso Duce de Borbon quodam ignivomo ictu generali Capitaneo) urbem invaserat, eamque multiplici clade vastavit; ac nisi divino obtuitu Dominus Alarcon strenuus vir & dux Hispanus cum suis stipendiariis Hispanis militibus Germanis obstitisset, actum esset de beatissimo Papa Clemente septimo, qui diù in castro sancti Angeli detentus fuerat, quousque Imperatoris nostri semper Augusti tanti facinoris ignari jussu incolumis tandem evasit à prædicta detentione. Nec est quòd mireris, Christiane lector, quod actum esse de Papa prædixerim, ni sic

evasisset; quoniam cùm plures exercitus Germanorum fuissent sectatores hæresum Luteri, atque eorum tessera aut symbolum esset, *Nite Papa*, *Nite Papa*, quod significat *Minimè Papa*, nihil magis quàm eum obtruncare illa barbara & obtusa gens quærebat. Sed quia non diù in his morari decet, ne ab incepto longiùs divertamur, cetera, quæ pro suo modo non essent iniocunda relatu, de regno Aragoniæ dignum duxi relinquere, velut ea quæ omnibus essent exposita & aperta, cùm alias sit regnum Castellæ conterminum illi ac finitimum. Ceterùm, ut eò revertamur unde digressi sumus, quia recta pergere non expedivit, oportuitque rectum tramitum deserere ac in curiam imperialem tunc Burgis agentem divertere, interfuit mea ab itinere quo petebamus Toletum declinare. Propterea à Cæsarauguſta in oppidum de Alagon quinque leucis distantem, & ab eo in vicum de Lucenique duabus tantùm, ac totidem in pagum de Agallud, atque sexaginta quatuor stadiis in oppidulum de Corres regni Navarræ, & totidem in locellum de Ribahorada nos contulimus. Deinde per campos patentes per alias duas leucas in nobilem civitatem Tudelam devenimus; quam licèt obiter suprà memoravimus, quia non nostrum est minutissima quæque præter animi intentionem attingere, illam (ut fastidium repetito sermone fugiam, eadem etiam facturus in aliis urbibus de quibus suprà verbum fecerim) sub silentio prætereo. A Tudela verò vicum Cintruennigo tribus leucis separatum petivimus; ibique aliquantulum defessi quievimus, quum illuc usque excursores veriùs quàm viatores iter fecerimus, eò quòd negotia mei canonicatus in imperiali tractabantur curia. Et quoniam sodalis meus Capellanus Domini Doctoris de Agreda præcesserat ad expediendam domum quam in loco illo cum multi redditibus ecclesiasticis, supellectili insuper, necnon instru-

mentis rusticis & possessionibus munitam prædictus Doctor obtinebat, eò quòd Ecclesia illius oppidi erat unita thesaurariæ, ut sic dicam, Tirasonensi, quæ quidem ab illo tunc temporis possidebatur, hinc egressus in oppidum de *Aldea nueva*.

XLVII. *DE ADVENTATIONE in illustrem Castellam principem Hispaniarum.*

AB oppido igitur de *Aldea nueva* per alias duas leucas in prædictam urbem antiquam Calagurram vigesima nona Aprilis die accesseram; cujus diœcesim, ut in exordio opusculi tetigi, jussione Episcopi domini mei Ioannis à Villalva sub officio provisoris regendam quondam suscepi. Ac die sequenti pridie Calendas Maii in amœnam illam Lucronii urbem deveni; quæ, præter collegialem Ecclesiam, duo continet extra muros monasteria, alterum ordinis Prædicatorum ad partem occiduam, alterum seraphici Francisci ad orientalem plagam. Continet etiam castrum, muros, & antemuralia, atque fossam aqua repletam; quæ civitatem illustrem & inexpugnabilem reddunt. Postmodum verò sexto Idus Maii profectus in oppidum de Navarret, per duas leucas ac per tres urbem Najaram petivi; quæ licèt sit parva, tamen munita conspicitur; quam pertransiens leuca una in pagum de Açofra, & per alias tres in civitatem sancti Dominici tanto, ut prædiximus, illustratam patrono perrexi. A qua egressus, in oppidum de Grañon triginta duobus stadiis semotum, & per dimidiam leucam in locellum de Redezilla, atque per aliam dimidiam in locum de *Villa de Pun*, quo, ut reor, finitur Calagurritanensis & Calciatensis episcopatus, & cursim tribus leucis in municipium de Vilorado Burgensis diœcesis deventum est. Deinde quinto Idus Maii in oppidum de Villafranca de Mon-

tesdoca perveni; cujus montes, ut arbitror, sunt ceteris Hispaniarum celsiores, quandoquidem illorum vertices seu cacumina dividunt Castellæ & Celtiberiæ aquas hinc inde erumpentes. Nam quæ orientem versùs, in Iberum, quæ verò in occidentem, in Durium amnes defluunt. Deinde oppidula & diversoria ignobilia transiens, octo leucis in ditissimam & ubique memorabilem ob magna commercia & opulentos mercatores Burgorum urbem me contuli. Et quàm potui brevi scrutatus sum statum negotiorum canonicatus mei; cui nisi adventu meo opem ferrem, jussu Dominorum imperialis consilii adversario meo prætendenti se expoliatum fuisse redderetur possessio, nimirum cùm nullus eò usque causam meam, quasi deserram, tueretur. Sed cognita veritate tam à procuratore magnifici capituli almæ Ecclesiæ Toletanæ quàm à Domino Blasio Cavallero, quem ut patrem & dominum semper colui, noluerunt Domini Consiliarii ampliùs negotio ad eos minimè pertinenti se immiscere. Et prædictus Dominus Blasius re & nomine splendidus eques post aliquot dies deliberata causa me in urbem hanc inclytam Toletum, quæ soli benignitate, fortunis, & tractu cœli cunctas præcellit, secum duxit, atque ejus domo honorificè hospitatus quousque lares componerem. Et quia à Burgis Toletum usque loca omnia sunt omnibus nota, ne prolixus molestusve judicer, consultò prætereunda duxi, finiens itinerarium hoc ad laudem Dei omnipotentis, qui dignetur ex hac militia, ad quam me immeritum vocavit, in æternam & perennem gloriam perducere per redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo atque Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Finis itinerarij Adriani sexti Pontificis maximi.

Laus Deo.

VITA MAVRITII BVRDINI ARCHIEPISCOPI BRACARENSIS.

Scriptore Stephano Baluzio Tutelensi.

SCRIPTVRVS vitam Mauritii Burdini Archiepiscopi Bracarensis, quem virtus & fortuna per totum vitæ cursum ita ad gloriam laudemque erexerant ut planè constaret magnum excellentemque virum esse, sed qui postea tristem adeo ac miserandum habuit exitum ut magnifico ac glorioso Callisti secundi triumpho, omnium quos Romanus orbis post fundatam religionem Christianam vidit amplissimo, depressus sit ad maximam calamitatem, historicorum præterea qui post eum vixere, ac præcipuè Roderici Archiepiscopi Toletani, à quo ceteri ferme acceperunt, contumeliosissimis scriptis exagitatus ac dilaceratus, necessariò incurram in multorum reprehensionem, qui rem ex eventu æstimantes, neque rationem in consilium adhibentes, indignissimè ferent hominem scelestum, impudentem, ambitiosum, flagitioque nobilem, uti vulgò describitur, à me nunc post tot secula vindicari tamquam virum egregium & probum. Contrà, qui veritatis amore potiùs ducuntur quàm præjudicio temporum, ac sepositis odiis, quorum causas procul habent, sincerè de dictis factisque veterum judicare amant, me non illibenter, ut spero, audient differentem de re multis difficultatibus atque obscuritati-

bus involuta, scientes veritatem exagitatam magis splendescere in luce fructumque divinum esse justitiam sæpius recenseri, ut monet Innocentius Papa primus in epistola ad Episcopos Macedoniæ.

I. Primùm igitur omnium facilè assentior illustrissimo ac doctissimo Archiepiscopo Bracarensi Roderico à Cunha, qui in historia ecclesiastica Archiepiscoporum Bracarensium ait existimare se Burdinum, ut mos Francorum est, fuisse binominem, adeoque non Burdinum simpliciter vocatum, sed Mauritium Burdinum. Atque ita ego illum à Vvillelmo Malmesburiensi, ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi, & à Cardinale Baronio nominatum lego. Rodericus tamen Archiepiscopus Toletanus scribit eum, cùm esset astutus & versipellis, Mauritium se pro Burdino nominasse inter Hispanos. Quod ita interpretor, ut quia solenne tum quoque Episcopis erat nullam familiæ mentionem facere in suis titulis ac solum nomen in baptismo datum retinere, non statim quidem ille abdicaverit nomen Burdini, sed illo primùm tempore quo factus est Episcopus Conimbricensis, ut ait Rodericus. Quod etiam placuisse video Ioanni Marianæ viro doctissimo. Neque enim audiendus est Arnoldus Vvion, qui illam nominis mutationem, ut ipse vocat, factam scribit quando Burdinus transiit ad cathedram Bracarensem. Multò minùs audiendi recentiores quidam scriptores Hispani, qui Burdini nomen impositum Mauritio volunt à Romanis in contumeliam ejus & irrisionem, ita persuasi, ut arbitror, quia quod Latini veteres jocum ludumque dixissent, sequior ætas burdam vocavit. Burdinus ergo nomen familiæ ac gentis fuit, Mauritius prænomen.

Roder. Toler. lib. 6. rer. Hisp. c. 28.

Mariana lib. 10. rer. Hisp. c. 11.

Vvion lib. 2. c. 6.

II. Patria Lemovicem in Aquitania prima fuisse Burdinum tradit idem Rodericus, qui in eam sententiam traxit omnes scriptores qui post illum vixere.

Anſelmus tamen Abbas Gemblacenſis Hiſpanum fuiſſe Burdinum ſcribit. Verùm iſtud ita intelligendum eſt, non quidem Hiſpanum fuiſſe natione, ſed habitatione, ſeu, ut ait Falco Beneventanus, Hiſpanum Archiepiſcopum, vel Hiſpanum Epiſcopum, ut Otto Friſingenſis. Vbinam verò ortus ſit, adhuc in occulto eſt. Attamen ſuſpicari licet eum Vſercæ modico provinciæ oppido aut in vicinia natum eſſe, atque adeo ſancti Benedicti inſtitutum illic arripuiſſe in monaſterio quod ibi vetuſtiſſimum habetur. Duo quædam ſunt quæ ita ſuadere videntur. Primum, quòd in ipſis ſuæ ordinationis in ſede Romana initiis, quum nondum ea fama pervenire potuiſſet ad Lemovices, proprio motu confirmavit privilegia ejuſdem monaſterii. Alterum, quòd poſtea quàm à Calliſto ſecundo captus eſt apud Sutrium, inde in Cavenſe monaſterium ad agendam pœnitentiam projectus, monaſticum habitum coactus eſt ſuſcipere, id eſt, ad eum ſtatum redire in quo fuerat antequam in Hiſpaniam proficiſceretur. Nam cur ita viſum foret Calliſto niſi ſpecioſam ac probabilem ita ſtatuendi rationem habuiſſet? Quippe ſatis illi erat hominem viciſſe ac triumphatum incluſiſſe in monaſterio; neque ulla neceſſitate adigebatur eum monachum facere niſi priùs fuiſſet. Nec illud levis momenti in rem noſtram argumentum eſt quòd quum Mauritius Epiſcopus Conimbricenſis eſſet, poſt reditum ab Hieroſolymis, quò religionis ergò profectus erat, ut poſtea dicemus, pretioſiſſimam quandam thecam miſit ad Cluniacenſe monaſterium, memor videlicet, ut res ipſa clamat, veteris converſationis ſuæ. Quippe monaſterium ſancti Martialis Lemovicenſis pertinebat ad congregationem Cluniacenſem. Vſercenſe porrò ab illo tum pependiſſe, adeoque Cluniacenſis familiæ partem fuiſſe, hinc gravis ſumi conjectura poteſt quòd plerique eorum qui per illas tempeſtates functi

Otto Friſing. lib. 7. c. 16.

fuerunt Abbatis officio in monasterio Vsercensi, fuerant antea monachi sancti Martialis Lemovicensis. Adde quòd Prudentius Sandovallius, vir, ut omnes norunt, doctus & eruditus, disertè scribit eum fuisse monachum ordinis sancti Benedicti, non dicturus si non alicubi invenisset. E monasterio igitur Vsercensi eductus à Bernardo Archiepiscopo Toletano, in Hispaniam cum eo profectus est. Quod qua ratione acciderit, paucis exponam.

Sandoval. in hist. Ecclesiæ Tuden. fo. 110.

III. Anno Christi MXCV. Vrbanus Papa II. cùm accessisset in Gallias, habita generali synodo apud Arvernorum civitatem, classicum belli sacri cecinit; propositaque amplissima peccatorum indulgentia iis qui Hierosolyma pergerent pugnaturi adversùm Christiani nominis inimicos, immensum congregavit exercitum ex orbe nostro. Aderat huic synodo Bernardus Archiepiscopus Toletanus ac sedis apostolicæ per Hispaniam Legatus. Incessit itaque & istum ambitio pellendi barbaros ab iis terris in quibus fixa ad memoriam omnium sempiternam erant vestigia Christi servatoris. Verùm inquieta semper Toletanorum ingenia, qui gravem paulò antè Bernardo exhibuerant molestiam, tum etiam initia Toletanæ Ecclesiæ renascentis, nondum firmæ, effecerunt ut Bernardum Vrbanus redire juberet ad Ecclesiam suam, insuperhabito sacræ peregrinationis voto. Paruit ille mandatis Vrbani; & in Hispaniam tendens per Aquitaniam, quà recta via est, aliquot illinc viros graves & sanctos secum duxit solatio inter barbaras nationes futuros, & quò pluribus munimentis insisteret. Duxit ergo è provincia Lemovicensi Burdinum, literatum, curialem, & eloquentem virum, ut eum vocat auctor chronici Maurigniacensis, virum quem multùm quislibet revereri & penè adorare pro viva & magna industriæ specie debuisset, uti de eo scribit Vvillelmus Malmesburiensis in libro quinto

de gestis Regum Anglorum. Acta hæc anno MXCVI. post synodum nempe Claromontanam.

IV. Constitutus in Hispania Burdinus, primùm Toletanus Archidiaconus factus est à Bernardo, dein Episcopus Conimbricensis, non ambitu atque largitione, ut quidam recentiores absque ullo veteris scriptoris testimonio tradidere, sed contemplatione insignium ejus virtutum ac meritorum. Non vident enim qui ita sentiunt quantam quàmque atrocem injuriam faciant Bernardo Archiepiscopo Toletano, quantam Paschali secundo Papæ, quos volunt muneribus à Burdino corruptos, pro pecuniis in eum contulisse episcopatum Conimbricensem ac ipsum etiam Bracarensem archiepiscopatum. Præterea quis credat hominem tantopere laudatum ab antiquis, qui etiam anno Christi M C X X X I. dictus est vir vitæ venerabilis, de quo, dum Episcopus Conimbricensis esset, cum laude loquebatur sanctus Gerardus Archiepiscopus Bracarensis, cujus vitam ac mores, quos temperatissimos ac moderatissimos fuisse animadverto, nullus mortalium accusavit ante supremum ac fatalem Papæ Paschalis annum, quis inquam credat hunc hominem adeo malum ac sceleratum fuisse ut illi nobis persuadere conantur? Factus est ergo Burdinus Episcopus Conimbricensis secundùm regulas, approbante Bernardo sedis apostolicæ Legato. Vita S. Geraldi Bracar. c. 16.

V. Qua tempestate incensus desiderio videndi Hierosolyma, illuc profectus est anno, ut videtur, millesimo centesimo octavo, habuitque comitem itineris Tellonem Archidiaconum Conimbricensem, ut legitur in veteri narratione Ecclesiæ Conimbricensis quam edidit Antonius Brandanus in tomo tertio Monarchiæ Lusitanæ. Constantinopolim quoque profectum, illicque per medium annum fuisse commoratum scriptum est in eadem narratione & in altera monasterii Cluniacensis quam vir clarissimus Franciscus

Ducheſnius edidit in tomo ſecundo hiſtoriæ Cardinalium Francorum, in qua additur hunc noſtrum Mauritium, cùm Conſtantinopoli degeret, majoribus urbis & palatii atque ipſi quoque Imperatori Alexio notum & carum fuiſſe. Cùm triennium in ea peregrinatione exegiſſet, rediens in Luſitaniam, è Conſtantinopoli retulit thecam quandam in modum textus evangelii factam, quam volunt fuiſſe olim ſancti Baſilii Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi, in qua continebatur magna ligni dominici portio. Eam thecam Mauritius deſtinaverat collocare in quadam Eccleſia ſuæ diœceſeos. Verùm cùm poſt reditum ſuum Luſitaniam gravi diſſenſione laborare comperiſſet, tum quia Alfonſus Rex nuper obierat, tum quia Henricus Comes ad regnum aſpirabat, eam poſt longam deliberationem miſit in Galliam ad monaſterium Cluniacenſe, ubi ſuſcepta eſt à Pontio Abbate anno MCXII. v. Kalendas Auguſti.

VI. Interim verò dum Mauritius reverteretur, defuncto, inquit auctor narrationis Conimbricenſis, ſanctiſſimo Bracaræ Archiepiſcopo Gerardo, quem ex monaſterio Moyſſiacenſi in eadem Aquitania prima Bernardus in Hiſpaniam adduxerat, Mauritius ei, juxta quod vir ſanctus olim prædixerat, ſuffectus eſt communibus cleri ſuffragiis anno milleſimo centeſimo decimo, ut tradit Rodericus à Cunha in libro paulò antè laudato. Neceſſaria tamen viſa eſt interventio auctoritatis Romani Pontificis, eò quòd jam tum perſuaſum eſſet orbis noſtri hominibus ſola illius auctoritate fieri poſſe tranſlationes Epiſcoporum ab una ſede ad aliam. Ob eam itaque cauſam, tum etiam propter neceſſitatem obtinendi Pallij, ſine quo vix conſtat Metropolitanorum dignitas, accedens Mauritius ad ſedem apoſtolicam, primùm quidem à Papa Paſchali *in hoc aſſenſum præbente non parvi muneris gratiâ ab eo ſibi collati*, ut ſcribit Ro-

Vita S. Geraldi, Bracar. c. 16.

mualdus Archiepiscopus Salernitanus, obtinuit ut postulata cleri Bracarensis valerent, postea verò Pallium accepit per manus Ioannis Caietani Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Paschalique secundo tum sedenti & catholicis successoribus ejus fidelitatis & obedientiæ juramentum secundùm formulam à Gregorio VII. institutam præstitit; ut testatur ipse Ioannes Caietanus in epistolis quas post mortem Paschalis, quum in ejus sede locatus fuisset & Gelasius II. vocatus, scripsit ad Gallos & ad clerum populumque Romanum. Deinde verò reversus Bracaram, sine dubio munus suum sanctè ac diligenter executus est, consecrationes etiam suffraganeorum suorum peragens, & ab eis professiones subjectionis & obedientiæ accipiens. Earum unam refert Sandovallius in loco suprà laudato, quæ sic habet.

PROFESSIO ADEFONSI Tudensis Episcopi Bracarensi Ecclesiæ sub Mauritio Archiepiscopo.

EGo Adefonsus sanctæ Ecclesiæ Tudensis nunc ordinandus Episcopus subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis patribus constitutam secundùm præcepta canonum Ecclesiæ Bracarensi rectoribusque ejus perpetuò me exhibiturum promitto & supra sanctum altare propria manu firmo.

VII. Tenacior autem fuisse videtur Mauritius in retinenda dignitate sua vindicandoque antiquo sedis suæ gradu & honore quàm ut patrono ac magistro suo placere posset. Nam Bernardus (ut humanum est ambitione labi) in id tota mente omnique impetu incumbebat ut quia ipsi Toletanæque Ecclesiæ collatus recenter fuerat primatus per universam Hispaniam, vim nomenque imperii retineret, ac seriò cogitaret de subjiciendis Toleto universis Hispaniarum Eccle-

siis, adeoque Bracarensi, quæ una erat ex Hispanicis. Et incidisse videbatur in tempus opportunum. Discipulus enim in ea sede institutus ob virtutes quidem proprias & ingentia merita, sed tamen favore Bernardi adjutus, non videbatur intercessurus. Subsidio esse poterat legatio sedis apostolicæ per universam Hispaniam qua Bernardus erat ornatus. Præsto quoque erat auctoritas & potentia Alphonsi Regis Aragonum, Castellæ, & Legionis; cujus ea erat ambitio ut quia tria intra Hispaniam regna possidebat, Imperatorem se exemplo soceri nuncuparet. Magnificum porrò videri poterat, eique qui se Imperatorem diceret valde honorificum, si Princeps externus Archiepiscopi Toletani jurisdictioni subjiceretur in causis ecclesiasticis, finitimusque populus sacra peteret à Castellanis. Igitur Bernardus turbare primùm jura Bracarensis Archiepiscopi, dein palam infringere, provinciamque raptare sub umbra legationis, ut olim Illyricum Anastasius Episcopus Thessalonicensis. Intercessit Burdinus, ne dignitati auctoritatique suæ injuriam inferri sineret, neu successoribus exitiosa inciperentur. Appellavit Paschalem Romanum Pontificem. Is verò sæpe monuit Bernardum ut abstineret ab inferendis injuriis Mauritio Archiepiscopo Bracarensi. Sed ille tamen à continuis bellis nunquam conquievit, ac semper affectavit turbare jus metropoliticum Ecclesiæ Bracarensis. Vnicum tantis malis remedium erat appellatio ad Pontificem Romanum, ut adversùs Legatum sedis apostolicæ. Magna quippe tum erat Legatorum istiusmodi reverentia magnaque auctoritas apud omnes ubique gentes, tum metus ex potestate eorum, ut alibi dictum est à nobis. Quod itaque unum erat afflictis rebus remedium, pergit in Italiam Burdinus anno millesimo centesimo decimo quinto. Hanc enim ejus in Italiam profectionem eo anno contigisse hinc colligitur quòd Petrus

Bibliothecarius loquens de coronatione Imperatoris, quæ medio anno MCXVII. Romæ peracta est à Burdino, scribit eum biennio non introiisse provinciam Bracarensem. Quod evincit, ut dixi, eum de provincia decessisse anno millesimo centesimo decimo quinto.

VIII. Agebat per ea tempora Paschalis Papa in partibus Apuliæ; unde Romam reversus est VII. Kalendas Octobris, ut ait idem Petrus. Secedens dein Anagniam, auditis illic quæ adversùs Bernardum proponebantur, non perstrinxit quidem illum asperioribus verbis, tamen etsi exemplū haberet sancti Leonis, qui Anastasium Thessalonicensem inconcessa præsumentem graviter increpaverat; sed ratus infra dignitatem Romani Pontificis esse si Legatus apertè damnaretur, aliam viam invenit sistendæ hominis audaciæ nimis pervicaci, terminos nimirum ponendo legationi ejus, Mauritiumque Bracarensem Archiepiscopum universamque provinciam ab illius jurisdictione liberando; simulque Conimbricensem diœcesim, quam Bernardus subtrahere conabatur metropoli Bracarensi, ad eam pertinere debere pronuntiavit. Horum Papæ Paschalis decretorum mentionem facit Innocentius III. lib. II. epist. CXXVI. occasione controversiæ quæ pontificatu ejus fuit de diœcesi Conimbricensi inter Bracarensem Compostellanumque Archiepiscopos. Nam Conimbricam uterque contendebat ad metropolim suam pertinere. Bracarensis ergo, ut jus suum tueretur, allegavit decreta Papæ Paschalis, quæ Conimbricensem diœcesim adjudicant Archiepiscopo Bracarensi. Hæc sunt verba Innocentij. *In tantum enim Paschali Papæ, qui privilegia super redintegratione prædictorum episcopatuum Ecclesiæ Bracarensi concessit, constitisse videtur hos episcopatus ad eandem Bracarensem Ecclesiam pertinere quòd ipse in literis quas*

direxit Gonsalvo Colimbriensi Episcopo manifestè testatur quòd constat Colimbriensem Ecclesiam in Bracarensis provinciæ catalogo contineri. Vnde quia Toletanus Archiepiscopus ad mandatum ipsius Colimbriensem Episcopum non restituerat Ecclesiæ Bracarensi, privavit ipsum legationis officio, ut Bracarensis Archiepiscopus liberiùs in provincia sua justitiam exerceret. Extant porrò epistolæ illæ quas heic commemorat Innocentius, prior quidem edita ab Antonio Brandano in tomo tertio Monarchiæ Lusitanæ, posterior à Roderico à Cunha in tractatu de primatu Bracarensis Ecclesiæ in universa Hispania. Sic autem habent.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Gonsalvo Colimbriensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quanti criminis habeatur ecclesiasticæ auctoritatis contemptus ex propheticis verbis agnoscitur, ubi scriptum est: Quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. *Fraternitatem tuam missis & remissis literis admonuimus ut confratri nostro Mauritio Bracarensi Archiepiscopo tamquam Metropolitano tuo reverentiam obsequiumque impenderes. Tu verò & literas contempsisti, & privilegia quæ Bracarensi Ecclesiæ apostolicæ sedis auctoritate indulsimus sub contemptu ejusmodi conculcasti. Adhuc tamen penes te patientiam exhibentes præcipimus ut eidem Archiepiscopo tamquam Metropolitano tuo deinceps debeas obedire. Porrò nisi infra dies quadraginta postquam has literas acceperis debitam ei obedientiam præstaveris, ex tunc ab episcopali officio te suspendimus. Datum Anagniæ* III. *Nonas Novembris.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato salutem & apostolicam benedictionem. Pro injuriis confratris nostri Mauritij Bracarensis Archiepiscopi fraternitatem tuam sæpe monuimus; sed adhuc se vehementer à te gravari conqueritur. Colimbriensis enim

Episcopi

Episcopi obedientiam ei contra Romanæ auctoritatis privilegia subtraxisti. Item in Lucensi Ecclesia, ad ejus metropolim pertinente, Episcopo præter judicium ejecto, superordinari alium proposuisti. Idipsum in monasterio beati Petri de Monte factum conqueritur. Bracarensis Ecclesiæ bona & ab aliis distrahi consensisti, & ipse cum familiaribus tuis mora diutina consumpsisti. Per totam etiam provinciam, invito & ignorante eo, potestatem tuæ voluntatis exerces. Asturicensis Ecclesiæ parrochiam, ut Salmantinam augeres, invito eo imminuisti. Nos autem in his vehementer regni turbationem & ætatis tuæ gravedinem infirmitatisque pensamus. Idcirco te ab injuncta super Archiepiscopum & provinciam Bracarensem cura legationis absolvimus, ut liberiùs ipse valeat in provincia sua justitiam exercere. Datum Anagniæ III. *Nonas Novembris.*

IX. Vsus est sanè Bernardus, ut est varia vitæ humanæ commutabilisque ratio, fortuna partim prospera, partim adversa; planèque expertus est id quod M. Tullius alicubi observavit, magnam esse vim in fortuna in utramque partem, vel ad secundas res, vel adversas. Inter adversa quidem numeraverim infelicem hunc sacrosanctæ pontificiæ legationis exitum, eò graviorem quòd ista pati coactus est in extrema senectute & post tam diuturnam auctoritatem. Annus porrò millesimus centesimus sextus initium ei fuit longi exilii, & Hispaniæ seminarium itidem magnorum motuum ac bellorum. Alfonsus enim Castellæ Rex maritum Vrracæ filiæ quæsiturus, adeoque Regem post se Hispaniæ daturus, Bernardum ac reliquos Episcopos & Abbates regni sui Toletum ad se vocans, cum eis consultavit de matrimonio Vrracæ cum Alfonso Rege Aragonum, universorumque consensu nuptiæ illæ celebratæ sunt, invita licèt ac repugnante nobilitate, quæ Vrracam alicui è regni proceribus nubere malebat. Tum statim nova nupta

Roder. Tolet. lib. 6. rer. Hisp. c. 34.

in Aragoniam abducta est. Mortuo deinde patre Alfonso anno centesimo nono supra millesimum, Reginam initi conjugij haud obscurè pœnitere cœpit; an quia rerum omnium satietas est, omnibusque in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum; seu quia in femina ad omne dedecus projecta conjugii dignitas impedimento erat ne suos sensus voluptarios omnes incitaret libidinesque expleret. Igitur in Castellam marito jubente profecta, primùm usurpare jura regia, deque Castellanorum vita ac fortunis decernere inconsulto marito, multaque probrosa agere quæ silentio transmitti non possent. Ea de causa Alfonsus illam ad arcem Castellare in custodiam tradidit, ex qua tamen ipsa re cum suis communicata in Castellam evadit. Verùm à regni proceribus ad virum remissa, carceri denuo mancipatur. Eo tumultu excitati Castellani proceres, utendum tempore rati, inventamque occasionem dissolvendi conjugii quod inauspicato coierat invita nobilitate, societates inter se ineunt adversùs Aragonios conatus. Ex ea re in animis hominum religiones excitatæ ei obtemperare fas esse negantium qui legitimus Rex non esset. Odio quæsitus color, incestæ nuptiæ. Alfonsus enim Vrracæ conjunctus erat proxima consanguinitatis linea, quam enarrat Rodericus Toletanus in initio libri septimi. Porrò auctoritas Romani Pontificis implorata non fuerat quò justæ legitimæque essent nuptiæ. Nondum enim moribus receptum erat ut Pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent, ut heic observavit Mariana. Paschalem nihilominus Papam in partes trahi debere visum. Itaque ad eum missa legatio, causa omnis exposita, nuptias fuisse celebratas contra sanctorum canonum reverentiam, sola regnantium auctoritate; decretum ederet quo incestum matrimonium dissolveretur. Et patet ita factum in gratiam Vrracæ, quæ

Roder. Tolet. lib. 7. rer. Hisp. c. 1. Mariana lib. 10. c. 8.

certa odii adversùs Alfonsum signa dederat, & tum impendio eum odisse credebatur. Visum ergo ut adversùs eam scriberetur, quò consilia occultiora forent, Reginaque, si fortè custodia evaderet, probabiles justasque causas habere videretur repudiandi Alfonsum enubendique in familiam alicujus è proceribus Castellanis. Scribens igitur Paschalis ad Didacum Episcopum Compostellanum, quem ego virum summæ tum dignitatis auctoritatisque fuisse reperio, jussit ut Vrracam excommunicationis pondere perculsam regnoque privandam denuntiaret si in incesto perseveraret. Ego existimo facilè lubenterque pontificiis illam literis obsequuturam fuisse si sui juris ac libera fuisset. Verùm semper in custodia attinebatur jussu mariti. Ille verò insuperhabuit decretum Pontificis, seu quia legitimum conjugium esse putabat quod auctoritate Præsulum Hispanorum ipsiusque Toletani Primatis coierat, sive etiam quòd iram & odium concepisset adversùs hominem qui per illam matrimonii dissolutionem sibi adimere meditaretur regna Legionis & Castellæ, ut Castellanis proceribus gratificaretur. Quin & addita contumelia. Nam quia Episcopi Hispani, quò reverentiam & obsequium erga sedem apostolicam suum publicè testarentur, seu quia illos quoque forsitan tædebat Aragoniæ dominationis, Alfonsi imperium detrectabant ac fortean illum diris devovebant in consequentiam literarum pontificiarum, ipse, ut solent irati Principes, & qui dignitatem auctoritatemque suam modis omnibus sartam tectamque tueri volunt, Episcopos affligens, etiam Bernardum Archiepiscopum Toletanum ejecit in exilium, quod is biennio toleravit, nihil prohibente legationis pontificiæ sacrosancta majestate, ut ait Mariana. Addit Baronius Burdinum Bracarensem Episcopum hac occasione captata Romam venisse, Paschalem Pontificem adiisse, atque oblata

pecunia in Bernardi locum petiisse se substitui, sed repulsum fuisse; itaque cum execratione rejectum à Paschali, se contulisse ad Henricum Germaniæ Regem, quem eidem Paschali jam cœpisse adversari intellexerat, eumque calcaribus impulisse per abrupta, neque quievisse quousque nisibus ejusdem Henrici apostolicum thronum invasit.

X. Profectò narrationem istam eleganter & ingeniosè concinnavit Baronius; neque ulla, fatendum enim est, commodior aut probabilior occasio reperiri potuit ad adstruendam fidem huic fabulæ quàm calamitas illa Ecclesiæ Toletanæ. Bene ergo se res haberet si vera proderentur. Sed tantum abest ut vera sint, ut etiam à nullo alio scriptore ante hoc seculum tradita sint quàm à Baronio. Quod autem à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur, ut docuit idem Baronius. Scio Romualdum Archiepiscopum Salernitanum & Rodericum Toletanum, acerrimum ac vehementissimum Toletani primatus defensorem, commemorare nundinationem illam, sed non in illo tamen tempore quo Baronius ista pronuntiat evenisse. Ac sanè tot contradictionibus implicata est tota illa narratio apud Rodericum ut valde probabile sit inventam esse ut Burdini memoria, qui conatibus Archiepiscopi Toletani fortiter olim resistere ausus erat, obscuraretur obrueturque multitudine atrocitateque flagitiorum. Nam scriptum est apud Rodericum id evenisse statim post mortem Vrbani secundi. Quo tempore Burdinus nondum erat Archiepiscopus, nullaque hactenus controversia fuerat inter Paschalem & Henricum, nulla Bernardum inter ac Burdinum. Profectò vanitas istius Rodericianæ scriptionis ex eo deprehenditur quòd illic scriptum sit Burdinum in sedem apostolicam evectum ab Imperatore eo ipso tempore quo Paschalis Papa in

custodia regia erat, & quòd Paschalem ait diem suum obiisse apud Caietam. Nam hæc omnia sunt falsissima. Æquè falsum est quod ait Romualdus, Burdinum, defuncto Toletano Archiepiscopo, largita Paschali Papæ thesauri copia petiisse ab eo Toletanum archiepiscopatum, sed obtinere non potuisse, licèt Paschalis pecuniam accepisset. Quippe Bernardus superstes fuit Papæ Paschali. Crimen enimvero magnum Burdini fuit, & quo Roderici odium promeritus est, excussisse auctoritatem primatus Toletani, quam in provincia Bracarensi obtinere debere acriter, irrito quamvis conatu, contendit postea Rodericus in Concilio quod Romæ in Ecclesia Lateranensi celebravit Innocentius Papa tertius. Ex eo fonte & ex incertis ac maledicis vulgi rumoribus ortam puto narrationem illam. Nam si rejectus cum execratione Burdinus, ut Baronij verba repetamus, addita etiam ea contumelia quam enarrant Romualdus & Rodericus, nimirum acceptam quidem à Paschale pecuniam quæ à Burdino offerebatur, sed frustratum nihilominus petitione sua; si inquam hæc vera sunt, quæ vel immanissima sunt, cur Burdino postea gratificatus est Paschalis, cur eum tuitus est adversùs vim Bernardi? Cur non eum opprimi à Bernardo sivit, virum ambitiosum, versipellem, flexibilem, ingratum, & qui res Dei pretio constare putaret? Cur ejus opera uti postea voluit ut concordiam revocari procuraret inter sacerdotium & regnum? Constat enim ex literis Gelasij secundi ad clerum populumque Romanum scriptis Mauritium Bracarensem Archiepiscopum à Paschale Papa missum fuisse Legatum ad Henricum pro pace tractanda. Absit autem ut existimemus sanctum Pontificem, cujusmodi fuit Paschalis, uti in negotio gravissimo voluisse opera viri quem sciret esse perditæ ac profligatæ conscientiæ, quemque ipse ob eam causam ignominia insigni notasset.

XI. Perseverabat enim adhuc schisma inter Paschalem & Henricum post abrogatum in Romana synodo privilegium investiturarum. Nondum discordiarum finis; & tentata sæpe pax, nunquam coalescere poterat. Nam facta cum Henrico pax, non pax fuit, sed pactio servitutis. Tamen quia is pacem se quàm bellum malle prædicabat, Pontifex pacis amantissimus officij sui esse putavit ut gravem aliquem virum ad eum mitteret, qui pacem inter ipsos procuraret. Delectus est ad id munus exequendum Mauritius Bracarensis, vir magna prudentia, usu, & exercitatione præditus, ad eumque destinatus cum dignitate Legati sedis apostolicæ. Contigit istud anno Christi MCXVII. ut ego quidem arbitror. Nam & eo anno Mauritius erat in comitatu Augusti, & non ita multò pòst à Paschali excommunicatus est in Concilio Beneventano, ceu mox sumus dicturi.

XII. Certum prorsùs habeo non defuisse suo Legatum, paciscque bonis Henrico propositis flexisse ferocem animum ad redintegrandam cum Pontifice concordiam. Consiliis enim Burdini tribuendum puto quòd eodem anno MCXVII. Henricus Romam venit ut diadema imperatorium acciperet de manu Paschalis. qui futurus erat omnium controversiarum laudabilis exitus. Verùm quia Henricus, ut solent Principes satellitio muniri, Romam venerat armatus, Pontifex, qui bene meminisset carceris ac vinculorum suorum, fugæ tutam viam quærens, liberam Augusto urbem reliquit. Ægrè profectò absentiam ejus tulit Augustus; ut ipsemet testis est in oratione quam habuit ad populum Romanum, quæ extat apud Petrum Bibliothecarium. *Ecce*, inquit, *à patre Romanæ Ecclesiæ Domino Paschali è Galliis coronandus adveni in urbem. Eum abesse infortuniis meis deputo.* Ne tamen non acciperet coronam imperialem, cujus accipiendæ causa Romam venerat, usus est opera Mau-

ritij, utpote Legati apoſtolici, ad peragendam conſecrationem ſuam. Ita enim docet idem Petrus Bibliothecarius. *Rex accito Mauritio Bracarenſi Archiepiſcopo, qui ob ſuperbiam levitatemque curialis effectus per biennium extra parrochiam propriam opulentiſſimè cultu regio hac & illac molliter diſſolutèque vagaverat, ante corpus beati Gregorij coronari ſe fecit.* Et manifeſtum eſt, ni fallor, non alia de cauſa delectum ad id facinus Mauritium quàm quia Romani Pontificis vices obtinebat apud Auguſtum, pacis ac concordiæ interpres. Alioqui enim cur non potiùs Germani cujuſpiam miniſterio uteretur Henricus? Et fortaſſis rebatur non ægrè laturum Paſchalem ſi, abſente ſe, Imperator à vicario ſuo coronaretur in urbe, atque hac ratione redintegrari poſſe concordiam; contrà quàm evenit.

XIII. Nam Paſchalis, qui tum agebat in partibus Apuliæ, audito Henricum Romæ coronatum fuiſſe à Burdino ſedis apoſtolicæ Legato, ſtatim ſibi perſuaſit illum in partes Henrici tranſgreſſum eſſe, incanduitque ut adversùs proditorem ac perfugam. Ea de cauſa (qui mos erat illorum temporum, in gravioribus cauſis nihil agere ac ſtatuere inconſultis collegis) ſynodum congregavit apud Beneventum, in qua Burdinum publicè ob eam cauſam excommunicavit, ut docet Gelaſij ſecundi epiſtola ad Gallos. At ex epiſtolis ejuſdem Gelaſij ad Bernardum Toletanum & ceteros Hiſpaniarum Epiſcopos diſcimus, non ſolùm excommunicatum in ea ſynodo fuiſſe Burdinum, ſed præterea depoſitum ab honore epiſcopatus, (quod etiam tradunt Sugerius in vita Ludovici Groſſi, Romualdus Salernitanus, itemque Petrus Diaconus Caſinenſis) injunctumque Bernardo fuiſſe uti ad electionem Epiſcopi in Bracarenſi Eccleſia faciendam operam & opem præberet cum effectu. Cauſa autem excommunicationis fuit, quòd contra juſſionem Paſ-

chalis, ut Romualdus ait, in Ecclesia beati Petri Missam celebrasset, sive quòd adhæreret Regi excommunicato, id est, Henrico Imperatori, quem in Ecclesia sancti Petri ante corpus beati Gregorij coronavit, quem verò Paschalis propterea vocat Regem excommunicatum quia jamdiu à Paschali Papa & ab universa Ecclesia fuerat excommunicatus. Episcopus enim qui deprehensus fuerit communicare cum excommunicatis, & ipse communione privandus est, juxta canonem secundum Antiochenum. Iuraverat præterea Burdinus in acceptione Pallij non communicaturum se scienter his quos Romani Pontifices nominatim excommunicassent. Hinc sequebatur etiam perjurij crimen. Episcopus porrò in perjurio deprehensus deponi jubetur in canone x x v. apostolico. Itaque ex excommunicatione secuta est sententia depositionis adversùs Burdinum, quamvis absentem, juxta legem Gregorij septimi. Nam novi istius juris repertor Gregorius pronuntiavit effatum istud: *Quòd absentes Papa possit deponere.* Quamquam, si rem sepositò omni affectu humano consideramus, poterat Burdinus optimo jure conqueri de iniquitate judicij. Neque enim sponte sua communicaverat cum Henrico, sed jussu Papæ Paschalis, cujus Legatus erat apud Henricum.

XIV. Accidit interim post mortem Paschalis, dum Princeps Romam pergeret ut electionem futuri antistitis præsente se fieri procuraret, festinatam eam fuisse ac peractam ante adventum ejus. Quod an tentatum fuerit studio conservandæ libertatis ecclesiasticæ, an verò propter odium Henrici, seu quia in animis amicorum Paschalis inhærebat adhuc memoria injuriarum ei ab Augusto illatarum, non est istius temporis investigare. At parte ex alia Henricus, dum se contemptum videt, majestatemque imperatoriam & jus regnantis pulsari ac temerari ægrè patitur, or-

dinationi Ioannis Caietani, qui tum electus fuerat, & Gelasius secundus postea dictus est, assentiri noluit.

XV. Hoc nimirum fuit initium schismatis quod per illa tempora distraxit Ecclesiam, regnumque & sacerdotium, ut sanctus Bernardus ait, divisit plaga penè incurabili & castigatione crudeli. Et poterat istius mali causa tolli si vel expectatus fuisset Henricus, vel Romam rediisset Gelasius ab Augusto vocatus. Miserat enim Henricus ad eum legatos oratum ut in urbem rediret, illic peragendam consecrationem Romani Pontificis in sede Petri, huic porrò & interesse se valde cupere, & assensu suo corroboraturum, posse ea ratione redintegrari concordiam si inter se colloquerentur. Verùm Gelasius, qui mallet nimis timidus quàm parum prudens videri, dum repetit memoriam Paschalis in carcerem conjecti, fidem adhibere noluit promissis Henrici; sed Caietæ remanens, facta legatis potestate discedendi, hæc Imperatori dicenda mandavit, accepturum se statim consecrationem, ac postea cum Augusto collocuturum ubicumque lubitum illi foret. *Ego verò*, inquit, *Deo annuente consecrationis accipiam firmitatem. Dehinc me, ubicunque voluerit, paratum ad propositum negotiationis inveniet.* Profectò, si verum fateri volumus, dura illa & inimica responsio, tum ordinatio Gelasij statim peracta velut in contemptum Augusti, animum satis jam exulceratum facilè excitare potuerunt ad audendum magnum aliquod facinus; præsertim si diligenter attendimus existimasse illum eligi non potuisse Pontificem Romanum inconsulto se, multò minùs contempto. Prætendebat enim haud dubiè Henricus eam electionem esse nullam quæ insciente se celebrata fuerat. Quò enim evasurum antiquum Augustorum jus, nuperrimè à Nicolao II. confirmatum in Concilio Romano? Non ferendam eam audaciam, ac validè reprimendam. Timendum enim

S. Bernard. epist. 219.

Falcon. Benev. chron.

ne si ista silentio transmitterentur, jus imperatorium paulatim aboleretur, nihilque posthac auctoritatis reliquum Augustis foret in electione Pontificum Romanorum.

XVI. Sed ut istæ Henrici querelæ speciem ostendantur habere justitiæ, necessarium est nonnulla dicere de jure quod Romani Imperatores habebant antiquitus in electione Pontificum Romanorum; ut qui Burdinum ab eo in sedem apostolicam evectum lecturi sunt, non statim eum de vi damnent, sed jure regio, ut tum quidem putabant, factum interpretentur. Nam ex libro diurno Pontificum Romanorum, quem nuper eruditissimi viri Ioannis Garnerij diligentia produxit dias in luminis oras, discimus hunc olim in Romana Ecclesia morem fuisse ut quum summus ejus antistes obiisset, statim ij qui servabant locum sanctæ sedis apostolicæ ad Exarchum Ravennæ commorantem scriberent de ea re, & quum postea electio facta esset, ab Imperatore peterent confirmationem electionis, absque qua ordinationem peragi non potuisse patet ex vita Gregorij Magni & ex gestis Vitaliani & Agathonis Pontificum Romanorum. Scribebant etiam ad Exarchum, ut propè positum, vicemque Imperatoris in Italia tenentem, ut ejus consensum elicerent, ut patet ex eodem libro diurno. Extincta deinde Exarchi dignitate anno DCCLV. Ravennaque tradita Romanæ Ecclesiæ à Pippino Rege Francorum, cùm in occidente viluisset auctoritas Imperatorum, surgensque Carlovingicæ familiæ gloria tutelam Italiæ suscepisset & apostolicæ sedis, quum Longobardos Italia expulisset Karolus Magnus, libertatem Romanis reddidisset, sedem apostolicam variis donis ac muneribus ornasset ac locupletasset, invenit Hadrianus Papa istius nominis primus rationem exsolvendi aliquantum beneficia ejus, translato videlicet in eum in plena synodo jure eligendi Pon-

tificem Romanum & ordinandi apostolicam sedem. Erat Karolus natura generosus, beneficentissimus, & ad bene merendum quàm responcendum propensior. Itaque gratus iste Hadriani animus ei stimulus haud dubiè fuit ad ornandam adhùc muneribus urbem Romam; planèque affirmare licet ita Karolum sibi deinceps maximis suis & immortalibus beneficiis devinxisse Pontifices ac populum Romanum ut utrorumque valde interfuerit ut si minùs tantam ei gratiam referre possent quanta debebatur, haberent tamen quantam maximam animi eorum capere poterant. Mortuo igitur Hadriano succedens Leo III. anno DCCXCVI. *mox per legatos suos* (verba sunt Eginhardi in annalibus) *claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi misit; rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus Abbas monasterij sancti Richarij.* Tum ergo confirmatum est Karolo summum jus summumque imperium in Romanam urbem; ut etiam colligi potest ex chronico Moyssiacensi, in quo scriptum est eum tenuisse Romam matrem imperij antè quàm fieret Imperator. Aucta deinde Karoli dignitas ex nomine Imperatoris & Augusti, quod anno octingentesimo in eum collatum est in Concilio Romano. Hinc ergo, si non comprobata, saltem accepta potestas cognoscendi de electione Romani Pontificis, an legitimè facta foret, tum propter jus imperatorium de quo suprà diximus, tum quia multùm interest Regum ac Principum ut in civitatibus imperio eorum subjectis tales instituantur Episcopi quorum fidei & virtutibus ipsi Reges ac Principes confidant, & qui populos verbo & exemplo doceant jura majestatis non esse violanda. Itaque sequentes post Karolum Imperatores non antè Pontificum Romanorum ordinationes

peragi sinebant quàm ex inquisitione prudentium Missorum constitisset electionem rite ac legitimè factam fuisse, electumque Pontificem Principi futurum fidelem; uti pluribus olim dictum à nobis est ad Agobardum. Sed vetera hæc. Transeamus ad posteriora tempora, ut ævo Burdini proximiora.

Fragment. hist. Aquit. editum à Pithœo.

XVII. Nam Gerbertum Ravennatium Archiepiscopum, Silvestrum secundum deinde dictum, quis ad fastigium Romanæ sedis evexit, quis elegit, quis alius creavit quàm Otto Imperator istius nominis tertius? Gregorium sextum rite canonicèque electum & consentiunt veteres & contendit illustrissimus Cardinalis Baronius. Sed hunc tamen in Sutrina synodo deposuit Henricus Germaniæ Rex anno MXLVI. & Suidgerum Bambergensem Episcopum *summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem*, ut ait Hermannus contractus. Quid non & Damasus secundus, Poppo antea vocatus Episcopus Brixinensis, ab eodem Imperatore missus est Romam *Pontifex consecrandus?* Et successor Damasi Leo IX. Leucorum tum Episcopus, vir catholicæ Ecclesiæ consensu consecratus in sanctorumque numerum relatus, nonne ad Romanam cathedram pervenit præcepto Imperatoris, ab eo electus? Atque hoc jus imperatorium adeo constans erat per illa tempora ut quoties Romani cujuspiam Pontificis obitus eveniebat, mitterent Romani legatos ad Imperatorem, oratum ut successorem daret. Denique & ipse Gregorius septimus, nondum sanè Pontifex, sed Subdiaconus Hildebrandus, à Romanis missus est ad Imperatorem anno MLIV. ut successorem Leoni peteret. Missus est autem ab Augusto Gebehardus Eystettensis Episcopus, Victor secundus postea nominatus. Vnde porrò ortum est schisma inter Alexandrum secundum & Cadaloum quàm ex injuria quam sibi à Romanis illatam contendebat Imperator Henricus IV. *quòd ipso nesciente Pontifex*

Baron. ann. 1044. §. 6.

Baron. ann. 1048. §. 1. Hermann. Contr. ad an. 1047. Herm. contr. ad an. 1049. Vita S. Henrici edita à Gretsen. c. 17. Anonymus Hasenrietanus.

Baron. ann. 1054. §. 51. ex Leone est. lib. 2. c. 90.

Baron. ann. 1061. §. 9.

Romanus electus esset? Nam Henricus olim acceperat principatum super ordinatione Romani Pontificis. Quod privilegium Henrico, istius filio, confirmatum est à Nicolao II. in plena synodo Romana, ut fidem facit etiam Advocatus regius apud Baronium. Non alia profectò causa Gelasium II. & Henricum V. dissociavit quàm contemptus Augusti in electione Gelasij, ut diximus. Baron. ann. 1059. §. 24.

XVIII. His ergo quas suprà diximus cogitationibus, ut ego quidem arbitror, incitatus Henricus, tum exasperatus animo ob liberam Gelasij contumaciam, *quò imperij jura tueretur*, ut ait Alphonsus Ciaconius, Mauritium Bracarensem Archiepiscopum eligens ut esset Pontifex Romanus, eum in sede apostolica collocavit adhibitis veteri consuetudine, ut Ioannes Aventinus ait, suffragiis nobilium Romanorum eorumque è clero qui discedente Gelasio remanserant in urbe, proque Mauritio Gregorium nominavit, istius videlicet nuncupationis octavum.

XIX. Anselmus Abbas Gemblacensis, tum vivens, hoc schismatis exordium, hunc progressum fuisse docet in suo chronico: *Paschalis Papa moritur. Succedit Iohannes Gaietanus, qui & Gelasium se nominat. Cùm verò Henricus Imperator, tunc temporis agens in Italia, Romam tenderet ad eligendum Papam, Iohannes præsentiam ejus veritus, jam electus & ordinatus, secessit Capuam. At Imperator, quia electioni non interfuerat, nec ordinationi consensit; sed aliquibus Romanorum adnitentibus Hispanum quendam Burdinum nomine satis Clericum ei superordinari, fecit.* Eandem discordiæ causam præfert vetus epitaphium Gelasij.

Præsule Paschali meritis ad sidera rapto,
Promeruit tandem sacram conscendere sedem,
Dignus post primum Gelasius esse secundus.
Sed quia Rege fuit non præcipiente levatus,
Horrendum fremuit Princeps.

Item Eadmerus monachus Cantuarienſis in libro quinto hiſtoriæ novorum: *Rex verò Teutonicus, qui & Romanus Imperator, audito Papam huic vitæ deceſſiſſe, Romam advolat, & Bracarenſem Epiſcopum, jam anno præterito ab eodem Papa Beneventi excommunicatum, cedente ab urbe Gelaſio, ſuum Papam inſtituit, & ex Burdino Gregorium nominat.* Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in ſuo chronico: *Paſchalis Papa Romæ defunctus eſt. Et Iohannes natione Gaietanus, qui Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Cancellarius fuerat, ſtatim à clero & populo Romano in pontificatus honorem electus & Gelaſius eſt Papa nuncupatus. Qui priùs quàm ordinaretur, propter Henrici Alamannorum Regis adventum, qui tunc Romam feſtinus advenerat, ipſe Gelaſius in civitatem Gaietam ſeceſſit, ibique à Cardinalibus qui eum ſecuti ſunt ordinatus eſt & conſecratus. Spreverat enim prædicti Imperatoris aſſenſum ejuſque communionem. Imperator autem hoc videns, convocato populo Romano cum quibuſdam Clericis, juſſit eligi in ordine ſummi Pontificis quendam Burdinum nomine, cui nomen impoſitum eſt Gregorius Papa.* Ordericus Vitalis lib. XII. hiſtoriæ eccleſiaſticæ: *Defuncto Paſchali Papa, Ioannes Caietanus Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius & magiſter in Gelaſium Papam electus eſt, & contradicente Imperatore à Romano clero canonicè conſecratus eſt. Tunc etiam Burdinus Bragarum Archiepiſcopus, qui ſuis à fautoribus Gregorius VIII. vocitatus eſt, Imperatore connivente in Eccleſiam Dei intruſus eſt.*

XX. Contigiſſe iſta ſeptimo Idus Martias anni MCXVIII. docet nos epiſtola Gelaſij ad Gallos, in qua ſcriptum eſt Burdinum in ſedem apoſtolicam evectum ab Henrico fuiſſe quadrageſimo quarto die poſt electionem Gelaſij. Cùm enim is electus fuerit VIII. Kalendas Februarij, ut conſtat ex Pandulpho Piſano & aliis ſcriptoribus, conſequens eſt Burdini

electionem septimo Idus Martias fuisse celebratam.

XXI. Hanc Gregorij electionem & ordinationem ut primùm audivit Gelasius è Caieta, quò post fugam suam se receperat, has ad Gallos literas dedit, quas heic describimus ex editione quæ extat apud Eadmerum & apud Simonem Dunelmensem, utpote quæ emendatior esse videtur.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Clericis, Principibus, & ceteris per Galliam fidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Quia vos Romanæ Ecclesiæ membra estis, quæ in ea nuper acta sunt dilectioni vestræ significare curavimus. Siquidem post electionem nostram Dominus Imperator furtivè & inopinata velocitate Romam veniens, nos egredi compulit. Pacem postea minis & terroribus postulavit, dicens se facturum quæ posset nisi nos ei juramento pacis certitudinem faceremus. Ad quæ nos ista respondimus. De controversia quæ inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel justitiæ libenter adquiescimus & loco & tempore competenti, videlicet vel Mediolani, vel Cremonæ, in proxima beati Lucæ festivitate, fratrum nostrorum judicio vel consilio, qui à Deo sunt judices in Ecclesia constituti, & sine quibus causa hæc tractari non potest. Et quoniam Dominus Imperator à nobis securitatem quærit, nos verbo & scripto ista promittimus, nisi interim ipse impediat. Alias enim securitates promittere nec honestas Ecclesiæ nec consuetudo est. Ille statim, die videlicet post electionem nostram quadragesimo quarto, Bracarensem Episcopum, anno præterito à Domino prædecessore nostro Paschale Papa in Concilio Beneventi excommunicatum, in matris Ecclesia invasionem ingessit; qui etiam dum per manus nostras olim Pallium accepisset, eidem Domino nostro & catholicis successoribus ejus, quorum primus ego sum, fidelitatem juravit. In hoc tanto facinore nullum de

Romano clero, Deo gratias, Imperator ſocium habuit; ſed Guibertini ſoli, Romanus de ſancto Marcello, Cencius qui dicebatur ſancti Griſogoni, & Teuzo, qui multo per Daciam tempore debacchatus eſt, tam infamem gloriam celebrarunt. Veſtræ igitur experientiæ literarum præſentium præcepto mandamus ut ſuper his communi per Dei gratiam deliberatione tractantes, ad matris Eccleſiæ ultionem communibus præſtante Deo auxiliis, ſicut oportere cognoſcitis, accingamini. Data Caietæ XVII. *Kal. February.*

XXII. Siſte heic paululùm, quæſo te, lector, ut nonnulla mecum obſerves in hac Gelaſiana epiſtola quæ non videntur eſſe leviter prætereunda. Primùm ex ea docemur, præter ea quæ de legatione Henrici ad Gelaſium referuntur à Falcone Beneventano, petiiſſe Auguſtum pacem à Pontifice, & quidem his artibus uſum quibus plerunque uti ſolent qui eam maximè cupiunt, minis videlicet ac terroribus, ut faciliùs animum Gelaſij flecteret ad concordiam ineundam. Minæ autem hæ fuere, facturum ſe quæ poſſet. Probabile eſt ſuſpenſum iſtud & ambiguum ſcribendi genus non fuiſſe obſcurum Gelaſio. Ea enim mens erat Auguſto; habere ſe maximam auctoritatem in electione Romani Pontificis, quæ firma ac valida eſſe non poſſet niſi accederet aſſenſus principalis, non comprobaturum ſe illam, immo cuncta acturum quibus futuram ordinationem infringi ac labefactari poſſe arbitraretur, ni Gelaſius ſecum rediret in gratiam; id ſe valde cupere & optare; ſin aliter eveniret, declaraturum ſe nullam fuiſſe electionem Gelaſij, aliamque celebraturum, adeoque æmulum levaturum adversùs Gelaſium; quòd ſi Gelaſius pacem mallet, certitudinem pacis faceret. Tangit iſtud caput controverſiam inveſtiturarum, quæ per tot annos turbavit Eccleſiam. Moleſtè ferebat Henricus abrogatum in Romana ſynodo privilegium domui

Auguſtæ

Augustæ concessum à Paschali, & renovari cupiebat. Petebat ergo ut donec magnus dies imponi posset huic controversiæ, Gelasius sponsionem faceret ac promitteret non turbaturum se, neque causam offensionis Henrico præbiturum ob investituras. Et æquissima videbatur Henrici postulatio, neque præjudicabat quicquam adversùs ecclesiasticas regulas. Verùm Gelasius semper timidus, adeoque procrastinandum ratus, negotium istud remisit ad proximam synodum Mediolani vel Cremonæ celebrandam in festivitate beati Lucæ, id est, post septem mensium spatium. Potuit existimare Henricus ludificationem id esse, & valde probabile est ita existimasse. Tum statim secuta electio Burdini, quadragesimo quarto die post Gelasianam.

XXIII. Ait deinde Gelasius nullum de Romano clero consensisse huic secundæ electioni. Heic duo quædam observanda sunt. Primum, aliter se habere hunc locum apud Eadmerum & apud Simonem Dunelmensem, aliter apud Vvillelmum Malmesburiensem & Rogerium de Hoveden. Nam apud istos ita omnino legitur hic locus: *In hoc autem facinore nullum de Romanis Dominus Imperator, Deo gratias, socium habuit.* Falsa est ac mendosa hæc editio. Mentiretur enim Gelasius si ea non esset falsa. Constat enim nobiles quosdam Romanos, & in his Frangepanem, transgressos fuisse in partes Augusti & à Gelasio secessisse. Neque mihi placet Baronij interpretatio, qui ut locum istum à mendacio liberet, ait Gelasium heic per Romanos intelligere catholicos, eos nimirum qui partis erant Gelasij, ac si factionis adversæ homines ne civium quidem Romanorum vocabulo dignos esse putaret. Vana admodum interpretatio. quod salvâ tanti viri pace dictum sit. Vtrique enim, & Gelasiani, & Gregoriani, ejusdem urbis cives erant, licèt partibus ac studiis diversi; ut etiam

ipsi Gelasiani profitentur apud Pandulfum Pisanum in vita Gelasij, ubi Frangepanes, id est, eos qui Gregorij partes sequebantur, sic alloquuntur: *Numquid & nos perdere cupitis? Et quidem Romani sumus, similes vobis, &, si dici liceat, consanguinei vestri.* Melius igitur editio quam nos sequimur, ubi legitur *nullum de Romano clero.* Omnes enim Episcopi & Cardinales Gelasium elegerant, ac sequuti fuerant fugientem, ut patet ex Pandulpho Pisano.

Alterum igitur quod heic observandum est, ita se habet. Affirmat Gelasius Augustum neminem de Romano clero habuisse qui Burdini electioni assentiretur. Prima fronte istud videtur falsum. Nam dubitari non potest quin tres illi quos statim nominat fuerint è clero Romano. Verùm illos ea de causa non connumerat Gelasius in clero Romano quia cùm essent Guibertini, id est, schismatici, præcisi jam olim erant per excommunicationem à corpore universalis Ecclesiæ, adeoque extra clerum projecti.

In fine hæc Gelasij epistola data dicitur Caietæ XVII. Kalendas Februarij. Quo tempore Paschalis nondum mortuus erat, neque Gelasius electus; neque tum iste Caietæ morabatur, sed in monasterio Casinensi. Itaque necesse est mendum heic esse. Quod tamen mendum vetus est, cùm reperiatur in omnibus exemplaribus. Sensit vitium Baronius, proque Februario Aprilem rectè reposuit.

XXIV. Scripsit etiam Gelasius ad Bernardum Archiepiscopum Toletanum, olim quidem abalienatum à Burdino, sed nunc ei infensum haudubiè ac inimicum quòd vim primatus & apostolicæ legationis petitione ejus infractam in Bracarensi provincia constaret. Itaque facile Gelasio fuit accensum contumelia animum trahere in partes suas. Hæc ergo ad eum scripsit.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabili

fratri Bernardo Archiepiscopo Toletano & Hispaniarum Primati salutem & apostolicam benedictionem. Non latere credimus fraternitatem tuam qualiter frater quondam Mauritius Bracarensis Episcopus se jamdiu habuerit, qualiter Ecclesiam suam dimiserit, & quomodo Regi excommunicato adhæserit, & contra statuta canonica in cubile sanctæ Ecclesiæ se ingesserit. Nec eum miramur debitam tibi obedientiam & antiquum primatus honorem Ecclesiæ tuæ penitùs denegasse, qui Romanam Ecclesiam, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non solùm denegare, sed destruere quodammodo conatur &c. Monemus itaque atque præcipimus ut juxta mandatum prædecessoris nostri ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam sollicitudine caritatis debitæ operam & opem præbeas cum effectu. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, perjurum, & matris Ecclesiæ constupratorem publicum ceteris Hispaniarum Prælatis &c. Datæ Caietæ VIII. *Kalendas Aprilis.*

XXV. Eadem die literas sequentes dedit ad universos Hispaniarum Episcopos, quas ex Gelasij regesto se descripsisse ait Rodericus Toletanus.

Gelasius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano Primati & veteris Hispaniarum Episcopis. Non latere credimus fraternitatem vestram qualiter frater noster Mauritius Bracarensis Episcopus se jamdiu habuerit, & quomodo Ecclesiam suam dimiserit, & quomodo Regi excommunicato adhæserit. Illud etiam, ut opinamur, nostis, quòd à prædecessore nostro sanctæ memoriæ Paschali Papa in Concilio excommunicatus sit, & quòd Bracarensi Ecclesiæ sit mandatum ut pastorem sibi alium provideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem, post longum electionis meæ spatium, in cubile sanctæ matris Ecclesiæ se ingessit. Ideoque fraternitati vestræ mandamus ut ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam sollicitudine

caritatis debitæ operam præbeatis. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, perjurum, & matris Ecclesiæ constupratorem ceteris Ecclesiæ filiis publicetis. Datis Caietæ VIII. *Kal. Aprilis.*

XXVI. Siste heic, quæso, rursum, lector, & mecum aliquantisper expende epistolas illas ad Hispanos Episcopos scriptas. Omnino quinque res velut flagitia Burdino objicit Gelasius, societatem cum Imperatore, dimissionem Ecclesiæ Bracarensis, rebellionem adversùs Primatem, perjurium, & quæ ex perjurio sequebatur, sedis apostolicæ invasionem. De societate cum Augusto satis jam suprà dictum est, neque ea repeti nunc est opus. Dimissam ab eo fuisse Ecclesiam objectat, nimirum per biennium. Verum id quidem. Sed non ideo culpandus Burdinus. Quippe certis indiciis deprehenditur non alia illum de causa Ecclesiam suam deseruisse quàm ut jura sedis suæ tueretur adversùs Bernardum pervicaciter, ut apparet, incubantem Ecclesiæ Bracarensi eamque Toletanæ subjicere conanti. Quòd si non statim post confectum negotium rediit Bracaram, accusetur Pontifex Paschalis, qui operam ejus sibi Ecclesiæque utilem ac necessariam putavit, adeoque eum apud se detinuit ut eo uteretur in tractatione gravium negotiorum. Itaque dum illi Gelasius absentiam hanc exprobrat, dat locum defensioni. Nam si crimen istud fuit, cur non eum statim Paschalis ad Ecclesiam suam redire jussit? Cur ejus opera uti voluit ad pacem inter sacerdotium & regnum conciliandam? Agit ergo Gelasius ut adversùs hostem; Paschalisque insuper decreta violat, ut Burdinum fortiùs ac vehementiùs opprimat. Paschalis etenim existimaverat Burdinum habere justam causam, atque adeo nihil deinceps Bernardo licere voluerat in provincia Bracarensi. Gelasius autem insurgit adversùs æmulum, primatumque Toletanæ Ecclesiæ adjudicat super Bracarensem, parte utraque

inaudita, nullo judiciorum ordine servato, & adversùs instituta majorum, id est, impetu, non ratione. Qui modus agendi adeo destitutus erat omni ratione ut Callistus II. insuperhabito Gelasij decreto privilegia Bracarensis Ecclesiæ postea confirmaverit literis datis ad Pelagium Archiepiscopum Bracarensem, quas Mariana recitat. Mariana lib. 10. rer. Hisp. c. 13.

XXVII. Burdinum præterea perjurum vocat Gelasius, ob eam nimirum rationem quòd cùm fidelitatis & obedientiæ juramentum Romano Pontifici Paschali successoribusque ejus, quorum primus erat Gelasius, olim fecisset in acceptione Pallij, nunc papatum Gelasio tollere conabatur contra manifesta juris-jurandi verba. Nam hæc sunt omnino verba juramenti: *Non ero neque in consilio neque in facto ut vitam aut membra aut papatum perdant, aut capti sint mala captione.* Et infrà: *Papatum Romanum & regalia sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine.* Istam criminationem fortiter repulisse Burdinum & in adversarium rejecisse dubitari non potest. Ipse enim se legitimum Paschalis successorem ferebat, Gelasium verò putabat summum pontificatum non rite adeptum fuisse, quia ejus ordinatio destituebatur consensu Imperatoris. Si extarent acta & epistolæ Burdini, quas probabile est Calisti II. jussu combustas fuisse, cùm nulla deinceps earum memoria reperiatur, videremus illic eum diluisse ea maledicta, rectène, an perperam, non est hujus loci judicare. Itaque ad institutum nostrum revertamur.

XXVIII. Vrebat profectò malèque habebat Gelasium tam potens ac tantæ dignitatis adversarius, præsertim quum videret eum sedere in cathedra Petri interim dum ipse alienas terras habitare cogebatur. Itaque cùm per id temporis intellexisset plerosque Romanorum non consensisse electioni Gregorij & consecrationi ejus nullatenus consilij & auxilij manus

dediſſe, quemadmodum illos ad Gelaſium ſcripſiſſe memorat Falco Beneventanus, optimum factu putavit ſi literas grati animi ſignificationem continentes ad eos ſcriberet, hortareturque porrò ut perſeverarent in ea conſtantia. Hanc ergo epiſtolam ad eos miſit.

*Gelaſius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis clero & populo Romano ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilectionis veſtræ Domino gratias agimus quòd unanimiter perſiſtentes, communicare tenebrarum operibus noluiſtis. Audivimus * etiam quondam ille amicus noſter Dominus Imperator familiarem noſtrum Mauritium Bracarenſem Archiepiſcopum, antea ſibi ſuper tractanda pace Legatum, in noſtram Eccleſiam ingeſſerit. De quo ſciatis quod dicitur olim ſecundùm conſuetudinem confirmatione conſecratione Pallium accepiſſet à nobis, & nos ab ipſo ſecundùm ſtatuta canonicum juramentum fidelitatis & obedientiæ recepimus &c. Rogamus ergo dilectionem veſtram atque præcipiendo mandamus ut ab eo vos tamquam excommunicato, perjuro, invaſore, & ſanctæ matris Eccleſiæ ac fidei catholicæ conſtupratore abſtineatis &c. Datum Caietæ &c.*

* etenim quoniam

XXIX. Habuit autem Henricus Imperator ſectatores ac fautores in ea Gregorij electione & ordinatione nobiles Romanos, itemque quoſdam è clero, ſed quos, cùm Guibertini forent, diù antè excommunicatos fuiſſe contendebat Gelaſius, adeoque nullius in Eccleſia Dei auctoritatis. Sic ergo ordinatus Gregorius Romæ cathedram tenuit interim dum Gelaſius vagus & exul per Italiam errabat; adeo ut cùm idem Gelaſius ab amicis ſuis perſuaſus urbem aliquantò pòſt repeteret, neceſſe habuerit, ut Pandulphus ait, in Eccleſia ſanctæ Mariæ quæ de ſecundo cereo dicitur latebris ſe occultare, ac poſtea rurſum fugam inire.

XXX. Conflato igitur schismate ac consummato, *gravis* (ut Ordericus Vitalis ait) *inde discensio inolevit, sæva persecutio inhorruit, & catholicam plebem vehementer perturbavit.* Divisa ex eo regna Europæ, dum nonnullæ regiones Gregorium sequebantur, aliæ Gelasium. Ac sanè oportet aliquod robur, rursum aliquod vitium habuisse utramque electionem, quandoquidem Eadmerus Cantuariensis, istorum omnino temporum scriptor, ait usque adeo diversas ac divisas fuisse Christianorum sententias in hoc schismate ut nonnulli Callistum, qui Gelasio successerat, Ecclesiæ Dei jure prælatum assererent, alij Gregorium, plerique neutrum. Inde enim oriuntur schismata & discidia cùm jura contendentium sunt ambigua. Certè tametsi fortassis Rex Anglorum Gelasio adhæreret, non tamen omnes Angli eum susceperunt. Nam Matthæus Parisius, tum in historia majori, tum etiam in chronico, Gelasium disertis verbis vocat Antipapam. *Anno*, inquit, MCXVIII. *defuncto Papa Paschali, Gelasius Antipapa anno uno succedit. Cui successit orthodoxè Calixtus.*

XXXI. In Germania Herimannus Episcopus Augustensis, ut legimus in epistola Eginonis Abbatis sancti Vdalrici, rejecto Gelasio, Burdinum suscepit, nomenque ejus in cerei Paschalis benedictione recitari præcepit, ac plebem sibi subjectam Burdini literarum salutatione convenit, monachos etiam sancti Vdalrici compulit ad suscipiendum nomen Gregorij. Sanè Rodericus Toletanus apud Innocentium III. in synodo Lateranensi disserens adversùs memoriam Burdini, quam denigrare modis omnibus conabatur, ait eum sumpto Gregorij octavi nomine commentitiis & falsis bullis per universum orbem apostolicas immo apostaticas literas direxisse. Earum epistolarum unam, cujus suprà meminimus, nos reperimus in archivo monasterij Vsercensis insertam bullæ Pauli II. qua

Extat apud Baron. ad an. 1120.

Concilia Hisp. Ioa ysæ pag. 190.

confirmat antiqua ejusdem monasterij privilegia à Romanis Pontificibus prædecessoribus suis, inter quos nominat hunc Gregorium octavum, concessa. Ea sic habet.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Aldeberto Abbati sancti Petri Vsercens. monasterij omnibusque fratribus ibidem Deo famulantibus & successoribus ejus in eodem monasterio substituendis in perpetuum salutem & apostolicam benedictionem. Cùm per Dei omnipotentis misericordiam in summi pontificatus arce constituti, universarum Ecclesiarum curam suscepisse videamur, illarum tamen maximè necessitatibus condescendere debemus quas religiosè conversari ac in Dei servitio semper permanere cognoscimus. Ideoque, fili carissime, auctoritate sedis apostolicæ, cui Deo dispensante præsidemus, confirmamus tibi & Ecclesiæ tuæ libertatem quam à principio habuisse dinoscitur, videlicet ut nullus Episcopus, nullus Archiepiscopus monasterium istud sine nostra jussione audeat excommunicare, & post obitum tuum vel cujuscunque Abbatis habeant monachi ipsius monasterij licentiam & facultatem secundùm regulam sancti Benedicti sibi eligendi Abbatem aut de illo monasterio, si ibi repertus fuerit, aut de alio quo voluerint. Insuper concedimus tibi monasterium Agidunense cum omnibus Ecclesiis sive terris ad idem pertinentibus, monasterium quoque Maimacense cum omnibus possessionibus suis, necnon Tusturiaci & sancti Raphaelis & Exidolij cum omnibus possessionibus ad hæc in integrum pertinentibus, alias quoque Ecclesias quas nunc habere videmini aut inantea Deo auxiliante justè acquirere poteritis. Recipimus quoque te & monasterium sub tutela & defensione beati Petri, cujus Ecclesiæ omni anno debes persolvere bizantium auri. Ita ut nullus Archiepiscopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nec aliqua parva magnaque persona de rebus ad Ecclesiam

Vide Gaufred. Vos. chron. cap. 15.

pertinentibus aliquid deprædare, subtrahere, aut quolibet ingenio defraudare audeat. Si quis verò, quod non credimus, contra hanc nostræ ordinationis paginam ausu temerario obviare tentaverit, sciat se anathematis vinculo colligandum. Datum Laterani per manum Petri sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarij secundo Idus Aprilis, Indictione undecima, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo octavo decimo, pontificatus autem Domini Gregorij Papæ VIII. anno primo.

XXXII. Haud ita multò post, nempe postridie Kalendas Iunias, ipso Pentecostes die, Gregorius Henricum Imperatorem ut Papa coronavit, quem priùs coronaverat ut Legatus Paschalis Pontificis. Ita enim factum fuisse docet Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. IV. cap. LXIV. *Imperator interea cum oppidanis* (Turriculæ) *fœdus iniens, Romam rediit, ibique diebus Pentecostes ab eodem hæresiarcha coronatus Liguriam rediit.*

XXXIII. Sedente itaque Gregorio in sede Petri, in Gallias accedens Gelasius, moritur apud Cluniacum anno MCXIX. mense Ianuario. Successit ei statim Guido Viennensis Archiepiscopus, magnæ nobilitatis vir, magnæquæ tum in Ecclesiâ auctoritatis, dictus Calliſtus istius nominis secundus. Refricatum ex eo vulnus, novisque viribus instaurata Ecclesiæ scissio, dum alij Gregorium sequuntur longo jam tempore tenentem Romanam sedem, alij Calliſtum optimo jure electum contendunt. *Dum hæc ecclesiastica ita in Burgundia disponuntur*, inquit Eadmerus, *apostolatus Romanæ Ecclesiæ præfato Gregorio sede beati Petri præsidente administratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concussa est, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum Ecclesiæ Dei jure prælatum asserentibus. Galli tamen & Rex Anglorum cum Pontifice Cantuariorum in Calixtum se transtulerunt, & eum, spreto Gregorio, pro Apostolico susce-*

runt. Chronicon Maurigniacense : *Vvidonem Viennensem Archiepiscopum strenuum & incomparabiliter genere virum eligunt & pontificalibus induunt insignibus ; quibusdam tamen ob rei novitatem, aliis, ut ferebatur, ob invidiam murmurantibus & aliter sentientibus.* Non caruit ergo contradictione electio Calliſti.

XXXIV. Sequenti dein menſe Octobri Calliſtus ſynodum habuit generalem in civitate Remenſi, in qua *Karolum Henricum Imperatorem Theomachum*, ut Ordericus Vitalis ait, *& Burdinum Pſeudopapam & fautores eorum mœrens excommunicavit.* Boni enim Epiſcopi eſt optare primùm ut mali corrigantur ac ſanentur, poſtremò cum dolore abſcindere quod ſanari non poteſt. Tentaverat autem Calliſtus Henricum, ut conſanguineum & affinem, reducere ad bonam mentem, irrito conatu. Sed non eadem erga Burdinum caritas. Invocatus & inauditus damnatur.

XXXV. Incommodum ſanè ingens ac detrimentum Gregorio attulit illa Calliſti electio. Vir è regali ſtirpe oriundus, Regum & Auguſtorum conſanguineus, Ducum frater, præterea magnæ tum auctoritatis, & audax, magna in cauſam præſidia induxit adversùs Gregorium. Ob eas nimirum cauſas electum eum tradit Vvillelmus Malmeſburienſis in libro quinto de rebus geſtis Regum Anglorum. *Cardinales qui cum Gelaſio venerant*, inquit, *ſimulque omnis Eccleſia ciſalpina Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem in Papam grandi paratu levantes, Calixtum vocarunt, religionis & efficaciæ ipſius intuitu ſperantes ſe per illius potentiam, quòd eſſet in auxiliando facultatis maximæ, Imperatoris viribus obniti poſſe. Nec ille credulos ſpei effectu exinaniens, mox Concilio Remis celebrato inveſtitos vel inveſtiendos à laicis ab Eccleſiis removit, pariter & Imperatorem, niſi reſipiſceret, involvens. Ita tempore in inferioribus plagis moratus*

VT PARTES SVAS AVGERET, *Romam compositis in Gallia rebus venit, libenterque à civibus (nam jam Imperator discesserat) receptus est. Tum Burdinus in medio relictus Sutrium effugit, multis peregrinorum calamitatibus papatum suum fovere meditatus.*

XXXVI. Pervenimus ergo tandem ad ultimam periodum calamitatum hominis infelicissimi, qui post multas res præclarè gestas, post plurima doctrinæ ac pietatis exempla edita, post gestos honores amplissimos, demum fatali quadam sorte gratiam Henrici Imperatoris adeptus, ab eo in altum sublatus est ut rueret lapsu graviore. Triennium integrum tenuit apostolicam sedem in summa pace ac tranquillitate, donec Callistus collecto in Gallia exercitu in Italiam pergens, Imperatorem Roma decedere compulit, quam ipse victor ingressus est. Henrici discessus peperit casum Burdini, qui Sutrium se contulit. Sed quid illic faceret miser absque exercitu, absque Imperatore, à quo derelictus ac desertus erat? Igitur Callistus illuc properat, Burdinum superat, capit, indignissimè tractat, in custodiam tradit, triumphat, carceri perpetuo mancipat.

XXXVII. Itaque ut à Sutrino Gregorij secessu initium faciamus, ei vitio versum est quòd peregrinos ad Apostolorum limina transeuntes sibi genu flectere cogeret; eamque potiorem causam suscepti adversùs eum belli fuisse testatur Callistus in epistola mox recitanda, quòd ipse peregrinorum & pauperum clamores ferre penitùs non posset. Ergo Callistus, cui, ut Baronius ait, superandi Burdini munitione se continentis ingens adhuc supererat labor, quòd exercitu opus esset ad Sutrium expugnandum, eo relicto, & ad aliud tempus opportunius reservata expugnatione, Beneventum profectus est, ubi Normannos ad expugnationem Sutrinæ munitionis adhortaretur.

Baron. ann. 1121. §. 11.

Conflatis igitur pactionibus cum Normannis, *factus abundè jam ab omni parte securus*, ut scribit Pandulphus, *paravit magnum exercitum, & cum eo Ioannem Cremensem Cardinalem sancti Chrysogoni Sutrium contra Burdinum præmisit. Ipse eum è vestigio sequitur. Demum Sutrij convenerunt. Pugnatur attentiùs. Vincitur capiturque Burdinus.* Captus est autem per timiditatem & ignaviam Sutrinorum : qui obsidionem ferre non valentes, cùm eorum mœnia quaterentur, eum dedidere militibus. Hi verò hominem ejusmodi exposuere ludibrio. Primùm omnium eum incessere blasphemiis, altis vocibus conclamantes : Maledicte, maledicte, per te tam grave scandalum venit. Addebant alij : Tu es qui Christi tunicam attentasti dividere, & dilacerare catholicam unitatem præsumpsisti. Periisset autem miser inter manus furentium militum, qui multas ei contumelias, ut ait Vrspergensis, irrogarunt, nisi Callistus illum à manibus eorum eripuisset, eum servaturus ad pompam triumphi. Fuit enim tum tanta Callisti lætitia ut epistolam confestim de ea re generalem scripserit in universum orbem Romana sacra colentem, quam heic describere visum est operæ pretium.

Codex Varic. MS. apud Baron. an. 1121. §. 1.

Callistus Episcopus servus servorum Dei dilectis fratribus & filiis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & cæteris tam Clericis quàm laicis beati Petri fidelibus per Gallias constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Quia dereliquit populus legem Domini, & in judiciis ejus non ambulat, visitavit Dominus in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum. Paternæ tamen conservans viscera pietatis, de sua confidentes misericordia non relinquit. Diù siquidem, peccatis exigentibus, per illud Theutonicorum Regis idolum, Burdinum videlicet, fideles Ecclesiæ conturbati sunt ; & alij quidem capti sunt, alij usque ad mortem carceris maceratione afflicti sunt.

Nuper autem festis paschalibus celebratis, cùm peregrinorum & pauperum clamores ferre penitùs non possemus, cum Ecclesiæ fidelibus ab urbe digressi sumus, & tamdiu Sutrium obsedimus donec divina potentia & supradictum Ecclesiæ inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, & locum ipsum omnino in nostram tradidit potestatem. Rogamus itaque caritatem vestram ut pro tantis beneficiis unà nobiscum Regi Regum gratias referatis, & in catholicæ Ecclesiæ obedientia & servitio constantissimè maneatis, retributionem debitam in præsenti & in futuro ab omnipotenti Domino per gratiam ejus recepturi. Rogamus etiam ut has literas alter alteri præsentari omni remota negligentia faciatis. Datum Sutrij quinto Kalendas Maij.

Perstringit autem illic Callistum Vvillelmus Malmesburiensis his verbis: *Vrbana omnino & excogitata facetia, ut enm quem oderat, Regis Theutonici vocaret idolum, quòd ille Mauritij peritiam tum in literis tum in civilibus negotiis magni pensaret.* Idolum tamen simpliciter, ut ego quidem arbitror, dixit Callistus pro eo quod antiqui dicebant imaginarium ac suppositititium, ut ipso verbo ostenderet Burdinum non fuisse verum Papam, sed imaginem & idolum Papæ; sicut sanctus Bernardus ad Eugenium Papam scribens adversùs Vvillelmum electum Eboracensem Archiepiscopum, cujus electionem vitio factam fuisse contendebat, *idolum Eboracense* vocat. Eodem sensu Alexander III. ad Gerardum Episcopum & ad clerum populumque Bononiensem scribens de sua electione, ait Ioannem & Guidonem Cardinales Octavianum, *quem sibi in statuam erexerunt*, obstinata perfidia venerari, *& eum, relicta unitate Ecclesiæ, usque adhuc tamquam idolum aut simulacrum adorare.* Ceterùm heic observandum est Burdinum nullius alius flagitij aut accusatum à Calliśto aut compertum quàm quòd apostolicam sedem quum occupasset,

S. Bernard. ep. 239.

eam summa ope retinere conatus est, adeoque peregrinos per Sutrium transeuntes genua coram se flectere cogeret. Quod ideo adnotare placuit ut hinc quivis colligere possit quanta fides habenda sit Abbati Vrspergensi, qui ex incertis vulgi rumoribus ait eundem Burdinum in talibus deprehensum flagitiis *quæ nostris*, inquit, *indignum duximus tradere scriptis.* Nam si istiusmodi scriptorum testimoniis integra fides habenda esset, multùm periclitaretur bona quorundam Pontificum fama, præcipuè verò Ioannis XXIII. quem Onuphrius Panvinius scribit nullam fidem novisse neque religionem, ac rebus profanis magis quàm divino cultui accommodatum fuisse. Longum esset ire per singulos. Itaque revertamur ad institutum nostrum.

XXXVIII. Post captum Sutrium dejectumque Burdinum nihil supererat quàm ut Romam duceretur triumphandus. Ergo turpissimè ultrà quàm credi potest afflictus, ut ait Falco Beneventanus, ligatus, & indutus pilosa pelle vervecis pro chlamyde rubea, ut est in veteri codice Vaticano apud Baronium, immò sanguinolentis pellibus caprinis amictus, ut legitur apud Sugerium, vel cute indutus ursina, ut apud Vvillelmum Tyrium, positus ex adverso super camelum versa facie ad tergum, ita ut caudam cameli pro fræno haberet, Callistum Papam ad urbem antecessit ex more veterum triumphorum, per medium civitatis via regia, ut magis publicaretur, deductus IX. Kalendas Maias. *Pontifex igitur Callistus*, inquit Falco Beneventanus, *Deo & Petro Apostolo gratias agens, magno gaudio repletus, urbem triumphans ingressus est.* Ne quis verò miretur hunc ingressum Pontificis in urbem Romam conjungi cum triumpho, legenda est epistola Eginonis Abbatis sancti Vdalrici Augustensis: in qua scriptum est Callistum Romam redeuntem secum duxisse hunc Eginonem, relaturum

Vvill. Tyr. lib. 12. c. 8

Chron. Ioan. Bromton.

Suger. in vita Ludov. Grossi.

Apud Baron. ad an. 1120.

terræ ſuæ *triumphum*, ut Calliſtus aiebat, *Eccleſiæ*. Certè ita hæc conveniunt cum hiſtoria ut de hac ipſa re agens Baronius, eamque ex Sugerio deſcribens, idcirco dicat ita ſe facere *ne quid deſit ad triumphum beſtiæ per Imperatorem exaltatæ*. Et Conſtantinus Caietanus Abbas ſancti Baronti ait Burdinum à Calliſto captum per Romanas plateas triumphi ſpecie camelo traductum eſſe. Neque carebat exemplo ridiculus ille Burdini evectus quem ſuprà deſcripſimus. Narrat enim Anaſtaſius in hiſtoria eccleſiaſtica, ex Theophane, ut apparet, Conſtantinum falſum Patriarcham Conſtantinopolitanum à Conſtantino Copronymo Imperatore dejectum, & dehoneſtatum publicè, fuiſſe impoſitum obliquè ſuper aſinum ſagma tenentem, & ipſius tenere caudam juſſum eſſe. Mitiùs etiam & honeſtiùs cum Burdino actum quàm poſtea actum ſit Conſtantinopoli anno MCLXXXV. erga Andronicum Comnenum Imperatorem; qui poſt multas contumelias, poſt plurima probra, demum ſcabioſo camelo impoſitus, per forum triumphi ſpecie traductus eſt, ut in ejus vita narrat Nicetas Choniata. Porrò ne quid ad triumphi decus & ornamentum deſiderari poſſet & ad memoriam tanti facinoris ſempiternam, Calliſtus ad exemplum veterum Romanorum, qui devictorum Regum ac populorum nomina tituloſque marmoribus inſcribi curabant, eam hiſtoriam in antiqua camera palatij Lateranenſis depingi curavit cum hac inſcriptione, quam ſua quoque ætate ſuperfuiſſe docet Onuphrius Panvinius.

Ecce Calixtus honor patriæ, decus imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Fidem autem huic narrationi adſtruit etiam Sugerius his verbis: *Et ad tantæ ultionis memoriæ conſervationem in camera palatij ſub pedibus Domini Papæ conculcatum depinxerunt.* Pleniùs verò Rodericus Archiepiſcopus Toletanus in Concilio Lateranenſi.

Caiet. in Notis ad vitam Gelaſ. 2. pag. 68.

Hoc non solùm authentica historia testatur, inquit, *verùm etiam laicorum pictura hoc asserit & protestatur. Si quis astantium hac de re dubitat, tollat oculos ad præsentes loci hujus parietes; & videbit hujusmodi historiam picturatam. Erigentes autem oculos omnia ut dixerat viderunt.* Videndus etiam Otto Frisingensis lib. VII. cap. XVI. suorum chronicorum, ubi referuntur versus à nobis suprà descripti.

XXXIX. Ad eandem historiam, licèt tacito nomine, respicit Arnulphus Episcopus Lexovienſis in epistola XIX. ad Alexandrum III. Papam scribens: *Porrò schismata hæc in Ecclesia Romana frequentiùs accidisse etiam Lateranenſis palatij picturæ demonstrant, ubi catholicorum patrum pedibus pro scabello schismatici præsumptores adscripti sunt.* Item Ioannes Saresberiensis epist. LIX. *Sic ad gloriam patrum teste Lateranenſi palatio, ubi hoc in visibilibus picturis & laici legunt, ad gloriam patrum, schismatici, quos secularis potestas intrusit, dantur Pontificibus pro scabello, & eorum memoriam recolunt pro triumpho.* Sed in primis historiam hanc idem Ioannes enarrasse videtur in Policratico, sic illam describens ut incertum relinquat cui veram victoriam tribuat, victori, an victo, & ejus qui vicit causam meliorem fuisse colligat ex eventu. Afferam autem ipsa ejus verba. *Gaudeat planè mundus cùm alter solus vicerit; sed propensiori lætetur gaudio si vicerit uterque vel neuter. Conveniant ergo, si placet, in insula Lycaonia aut alio, (si quis tamen locus bellis sive duellis est aptior) & sine orbis & urbis periculo vincat alteruter duellorum, quem Deus scilicet approbaverit au victorem esse permiserit. Victus quoque, si id victori placeat, demergatur in Tyberim; aut si cum eo mitiùs agendum videtur, retrudatur in Caveam. Cui cùm Abbas loci clauſtrum immo carcerem aperuerit, protestetur se non illud ei qui damnatur præparasse, sed victo. Qui vero vicerit,*

Ioan. Saresb. lib. 8. Policr. c. 23.

victrit, id est, qui violentior fuerit, in Liparem aliamve insulam exul perpetuus deportetur ad marmora secanda. Confirmat suam illam quam diximus sententiam idem Ioannes in epistola XLIV. quæ est scripta nomine sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis ad Regem Anglorum, in qua loquens de schismate Alexandri & Victoris ait: *Erit autem nobis periculosum si apud eum qui victurus est, quem nondum novimus, alii qui minus honoris ab Ecclesia Romana acceperunt devotionem nostram prævenerint.*

XI. Ergo dejectus eo modo ac triumphatus Burdinus, ne posthac impedimento esse posset, missus est cum multa ignominia, ut Vvillelmus Tyrius ait, ad Cavense monasterium, quod juxta Salernum situm esse dinoscitur, sive retrusus in Caveam, ut verbis utamur Ioannis Saresberiensis; ibique habitu monachali indutus, ut idem Tyrius, Radulfus de Diceto, & auctor chronici Maurigniacensis referunt, vitam compulsus est lege loci ducere cœnobiticam, id est, redire ad illud vitæ institutum quod olim susceperat in monasterio Vsercensi, ut suprà monuimus. Nicolaus enim secundus constituerat ut si quis *per seditionem vel præsumptionem aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus seu inthronizatus fuerit, ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque fuerat priùs, sine retractatione deponatur*, id est, ad illud vitæ institutum reducatur in quo existebat antequam gradus ecclesiasticos assequeretur. Anno sequenti, qui fuit vigesimus secundus à nativitate Christi supra centesimum & millesimum, idem Callistus Burdinum de Cava extractum in Ianula, quæ arx est in rupe imminente civitati sancti Germani, custodiendum tradidit, auctore anonymo Casinensi quem edidit Antonius Caracciolus. Denique hinc eductus ab Honorio II. anno MCXXIV. in arcem Fumonis non longè ab Alatro civitate in Hernicis traslatus est, in eam nimirum ar-

cem in quam postea Bonifacius VIII. conjecit sanctum Petrum Murrhonem, dictum antea Cælestinum quintum. Illic ad supremum usque senium vixit Burdinus, ibique mortuus est, non verò in monasterio Cavensi, unde recesserat. Sunt qui scribant eum perveniſſe usque ad tempora Eugenij tertij. Verùm cùm illi nullo veterum testimonio, quod quidem appareat, nitantur, in arbitrio lectoris erit quid existimare ac credere debeat.

XLI. Hic finis fuit infelicis Burdini, hic terminus. Scio illum, si tum regulæ ecclesiasticæ sacrique canones valuissent, vitio electum, adeoque ejus ordinationem fuisse irritam. Sed cùm illorum nulla tum in hoc ratio haberetur, electionesque Romanorum Pontificum fierent secundùm privilegium Augustis concessum ab ipsis Pontificibus, quod, ut vidimus, multis exemplis per aliquot secula confirmatum, novissimè à Nicolao II. fortiùs fuerat stabilitum in Concilio universali, difficile tum erat existimare quis ex duobus qui post Paschalem ordinati sunt esset verus ac legitimus illius successor, ut ostensum est ex historicis illorum temporum. Ecclesia tamen, quæ post Burdini dejectionem excussit hoc jus imperatorium & pristinam libertatem recuperavit, Burdinum rejecit, Callistum verò suscepit. Nos illam auctoritatem sequentes, nobis id tantùm concedi postulamus, ut liceat deplorare miseram sortem magni excellentisque viri, *quem multùm quislibet revereri*, ut Vvillelmus Malmesburiensis ait, *& penè adorare pro viva & magna industriæ specie debuisset, nisi tam famoso facinore enitescere maluisset.*

Defensor Ecclesiæ apud Baron. ann. 1059. §. 24. & 1061. §. 5.

Malmesbur. lib. 5. Reg. Anglor.

FINIS.

INDEX
LIBRI TERTII.

A

ABBAS inobediens Regi depositus. 132. 138
Abbas Vrspergensis redarguitur. 510
Abbatiæ interdum pertinent ad fiscum. 16
Abbatis electio secundùm regulam sancti Benedicti. 81. & seqq.
Abbatis eligendi licentia. 138
Abbo Comes. 129
Absentes Papa potest deponere. 488
Absentia pro confessione constat. 121. & seq. Non debet prodesse reo. 122. 125
Absida. 45. 66. media. 8. & seq.
Absolvi de palatio. 110
Abtadus Episcopus Genevensis 136
Accipitrum cura non decet Episcopum. 184
Accolæ. 19
Actio in qua fraus intercedit, non valet. 138
Actores Ecclesiæ. 19
Ada, quæ & Adrehildis. 108
Adalardus Comes. 129
Adalbertus Comes. 129. & Consiliarius Ludovici Pii Imperatoris. 177
Adalbertus Episcopus Tricacensis. 137
Adalelmus Vassus dominicus. 130
Adalgarius Comes. 130
Adalghysus propinquus Franconis Episcopi Cenomanensis. 118. 129
Adefonsus Episcopus Tudensis. 477
Adefonsus Petri. 186
Ademarus Abbas Salvaniensis. 222. 225
Ademarus Episcopus Ruthenensis. 216
Adiaferia palatium. 366
Admonitio synodalis. 147
Adoratio Papæ. 344
Adorni & Fragosi, filii discordiæ. 392
Adriana filia Comitis de Ribagorsa. 366
Adrianus I. Papa Karolo M. tribuit jus eligendi Pontificem Romanum. 490
Adriani VI. progressus. 412. Pontificatum acceptat. 359. Ejus itinerarium. 351. modestia 357. Fugiebat negotia. 358. Ejus morbus letalis. 432. Mortuus fuit horribilis visu. 437
Advocati. 42
Ægidius Episcopus Ariminensis. 296

Ægidius Episcopus Avinionensis. 318. 320. 327. 345
Ægidius Carlerij Decanus Cameracensis. 301
Æneas Silvius fuit domesticus Capranicæ. 296
Æqua lance dividere. 85. 169
Æternaliter. 111
Afra martyr. 12
Agbertus Vassus dominicus. 170. Comes & Ostiarius atque Consiliarius Ludovici Pij. 171
Agidunense monasteriũ. 504
Agiulfus Archiepiscopus Bituricensis. 129. 136
Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis. 136
Agreda Doctor. 359. 369. 400. 404. 438. 446. 456. 468.
Agrum perdat qui censum negligit. 32
Aguanticum. 214
Aguirre Licentiatus. 371
Alagon oppidum. 468
Alamaniscæ. 87
Alamannus. 1
Albarazim civitas. 466
Albericus Episcopus. 129
Alcanadre oppidum. 364
Alcarraz, ultimum oppidum Cataloniæ. 464
Aldea nueva oppidum. 469
Aldebertus Abbas Vsercensis. 504
Aldrici Episcopi Cenomanensis vita. 1. *& seqq.*
Aldricus collegit capitula canonum. 44
Aldricus Abbas. 130
Alearum ludus non decet Episcopum. 184
Alexander VI. toxico intemptus. 437
Alexius Imperator Constantinopolitanus. 476
Alfonsus Castellæ Rex cogitat de matrimonio Vrracæ filiæ. 481
Alfonsus Rex Aragonum uxorẽ ducit Vrracam. 481
Alixona, potionis genus. 66
Allocutio synodalis. 147
Alloveus Presbyter. 20
S. Almirus confessor. 13. Ejus cellula. 40. monasterium. 88
Alpharo, municipium belligerum. 365
Alphonsus Rex Aragonum. 277. *& seq.* 281
Alphonsus Rex Neapolitanus. 283
Alphonsus à Fonseca Primas Hispaniarum. 370
Alphonsus Tellez Comes de la Puebla. 435
Alphonsus filius Comitissæ de Salinas. 457
Alphonsus Manricus Archiepiscopus Hispalensis. 467
Altercatio. 117
Altisiodorensis pagus. 141
Altmarus Seneschalchus Iudith Imperatricis. 117
Alvarado Doctor. 446
Alvimannum. 144
Amaluvinus Archiepiscopus Vesontionensis. 129
Ambagibalis charta. 168
Amicitia Poggij & Aretini inviolata. 249
Amicus Aquilanus. 296
Amiras Castellæ. 361. 372
Amissarij. 86. *& seqq.* 146
Ampolla portus. 376
Ampostæ Castellanus. 420

Ana fluvius. 464
Andecavus pagus. 85
Andegava civitas. 20
Andreas de Oria. 386. & seq. 460
Andronicus Comnenus Imperator. 511
Anfredus Comes. 129
Angelus Capranica Cardinalis. 297
Animalium nutrimenta. 31
Aniſola monaſterium. 58. 97. 102. 106. 114. 125. 131. 133. 137. 140. Ejus Abbates. 127. & ſeqq.
Annonæ diverſi generis. 84. 86
Annonenca fundatur. 225
Anſigaudus Epiſcopus. 129
Antibol. 384
Antiphonarium. 49
Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. 296. Canonizatur. 424
Antonius Bentivolus. 269
Antonius Latioſus. 296
Antonius Luſchus, ſecretarius Papæ. 268
Antonius de Leiva. 395
Antonius Nebriſſenſis. 363
Antonius à Studillo. 358
Anulus Papæ. 368
Apennini montis initiũ. 459
Apoſtolicæ ſedis inopia. 417
Appellare qui non poſſint. 123
Appellatio à Papa ad Concilium. 274
Appellatio ad Papam. 478
Aqua deducta in civitatem Cenomanicam. 6
Aqua odorifera lavandis manibus. 389
Aquapendente oppidum. 453
Aquarum divergium in montibus. 470
Aquiſgranenſis Eccleſia. 2
Aquiſgrani palatium regium. 35. 37. 96. 101. 105. 117. 126. 134. 137. 178.
Aquitania. 24. 27. data Karolo Calvo. 145
Aragonia unde dicta. 466
Aragonum Vicerex. 366
Archiepiſcopus non ſe debet Archiepiſcopum nominare quouſque receperit pallium. 348
Archivus Eccleſiæ. 159. 164. 170
Arduinus Comes. 125 130
Aretij laus. 252. & ſeq.
Aretinus. *Vide* Leonardus, Carolus.
Argentarius mons. 399
Ariminum reſtituitur Eccleſiæ. 316
Ariniz oppidum. 356
Ariſtotelis quædam Latinè verſa ab Aretino. 258
Armarium Eccleſiæ. 33
Arnaldus de Ponte. 216 220. 224
Arveus confeſſor. 13
Aſagis, principalis civitas Provinciæ. 383
Aſſumptio ſanctæ Dei genitricis Mariæ. 53
Aſturicenſis Eccleſiæ parrochia. 481
Attrahere. 159. & ſeq 164
Auctoritates firmæ & veræ. 117. & ſeq. 120. & ſeq.
Auctoritatibus tribus conventus. 123
Auditor Cameræ. 369
Audoveus Epiſcopus Andegavenſis. 20

Audulfus Comes. 129
Aurienſis ſedes. 192
Auſtria. 145
Autcarius Archiepiſc. Moguntinus. 69. 79. 129. 136.
Autlingua Saxoniæ. 62
Axilios. 144

B

BAcanum oppidum. 450
Baculus Landramni Archiepiſcopi Turonenſis. 5.
Baculus paſtoralis. 109
Bajocaſſinus pagus. 61. 89
Bajuvarius, 1
Baldus de Peruſio. 333
Banniti Cataloniæ. 462
Bannus dominicus. 42
Banzlegbus Comes & Saxoniæ patriæ in pago Cenomanenſi Marchio. 104
Baptiſmales Eccleſiæ. 29
Baptiſta Cannetulus. 269
Baptiſta Poggius. 263. Filius Poggij Florentini. 268. 293. 296.
Barcino præcipua civitas Cataloniæ, 380. urbs Hiſpaniarum elegantiſſima. 463
Barcinonenſis Eccleſia. 465
Baronius refutatur. 484
Bartholomæus Archiepiſcopus Narbonenſis. 136
Bartholomæus Cueva Cardinalis. 435
Baſileenſe Concilium indictum, 269. 273. 349. Ejus auctoritas. 274
Baſilius Archiepiſcopus Cæſareæ. 476. Ejus ſermo Latinè verſus ab Aretino. 258
S. Baumadus confeſſor. 13. Ejus cellula. 40
Bavo Vaſſus dominicus. 154. 156
Belloc. 464
Bellum juſtum quale. 245
S. Benedicti regula. 135
Beneficia perdere. 32
Beneficia alienata per precarias. 166. & ſeq.
Beneficia eccleſiaſtica quomodo conferenda. 445
Beneficiarium munus. 27
Beneventanum Concilium. 487. 494. & ſeq.
Beno Saxo canonizatur. 424
Bentivolus. *Vide* Antonius.
Berarius Epiſcopus Cenomanenſis. 128
Berbicinæ friſcingæ. *Vide* Friſcingæ.
Bernaldus Archidiac. Bracarenſis. 197. 203.
Bernardinus Carvajal Cardinalis. *Vide* Carvajal
Bernardinus Pimentel Nuncius apoſtolicus. 375
Bernardus Archiepiſc. Toletanus. 180. & ſeq. 474. 476. 480. & ſeq. 483. 498
Bernardus Abbas Clarevallenſis. 328. 333
Bernegarius Archiepiſcopus Narbonenſis. 136
Bernuinus Vaſſus dominicus. 130
Bertrannus Epiſcopus Cenomanenſis. 28
Bes villa. 26
Betha Deo ſacrata. 168
Bibere ter. 51
Bibliotheca Capranicæ Cardinalis. 297
Blaſius Cavallero Canonicus

Toletanus. 372. 470
Blasius Ortizius Canonicus Toletanus. 351. 354. 357. 359
Blasius Ortiz. 369
Blondus Forlivienſis, ſecretarius Papæ. 268. 296
Bona villa ſuper fluvium Liz. 141
Bonalla villa. 177
Bonefacius Comes. 129
Bononia à Duce Mediolanenſi capta. 241. deficit à Pontifice. 269
Bononienſium rebellio. 342
Borbonij Dux occiſus. 467
Borgia Calliſti III. nepos ex ſorore. 290
Bornos Eccleſia dedicatur. 194
Borſius Marchio Ferrarienſis. 283
Bracara metropolis. 181. & ſeqq.
Bracarenſis provincia exempta à juriſdictione Legati. 479
Bracarenſis Eccleſiæ privilegia confirmantur à Calliſto. 11. 501
Brachius, vir militaris. 264
Breviaria Eccleſiæ. 29. 40
Brica fluvius. 89
Bricii tractatus adversùs Capranicam. 303
Brocardica materia. 346
Brogilus. 6. 24. 29. 40
Broialus Cenſurij. 18
Buccis. 19
Bucias. 18
Buençonvento municipium. 433
Burchardus Abbas. 130
Burda, id eſt, jocus luduſque. 472
Burdinus. *Vide* Mauritius.
Burgorum urbs. 470
Buxarias villa. 13. 65. 67. 71. 92

C

CAdanus fluvius. 188
Cadaques oppidum. 382
Cadavus fluvius. 201. & ſeq.
Cadilo Vaſſus dominicus. 130
Cadolonenſis Epiſcopus. 137
Cadurcenſis regio. 179
Cæleſtinus V. conjectus in arcem Fumonis. 513
Cæſarauguſta. 366. 370. caput regni Aragonum. 466
Caietanus Cardinalis. 428
Calagurris urbs antiqua. 364. 469
Calagurritanenſis epiſcopatus. 466
Calatrava, olim Oretum. 372
Calciatenſis epiſcopatus. 466
Catella portus. 381
Caliendræ ſeu vittæ. 459
Calliſtus II. eligitur. 505. & ſeq.
Calliſtus III. offenſus Capranicæ. 290. Vituperatur. 268
Calix aureus cum patena ſua. 47. 74.
Calumnia. 26. 136. 167. 173. 175
Cameli cauda pro fræno. 510
Cameræ apoſtolicæ indigentia. 365
Camerini Dux factionem Gallicam ſequitur. 435
Campana de Velilla. 467
Campanus, auctor vitæ Brachij. 264

Campofregosi tumultuāt. 278
Cancellaria Florentina. 256.
Pintiana. 371
Cancellariæ regulæ. 368
Canes & meretrices. 45
Cannetulus. *Vide* Baptista.
Canoes insulæ. 384
Canonialiter. 63
Canonica auctoritas. 175
Canonicæ sacratæ ab Aldrico. 110
Canonici debent conversari regulariter & canonicè. 7
Canonicorum refectio. 57
Canonicorum præpositi, magistri, ministri. 67. 76
Canonicus ordo. 64
Canonizationis solennia. 425. In canonizationibus sumptus fieri vetuit Adrianus Papa. 428
Canonum collectio adornata ab Aldrico. 44
Canonum auctoritas. 121. 125. Reverentia. 132. 135
Cantabri olim interemerunt suum Episcopum. 452
Cantor Metensis, scholarum magister. 4
Cantus Romanus. 3
Canum latratus. 45
Canum venatio non decet Episcopum. 184
Cap de creus. 382
Capellanus senior. 134 136
Capitis honor, decus est aliorum membrorum. 124
Capitula Christianissimorum Imperatorum. 44
Capitularium auctoritas. 27
Capranica *Vide* Dominicus, Angelus.
Capsæ sanctorum. 127
Captivorum redemptio. 7
Cardinalis Presbyter. 142. *& seq.*
Cardinalium status à Christo immediatè institutus. 326. Successores Apostolorum. 318. 321. Secretò creandorum ratio. 271 303. 347. Eorum consensus necessarius in creatione novorum Cardinalium. 433. Quandiu expectandi in electione Romani Pontificis. 441. Eorum juramenta in conclavi. 443. Eorum indulta revocantur ab Adriano VI. 356. 368. Deponi non possunt à Papa. 320. *& seq.* Eorum avaritia damnatur. 283
S. Carilefus Abbas II. 127. Ejus sepulcrum 58. 97. 102 monasterium. 28. 40. 85. 87
Carisiacum palatium regium. 94. 99. 103. 132. *& seq.*
Carlovingicæ familiæ gloria. 490
Carmicensis pagus. 177
Carnaticum. 144
Carolus Aretinus. 259
Carolus Malatesta Vicarius Arimini. 269 416
Carolus capitosus Rex Francorum. 464
Carraca. 457
Carrorum constructio. 31
Carthusiensium modestia. 221
Carvajal Cardinalis. 390. 401. 432
Carvajal Patriarcha Hierosolymitanus. 449
Casati. 118
Casei qui fiunt de vaccaritiis dominicatis. 31.

Castellare arx. 482
Castellon in Emporiis. 462
Catalani aliter victitant quàm ceteri Hispani. 375
Catalonia clauditur castro Salsarum. 466. Ejus amplitudo. 466. termini. 464
Catharinæ Senēsis caput. 454
Catinus in cœna Domini celebratus. 392
Caudola. *Vide* Iacobus.
Cavea. 512. *& seq.*
Causa ubi fraus intercedit, non valet. 138
Causatio. 33. 101. 116. 120. 125. 136
Cella S. Frambaldi. 161
Cellæ monasterii. 180
Cellarium. 7. cellaria. 45. 56
Cennæ argenteæ & deauratæ. 45
Cenomanensis Ecclesiæ dedicatio. 12. *& seqq.* 33. 38. 41. 48. 53
Cenomanica civitas 1. *& seqq.*
Cenomanicus pagus. 109
Censum qui negligit, agrum perdat. 32
Censurij Broialus. 18
Census Diaconus. 20
Census annuus. 25
Census monasteriorum. 26. 29. vicorum. 40
Census legitimus. 31. 156. 172. 177
Centumcellæ. 399. 415
Cera pro censu. 25. 29
Certamen singulare. 120
Cervera, locus. 464
Cervitroya insula. 398
Chalcedonense Concilium. 135
Charta legalis. 47. ambagibalis. 168
Chartarum strumenta. 33. 38. monimenta. 36
Childebertus Rex Francorum. 97. 126. *& seq.* 133
Chilpericus Rex. 20. 127. *& seq.*
Chlamys rubea Papæ. 510
Chlotarius Rex. 127. *& seq.*
Chorizantes Mauri. 366
Christus verum & summum caput Ecclesiæ. 327
Ciborium. 44
Ciborum varietas damnata. 285
Cimiterium Regum Portugalliæ. 198
Cincius Romanus, secretarius Papæ. 268
Cinga amnis. 466
Cintruennigo vicus. 468
Civem præclarum esse licet sine literis. 261
Civitavieja. 415
Clamatores. 211
Claveria insula. 398
Claves non debent vim pati. 338
Claves confessionis S. Petri. 491
Claustri descriptio. 56
Claustrum Canonicorum Cenomanensium 7. *& seq.*
Claustrum Canonicorum. 50. 54. 63. 70. 145
Clemens primus Episcopus Metensis. 9
Clemens VII. Papa. 397. Ejus electio. 443. detentus in castro S. Angeli. 467
Clerici qui præficiuntur ptochijs. 135
Clericorum Cameræ dignitas. 267. Vilescit. 268
Clericus alienus non ordinandus absque licentia proprij

Episcopi. 3. 142. & seq. 66. 108
Clericus intrusus in Ecclesia. 192
Clocaria. 109
Cloccæ. 126
Cluniacense monasterium. 473. 476
Coldesança Doctor. 369. 446
Colina Tibianis. 198
Colonica. 17. 21
Colutius Salutatus. 250
Comes provinciæ. 100
Commemoratio defuncti. 21
Communio sub utraque specie. 214
Comœdia acta in adventu Adriani Papæ. 364
Componere centum solidos argenti. 42
Compostellana sive ad S. Iacobum peregrinatio. 214
Compunctio devotionis. 73
Conchensis Episcopus. *Vide* Didacus Ramirez.
Concilia duodecim. 44
Concilium Basileense. 349. indictum. 269. 273
Concilium Beneventanum. 487. 494. & seq.
Concilium Carisiacense. 133
Concilium Chalcedonēse. 135
Concilium Constantiense. 350
Concilium Palentinum. 183
Concilium Senense dissolvitur. 268
Conclaviarij. 444
Concordare. 116
Condictum placitum. 117
Condita, id est, vicaria. 161. Conedralensis, Vinonensis, Gabronensis. 56. & seq. Duciacinsis, 58. Labricensis 40. Noviacensis. 86
Confessio altaris. 8. & seq.
Confessio peccatorum publicè recitata. 210
Confessor Regis. 5
Confluentes. 18
Conjectum ad carros construendos. 31
Conimbrica suffraganea Archiepiscopi Bracarensis. 479. & seq.
Conjugati non possunt converti nisi ex consensu. 208
Conjugia inter cognatos olim coibant absque auctoritate Romani Pontificis. 482
Conlaborationes terræ. 31
Consensus liber quando dici possit. 337
Consignatio judicis. 159. & seq. 164
Consiliarius Imperatoris. 110
Consolatio, id est, refectio. 76. 92
Constantia civitas Germaniæ. 255
Constantiense Concilium. 350
Constantinopolis in Turcarum potestatem venit. 278. Ejus expugnatio. 419
Constantinopolitanus Imperator. 222
Constantinus falsus Patriarcha CP. 511
Consuetudinis vis. 356
Convenientiæ. 169
Conventiones. 127
Conventus generalis totius populi. 133. 135. 137
Coronatio Papæ. 368. est ultima Papæ electio. 344. Ejus insignia. 408
Corsica insula. 398
Corsici milites. 393
Cortona Cardinalis. 397

Cœstum optimum. 66
Crimen confitetur qui purgandi se occasione non utitur. 121. & seq
Crimen majestatis. 124
Crucum sanctarum promontorium. 382
Crux Christi adoratur apud sanctum Guillelmum. 214
Culturæ duæ. 47. 74
Curia Vrbani Papæ. 180
Cursus ecclesiastici. 109
Curtes. 102
Custos Ecclesiæ. 67. 110

D

DAcia. 496
Daddus Diaconus. 20
Dæmoniacus sanatus. 15
Dagobertus Rex. 128
Dagobertus Vassus dominicus. 130
Daniel Abbas. 130
Dathus. *Vide* Leonardus.
David Chorepiscopus. 69. 79
Daulsi campus. 18
Daunaredus Presbyter. 20
Deambulatoria. 10 & seq.
Deaurata Ecclesia Tolosæ. 180
Decanus. 147
Decima & nona. 155. & seq. 160. 164. 170. & seq.
Decreta Pontificum Romanorum. 44
Defensor Ecclesiæ. 19. 21
Defuncti indigent precibus viventium. 52
Dehonoratio seniorum. 124
Delati. 382
Deponere omnes Episcopos an Papa possit. 312
Dertusa civitas. 374. 376
Dertusensis Ecclesia. 465
Desiderius Abbas Salvaniensis. 225
Devotionis compunctio. 73
Diablentica vicaria. 161
Diablenticum. 28 30
Didacus Episcopus Compostellanus. 483
Didacus à Toleto Prior militiæ S. Ioannis. 420
Didacus Ramirez de Arellano Episcopus Conchensis. 370. 373 383. 417. 435
Didacus de Paternina Abbas Victoriæ. 369
Didacus Lopez de Stuniga. 394. 458
Didacus de Ribera Episcopus Segovienſis. 371
Dido Abbas Anisolæ. 123
Dilationibus subterfugere judicium. 121. & seq.
Dinanus Episcopus. 20
Dipticia. 151. & seqq.
Diso Vassus dominicus. 130
Distringere homines. 42. 95. 102.
Divergium aquarum in montibus. 470
Dividere æquali lance. 85. 169
Diurnus Romanorum Pontificum. 490
Dodo Episcopus Andecavensis. 137
Doli actione quis teneatur. 139
Domestici. 33
S. Dominici sepulcrum & veneratio. 362. Ejus civitas 469
Domini Capranicæ Cardinalis vita. 263. Iordani Bricij adversùs eum tractatus. 303

Dominicus Episcopus Hilerdensis. 303
Domnolus Episcopus Cenomanensis. 11. 17. & seq. 20. 127
Donationis paginola. 18
Dormitorium. 45. & seq. 56
Dos monasterij. 48
Dovera forestis. 25
Drauscio Presbyter. 20
Drinonia monasterium. 208
Drogo Episcopus Metensis. 4. Archicapellanus, frater Ludovici Pij. 97. 126. 129. Archiepiscopus & senior Capellanus. 134. 136. Archiepiscopus Metensis & Archicapellanus. 142. & seq.
Duciacinsis condita. 58
Durius amnis. 470

E

EBerardus Comes. 171
Ebroinus Episcopus Pictavienſis. 69. 79. 117. 129. 136
Ebruinus Vassus dominicus. 130
Ebusus insula. 457
Eccardus Episcopus Noviomacensis. 129. 136
Ecclesiæ laptismales. 29
Ecclesiast ci sunt præponendi secularibus. 370
Echardus Episcopus. 69. 79
Edictum peremptorium. 123
Effervescentia subita non est reprehendenda. 257
Egeas Pelagij incestuosus 185
Egibertus Vassus dominicus. 130
Eginhardus Abbas. 130
Egino Abbas S. Vdalrici. 501
Egressus præsumptivus. 131
Elaboratum. 68
Electio una. 138
Elmeradus Abbas. 130
Elnensis Ecclesia in Catalonia. 465
Elxico insula. 398
Embola felici navigare. 460
Emino Comes. 171
Emporitanus pagus. 382
Emunitatis tuitio. 38. 41. præceptum. 39. 127. & seq.
Engilbertus Abbas S. Richarij 491
Engiscardus Vassus dominicus. 130
Engratiæ monasterium Cæsarauguſtæ. 368
Enucleatim. 133
Episcopalis sedes. 112
Episcopatus à Rege datus. 142
Episcopatus à multis appetuntur. 360
Episcopus nullus debet vocari ante consecrationem. 348
Episcopi olim eligebantur à clero & populo. 5. Administrationem episcopatuum recipiebant à Regibus. 9. 16. Eorum est dispensare oblationem fidelium. 26
Episcoporum translationes pertinent ad Romanum Pontificem. 476
Episcopos omnes an Papa possit deponere. 512
Episcopum non decet venatio neque ludus. 184
Episcopum proprium olim Cantabri occiderunt. 432
Episcopus priùs conveniendus antequam ad judices publicos eatur. 42

Episcopus laudatur quòd psalmos omnes per ordinem memoriter retineret. 7
Episcopus non debet negligere populum sibi commissum. 174
Episcopus communicans excommunicatis deponendus est. 488
Episcopus quidam Vngariæ ejectus. 373
Epistola formata 142. *& seq.*
Epistolas tres pares facere. 169
Erardus Episcopus Tungrensis. 136
Eras insula. 461
Ercanradus Episcopus Parisiensis. 69. 79. 117. 129. 137
Ergastulum Episcopi. 83. *& seq.*
Eribertus Abbas. 130
Erminus Comes. 129
Etroiæ insulæ. 383
Esparraguera. 463
Evangelia mirificè conscripta. 47. 74
Evangeliorum liber nobiliter ornatus & ex auro ex parte conscriptus. 74
Eugenius IV. fit Papa. 272.
Ejus electio an nulla. 305. *& seq.*
Evindicare. 114. 125 *& seq.* 134. *& seqq.* 141. 169
Eulaliæ beatissimæ corpus. 380
Eurardus Vassus dominicus. 130
Eustachius de Croy Episcopus Atrebatensis. 434
Eutelius Presbyter. 19
Exactare. 42
Exarchus Ravennæ. 490
Excommunicationis sententia timenda. 327. Aliquando est nulla. 338
Excommunicatis non licet communicare. 488
Exidolicnse monasteriũ. 504
Exominsis pagus. *Vide* Oxomensis.
Expectativæ gratiæ revocantur ab Adriano VI. Papa. 356. 368

F

FAcultaticula. 83
Falsitas non appareat in moneta. 101
Falsitas subditur veritati. 142
Farinaria. 75
Fatius, scriptor vitæ Alphonsi Regis. 264
Fauvo Cavilonensis Episcopus. 137
Febris milites invadit. 417
Federicus Amiras Castellæ. 361
Federicus de Portugal Episcopus Seguntinus. 371
Felicionis silva. 13
S. Felicitatis & septem filiorum corpora. 451
Feltrensis Episcopus. 380
Feminæ beatæ quæ nubunt Hispanis. 436
Ferdinandus de Andrada. 361
Ferdinandus Archidux Austriæ laudatus. 413. *& seq.*
Ferdinandus Rex Catholicus. 390
Ferdinandus de Silva Commendatarius de Hotos. 372.
Ferdinandus de Sylva dux custodiæ Adriani Papæ.

424. 434. 450. 456. & *seq.*
Ferro abscindantur quæ leni medicamine sanari non possunt. 135
Ferula pastoralis. 109
Festivitatum vigiliæ. 67
Fidejussores electi 47
Fidejussores tollere. 42. 95. 102
Fidem facere 155. 158. 160. & *seqq.* 170
Filios suos tradere ad monasterium. 46
Finiculi potio. 66
Firminus Præfectus prætorio. 123
Firmitas facta. 125. 140
Firmum in potestatem Pontificis redactum. 276
Fisco sociante. 169
Fiscus. 16. 134
Fisco *Vide* Io. Philippus.
Florentiæ laus. 129. 253. 259. & *seq.* magistratus. 256
Folcradus vassus dominicus. 125. 130
Follicionis silva. 65
Fonsecorum prosapia celebratissima. 370
Forestis. 25. 40
Forlivium restitutum Romano Pontifici. 269
Formata epistola. 142. & *seq.*
Formicæ de Plombin. 398
Fortunæ magna est vis in utramque partem. 481
Fortunæ suæ quemque maximè tædet. 434
Fraga municipium. 466
Fragosi & Adorni, filij discordiæ. 392
S. Frambaldi cella. 161
Franciscus Archidiaconus Toletanus. 296. & *seq.*
Franciscus de Herrera Archiepiscopus Granatensis. 372
Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis. 275 283. & *seq.*
Franciscus Ruïz Abulensis Episcopis. 371
Franciscus Ximenez Cardinalis Tudelam diruit. 365
Franciscus Episcopus Ferrarienſis 283
Franciscus Maria Dux Vrbini. 416
Franciscus Soderinus Cardinalis. 404. 424. 440
S. Franciscus vapulat apud S. Saloni. 463
Franco Vassus dominicus 130
Franco Episcopus Cenomanensis. 98. 116. 118. 129. 137. 144. 159
Frangepanes adhærent Burdino. 497
Fraus nemini patrocinari debet. 138. & *seq.*
Fraxenetus villa. 19
Freculfus Episcopus Lexovienſis. 136
Freda exigenda. 41. 95. 102
Frigimodus Presbyter. 20
Friscinga. 68. 77
Friscingæ vervecinæ & porcinæ. 49. 57. 65. 76
Fructuosus Episcopus Bracarensis. 182
Frugalitas Capranicæ. 286
Fuenterrabia capta à Gallis. 361
Fulcarius Episcopus. 137
Fulco Comes palatij. 125. 130
Fumonis arx. 513
Functiones publicæ. 102
Fundere signa. 109.

Funebris oratio qualis esse debeat. 228
Fustæ, id est, biremes. 381. 396

G

GAbronensis vicaria. 162
Galeaz Virtutum Vicecomes. 265
Galli & gallinæ adagium. 362
Galli in Italiã descendunt 433
Gallus Abbas Anisolæ. 127
Gambacurta. *Vide* Gerardus.
Gamboinorum factio. 362
Garona fluvius. 180
Garsias Loaysa Generalis ordinis Prædicatorum & Cardinalis. 371
Gaspar de Avalos Archiepiscopus Compostellanus & Cardinalis. 372
Gauciacinsis foresiis. 25
Gaufridus Comes. 125
Gauziolenus Episcopus Cenomanensis. 100. 115. 128. 158
Gauziolenus Vassus dominicus. 171
Gebuinus Comes. 110
Gelasij II Papæ electio & ordinatio. 489. 493. Moritur apud Cluniacum. 505. Vocatur Antipapa. 503
Gellonense monasterium, sive S. Guillelmi. 213. *& seq.*
Genuæ etymologia. 458. Bello civili vastatur. 278. Ejus excidium & ruina 393
Genuensium invidia erga Saonenses 391
Genut insula. 399
S. Georgij reliquiæ & genus. 395
Georgius Abbas. 130
S. Geraldus Archiepiscopus Bracarensis 179. *& seqq.* 476
Gerardus Comes. 129
Gerardus Gambacurta. 281
Gerbertus factus Papa ab Ottone III. Imp. 492
Gerildis, mater Aldrici Episcopi Cenomanensis. 1
Germana Regina. 390
Germanus Episcopus. 20
Gerunda civitas. 462. caput Emporitani pagi. 382
Gerundensis Episcopus. 355. Ecclesia. 465
Ghefridus Episcopus. 129
Girbertus Comes. 171
Girona, sive Gerunda. 382
Gislebertus Comes. 129
Glandetica. 31
Godofredus Senlitensis Episcopus. 137
Godolricus Abbas. 130
Golfus Narbonensis. 383
Gonsalvus Episcopus Conimbricensis. 479
Gorgona insula. 397
Gradus altaris. 112
Græcarum literarum studia. 254
Grassensis Episcopus. 384
Gratiæ expectativæ revocantur ab Adriano VI. Papa. 356. 368. 421
Gregorius IV. Papa. 109
Guibertini Cardinales. 496. extra clerum projecti. 498. 502
Guido Archiepiscopus Viennensis fit Papa. 505
Guillelmus de Rota. 209
Guillelmus Desparron. 209
Guillelmus Hincfort Cardi-

nalis. 401. 433
Guiraldus Abbas Salvanienſis. 222 225
Guiraudus Preſbyter. 209
Gundacher Epiſcopus Lemovicenſis. 136
Gundiſalvus Fernandes Dux magnus. 390. 420
Gundulfi villa. 82
Gundulfus Epiſcopus Metenſis. 4
Guntardus Epiſcopus Nannetenſis. 69. 79
Gunzo Vaſſus dominicus 130

H

HAdalboldus Archiepiſcopus Colonienſis. 129
Haduindus Epiſcopus Cenomanenſis. 108. 127. *& ſeq.*
Hæreſis præcedens non impedit electionem Papæ. 343
Harinbertus Epiſcopus Bajocenſis. 136
Harivius frater Gauzcioleni Epiſcopi Cenomanenſis. 115
Hechardus Epiſcopus. 69. 79
Heliſacharus Abbas & Miſſus dominicus. 166. *& ſeq.*
Helvetij ſe olim vacabant tutores fidei. 412
Henricus Abbas & Miſſus dominicus. 131. *& ſeq.*
Henricus V. Imp. Romæ coronatus à Burdino. 487. *& ſeq.* 505 Noluit aſſentiri electioni Gelaſij II. 489
Henricus Comes Portugalenſis terræ dominator. 185. 187. 189
Herbatica. 31
Herbertus Comes. 129
Herculis portus. 399
Herembertus vaſſallus dominicus. 24
Heribaldus Epiſcopus Altiſiodorenſis. 136
Hericus Vaſſus dominicus. 130
Herimannus Epiſcopus Auguſtenſis. 303
Heriveus tyrannus. 146
Herlemundus Epiſcopus Cenomanenſis. 128
Herloinus Comes. 130
Hibernatica. 155. 158. 160. *& ſeqq.* 164. 170
Hierna inſula. 397
Hieronymus Artal. 355
Hieronymus Adorno imperialis Dux. 391
Hieronymus Adornus Dux Genuenſium. 393
Hierro fretum. 461
Hildemannus vaſſallus dominicus. 24
Hildi Virdunenſis Epiſcopus. 137
Hilduinus Abbas. 130
Hincfort. *Vide* Guillelmus.
Hirminmarus Notarius. 23. 26. 32. 35. 37. 72. 82. 94. 96. 99 101. 103. 105. 157. 167. 178
Hodeſinda virgo. 12
Homo bulla. 251
Homo fluvius. 201
Honores ſuos perdere. 140
Horæ canonicæ. 64 195
Horas quomodo numerent Romani. 450
Hoſpitalia duo facta ab Aldrico Epiſcopo Cenomanenſi. 107
Hoſtes facere. 129
Hoſtia civitas. 401
Hoſtilenſe 31 144

Hugo

Hugo Cancellarius Ludovici Pij. 35. 37. 43. 71. 82 94. 96. 99. 101. 103 105. 157. 167. 173. 176, 178
Hugo Vassus dominicus. 130
Hugo Francigena. 205
Hugo Magnus. 209
Humbertus Abbas. 130
Humbertus Episcopus. 137
Humus marga. 462
Hungaria. *Vide* Vngaria.
Hungarius Comes. 130

I

IAcob Archipresbyter & Abbas. 59
Iacobensis Archiepiscopus, id est, Compostellanus. 215
Iacobus Cardinalis Papiensis laudatur. 265. 296
Iacobus Caudola, vir militaris. 269
Iacobus Languisco secretarius Papæ. 268
Iacobus Piceninus. 284
Ianua, vulgò Genua. 459
Ianula arx. 513
Ibbolenus Abbas Anisolæ. 128
Iberus fluvius. 363. 365. 466. & *seq.* 470
Ibiça insula. 457
Idolum, id est, imago Papæ. 509
Igualada. 464
Ilerda, urbs antiqua. 464
Ilerdensis Ecclesia. 465
Iliberritanum fortalitiũ. 465
Immeliorare. 92. 159. & *seq.* 164
Immo Vassus dominicus. 171
Imola restituta Romano Pontifici. 269
Imperator dici non debet nisi susceperit insulas imperiales. 349. A quo coronetur. 416
Imperatorum jus in electione Papæ. 490
Incensum offeratur per singula altaria. 113
Incestum matrimonium dissolvendum. 482
Incestus crimen frequens in Lusitania. 185. & *seq.*
Inconvulsè. 140
Incriminati. 124
Indictum regium contemnere. 42
Indignatio repentina non est vituperanda. 257
Indominicata vinea. 48. 74
Indua fluvius. 18
Indulgentia plenaria concessa deosculantibus pedes Romani Pontificis mortui. 435
Indulta Cardinalium revocantur ab Adriano VI. Papa. 356. 368. 411
Inferenda exigenda. 95. 102. 144 requirenda. 41
Ingenium. 33. 68. 104. 172. 177
Ingenium malum. 138
Inicus de Velasco Conestabilis Castellæ. 361
Inimicus familiaris multùm timendus. 437
Injuriosus Episcopus. 20
Inmajorare. 38. 41
Innocens quærit ut absolvatur. 121
Innocentius Papa VIII. humanissimus. 255
Innocentius Episcopus Cenomanensis. 36 97. 108, 119. 126. & *seqq.* 133

Inquietudo. 167. 173
Inquisitio synodalis. 147
Intramnis monasterium feminarum. 56. 85. 111
Intercessiones sanctorum. 19
Investiturarum privilegium abrogatum. 486
S. Ioannis Baptistæ reliquiæ. 392
Ioannes à Bilbao. 358
Ioannes Caietanus R. E. Cancellarius. 477
Ioannes Castellanus à Villalva Episcopus Calagurritanus. 354. 469
Ioannes à Cordula Decanus Cordubensis. 457
Ioannes Cremensis Cardinalis. 508
Ioannes à Fonseca Archiepiscopus Rosanus. 370
Ioannes Garsia secretarius inquisitionis Aragoniæ. 359
Ioannes Imolensis. 267
Ioannes Martinus Siliceus Archiepiscopus Toletanus. 351
Ioannes Matthæus Gibertus. 444
Ioannes de Oria Dominicanus accusatus. 362. 373
Ioannes Philippus de Fliseo. 278
Ioannes de Roias Canonicus Toletanus. 372
Ioannes Rufus Archiepiscopus Cosentinus. 434
Ioannes à Tavora Cardinalis. 369
Ioannes à Velasco Capitaneus triremium Hispanicarum. 361
Ioannes à Velasco Episcopus Calagurritanus. 361
Ioannis XXIII. pontificatus fuit quæstuosissimus. 255. Ejus impietas notata. 510
Ionas Episcopus Aurelianensis 69. 129. 131. 136. & *seq.*
Iordanus Bricius scribit adversùs Capranicam. 303
Irrevocabilis. 135
Isa portus. 385
Isaac frater Aldrici Episcopi Cenomanensis. 88
Isaac Vassus dominicus. 130. 171
Italia seditionibus & factionibus agitata. 375. 377
Itinera facere. 119
Itinera regalia. 175
Iudicium nocens reus subterfugit. 121
Iudith Imperatrix. 13. 56. 60. 117. 129
S. Iulia. 108
Iulianus Episcopus Cenomanensis. 108
Iulianus Cæsarinus Cardinalis. 267. 303. Ejus martyrium. 101
Iulius II. Papa magnanimus. 389
Iulius de Medicis Cardinalis. 397
Iumentarij. 25
Iumentorum greges. 86. & *seqq.* 146
Iuniores Ecclesiæ. 147
Iuramenta Cardinalium in conclavi. 445
Ius ecclesiasticum. 167. 171. 178
Ius civile opes & divitias suis cultoribus pollicetur. 254
Iustitia familiaris. 42
Iustitia sæpius recensere debet. 122

Iustitiam suam perdere. 115

K

KArolus M. nobilissimus orthodoxus Imperator. 39. præstantissimus Augustus. 27. Ejus merita in sedem apostolicam. 490
Karolus Calvus Rex. 129. 133. 140. & seq.
Karolus filius Ludovici. 59. & seq
Karolus filius Pipini. 115
Karolus Stroza. 235

L

LAbricensis condita. 40
Lacus Bacani. 450
Lacus Vulsenæ. 453
Lagenosa castellum. 191
Laica manus. 189
Laici non debent dispensare oblationem fidelium. 26. neque sanctuarium Dei possidere jure hereditario. 192
Lampurdan. 382. 462
Lance æquali dividere. 85. 169
Landramnus Archiepiscopus Turonensis. 5. 9. 64. & seq. 142
Landricus Comes. 119
Languisco. *Vide* Iacobus.
Lantramnus Abbas. 130
Lapides renascuntur in Gallia. 463
Lapis decidit ex fornice sacelli S. Sixti. 419
Larazium, castrum inexpugnabile. 207
Lateranensis palatij picturæ. 512
Latratus canum. 45
Laudaticum. 144
Laurentius de Medicis. 250
Lectionarium. 49
Legatorum apostolicæ sedis magna olim auctoritas. 478.
Legibus obvenit. 168. & seq.
Leo III. Papa munera mittit Karolo M. 491
S. Leonardi basilica. 216
Leonardus Aretinus Secretarius Papæ. 268. Ejus laudes & vita. 248. & seqq. Lucubrationes. 258. 264
Leonardus Perusinus. 296. & seq.
Leonardus Dathus Generalis ordinis Prædicatorum. 268
Leonis X. facilitas in concedendis gratijs arguitur. 370
Leonora soror Caroli V. Imp. 394
Letania. 147
Lerricus Vassus dominicus. 130
Leuca Hispana quomodo metienda. 450. 454. 463
Leudoricus defensor. 19
Leudoveus Presbyter. 20
Lex divina & mundana. 119. Romana. 123. Salica & Ribuaria. 119
Liborius Episcopus Cenomanensis. 13. 108. 111.
Liburnum civitas. 397
Lignarium. 144
Liguriæ littora. 386
Ligusticum emporium. 459
Limoticinensis Episcopus. 136
Litterarum laus. 261
Liz fluvius. 89. 141
Locella. 158. & seqq. 163. &

seq 169.
Locogiacensis pagus. 18
Lodovense S. Salvatoris monasterium. 208
Lucenique vicus. 468
Lucensis Ecclesia pertinet ad metropolim Bracarensem. 481
Lucronium urbs in diœcesi Calagurritana. 354. 356. 362. *& seq.* 469
Ludovicus Abbas. 130
Ludovicus Patriarcha Aquileiensis. 281
Ludovicus P. Imp. confessorem sibi adscivit Aldricum EpiscopumCenomanensem. 5. Proficiscitur ad Cenomanicam civitatem. 6. De Aquitania revertitur. 24. 27. Moritur. 145. Dictus secundus Francorum Imperator. 140
Ludovicus Rex Germaniæ. 145
Ludus alearum non decet Episcopum. 184
Lugdunum in pago Cenomanico. 104
Luminaria Ecclesiæ. 95. 102. 107. *& seq.* 112.
Lupi mons. 455
Lupus Cadolonensis Episcopus. 137
Lupus Hurtado. 380
Luschus, *Vide* Antonius.
Luteri impietas. 414

M

MAchinatio. 63. 101
Maçuecos Canonicus Toletanus. 371
Madrid, olim Vrsaria. 394
Maginarius Notarius. 43. 173. 176
Magistri Canonicorum. 67. 76
Magnetis lapidicina. 398
Majestatis crimen. 124
Maimacense monasteriũ. 504
Malahora, turris sic dicta. 398
Malatesta. *Vide* Carolus.
Maledictio psalmi CIX. 21
Maledictiones in benedictiones convertere. 211
Mallarius Diaconus Cenomanensis. 18
Mallem oppidum. 366
Mallus publicus. 42
Mancipia. 19
Mancipia partiri. 119
Manettus, auctor vitæ Nicolai V. Papæ. 264
Mansio ad habitandum. 61
Mansionarius. 171
Mansiones facere. 41. 95. 102
Mansiones circa monasterium constructæ. 87
Mansionilia. 61. 87. 89
Mansiuncula. 85. 89
Manso Episcopus Pacensis. 371
Mansus Adæ. 221
Manuel Chrysoloras. 253
Manus laica. 189
Marcelliacensis brojalus. 19
Marchio Saxoniæ patriæ. 104
Marcoardus Abbas. 130
Mare historiarum. 336
Marga humus. 462
Margaritæ insulæ. 384
S. Margaritæ corpus ubi. 451
Marritio. 31
S. Martialis Lemovicensis Ecclesia. 216

S. Martialis Lemovicensis monasterium erat congregationis Cluniacensis. 473
S. Martialis collegium Avinionense. 320
S. Martini Turonensis Ecclesia. 216
Martini V. decretum de Cardinalibus secretis. 303
Marturel oppidum. 463
Massilienſia littora. 383
Matrimonia inter cognatos olim coibant absque auctoritate Romani Pontificis. 482
Mauri chorizantes. 366
Mauritij Burdini Archiepiscopi Bracarensis vita. 471
Mauritius Episcopus Conimbricensis. 193
Maurorum terra. 187
Mediolanense bellum. 227. 234. 241
Mediomatricis civitas. 3
Meduana fluvius. 62
Mel pro censu. 25. 31
Memoria rerum & verborum. 288
Memoriæ sanctorum. 73. 109
Memoriale sive relatio. 114. 126. 140
Mendacium ferre non poterat Capranica. 289
Mercatura etiam à nobilibus exercetur. 459
Mercimonia indigna sunt homine militari. 237. 239
Meretrices & canes. 45
Merolus Episcopus Cenomanensis. 100. 161. *& seqq.*
Messanæ portus. 420
Metis civitas. 3. Schola. 4. Primicerius. *Ibid.* Cantor. *Ibid.*
Meterius Presbyter. 20
S. Michaëlis Archangeli memoria in periculo maris. 216
Mido Archidiaconus Bracarensis. 189. Præcentor Bracarensis. 193
Milicia fluviolus. 61
Militare in mansiuncula Episcopi. 85
Militem non decent mercimonia. 237. 239
Militia secularis & spiritualis. 3
Millarum Italicarum numerandarum ratio. 454
Mimi & larvæ exhibiti Adriano Papæ. 394
Ministeriales. 90
Ministri Canonicorum. 67. 76
Minoratio. 29. 87. *& seq.*
Minoratum. 69
Miracula sæpe fiunt per malos. 425
Miracula patrata in dedicatione Ecclesiæ Cenomanensis. 15. *& seq.*
Mirandæ Comes, Prorex Navarræ. 366
Missa pro Episcopo. 148
Missale officium. 49
Missarum celebratio frequens. 184
Missi dominici. 97. Strenui & fideles. 16. 141
Missus palatinus. 117
Modia aquæ. 6
Moduinus Episcopus Ostudunensis. 136
Molina duo. 48. 74
Momaneo oppidum. 464
Monachæ sacratæ ab Aldrico. 110

Monachæ ſecundùm regulam S. Benedicti. 56. 84
Monachi à patre facti filij. 46
Monachi ſubjecti ſunt Epiſcopis. 132
Monachi vagi & fures. 131. 133. & ſeq.
Monachorum quorundam impudentia. 429
Monago municipium. 385
Monaſteriales Preſbyteri. 51. 53. 67. 76. 84
Moneta publica in civitate Cenomanenſi. 100
Monjui. 463
Mons Chriſti, inſula. 398
Mons Iovis. 463
Monſerratenſe cœnobium. 463. 465
Monsfalcus oppidum ducatus Spoletani. 273
Monteroſo oppidum. 450
Montisfalconis urbs. 451. 453
Mors à tergo inſtat. 251
Mortui indigent precibus viventium. 52
Moyſſiacum cœnobium. 179. 476
Mulierum Romanarum rarus egreſſus. 436. Saonenſium modeſtia. 391. Genuenſium mores. 459
Multones. 144
Mundana lex. 119
Mundana negotia. 133
Mundeburdus vel defenſio. 115. 175
Munus beneficiarium. 27
Muſicæ contemptor Capranica. 290

N

NAjara urbs. 362 469
Nannes Stroza Eques Florentinus. 227. & ſeqq.
Nantarius Vaſſus dominicus. 130
Natalitia Epiſcoporum. 51
Navarret, locus. 363. 469
Nautæ aſſumunt nomina ſanctorum pro teſſeræ ſigno. 383
Negotia eccleſiaſtica & mundana. 133
Neuſtria data Karolo Calvo. 140. 145
Niça municipium. 384
Nicolaus V. fit Papa. 277. Cellam in Vaticano ædificat. 289. Abalienatus animo à Capranica. 284. Ejus vita ſcripta à Manetto. 264
Nicolaus Eſtenſis. 236
Nicolaus Nicolus. 250
Niviardus Diaconus ac defenſor. 21
Nivium magna copia. 356. 358
Nobilitas vera quæ. 253
Nogariola datur Eccleſiæ Bracarenſi. 191
Nola civitas. 460
Nonæ & decimæ. 26. & ſeq. 29. 31. 83. & ſeq. 86. 104. 177
Nonnanes. 85
Notho Archiepiſcopus Arelatenſis. 136
Novavilla. 6. 24. 29. 40
Novitatum cupidi natura ſumus. 367
Noxus Diaconus. 20
Nuncius apoſtolicus, vir con-

jugatus. 375
Nutrimenta animalium. 31

O

OBedientia. 179. & seqq.
Obedientialis actio 202
Oblatæ, id est, panes pro consecratione. 54. 67
Oblatio fidelium ab Episcopis dispensanda est. 26
Oblationes. 147
Obsequia divina. 49
Obvenit legibus. 168. & seq.
S. Octaviani reliquiæ. 388
Octavianus Fregosus Genuensium Dux. 394
Odorricus Vassus dominicus. 130
Oeconomus institutus juxta canones. 175
Officia vespertina. 15
Officina fratrum. 45. 56
Officiorum libri. 57
Officium vespertinale & matutinale. 49
Ognezinorum factio. 362
Oion oppidum. 356
Olei census. 29
Olivæ Balearicæ. 389
Oracula divina. 6
Orandi pro defunctis necessitas. 52
Oratoria. 71
Ordinabiliter. 73
Ordinandi Episcopi licentia petita à proprio ipsius Episcopo. 142. & seq.
Ordinationes Clericorum ab Aldrico factæ. 110
Ordo canonicus. 64. 70
Ordonius, villicus Henrici Comitis. 189
Oretum, nunc Calatrava. 372
Ortiz Doctor. 446
Ortizius. *Vide* Blasius.
Oscensis episcopatus. 466
Osculum pacis in electione Papæ. 344
Ostalric oppidum. 462
Ostudunensis Episcopus. 136
Otlinga Saxoniæ. 62
Oxomensis pagus. 61. & seq. 85. 88

P

PAcare. 116
S. Paduini sepulcrum. 28
Paginola donationis. 18
Palamox portus. 381
Palentinum Concilium. 183
Pallium, plenitudo pontificalis officij. 348. Ejus necessitas. 476
Palmarum benedictio. 367
Pampilo, civitas Navarræ. 366
Pampilonensis episcopatus. 466
Papæ electio ad quos pertineat. 309. 323. 338. Ejus electio unde confirmetur. 344. & seq. Eam non impedit hæresis præcedens. 343. Ordinari olim non poterat, absque consensu Imperatoris. 489. & seqq. An aliquid expedire possit ante suam coronationem. 368. 406. Omnia jure potest. 375. Nihil tamen potest facere per quod Ecclesia notoriè scandalizetur. 312. Neque potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum. 317. Quomodo uti debeat plenitudine potesta-

tis. 336. Ejus judicium tale esse debet ut non possit nec valeat periclitari. 335. An possit deponere absentes. 488. An possit bellum facere. 423. 431. An possit pacem imperare Principibus sub pœna excommunicationis. 423. Ejus auctoritas non implorabatur olim in dispentationibus matrimonialibus. 482
Papatum tollere. 501
Paradisus. 145
Paratas facere. 41. 95. 102
Pares. 138. 169
Parisiacus pagus. 89
Partiri mancipia. 119
Parturientes juvare solet sancta Rosa 451
Paschalis II. Papa. 183. Ejus memoria defenditur. 485
Pascuaria & pastiones. 31
Passus est mensura quatuor pedum 454
Pastionatica. 31
Patrocinia sanctorum. 73
Patuinus Præpositus S. Vincentij Cenomanensis. 168
S. Pavacius confessor. 13. Episcopus Cenomanens. 108. 111
Pauli sententiæ. 123
Pauperes reficiendi. 123
Pauperum ululatus. 45
Peccaminum pondus. 69. 74. 90. moles. 72
Pecunia pro canonizatione sanctorum. 428
Pecunia, id est, animalia. 83. & seq. 211. & seq.
Pedes Roman. Pontificis mortui deosculantes consequuntur plenariam indulgentiam. 435
Pedrola villa. 366
Pelagius Petri. 186
Pennalua oppidum. 466
Pensantes. 168
Pensiones super beneficijs ecclesiasticis. 434
Perdonata. 31
Peregrinatio religiosa. 213
Peremptorium edictum. 123
Perpetualiter. 73. 76. 78. 92
Perpetuitas imperij. 69
Pertinacia. 135
Pescaræ Comes. 393. 395
Pestis acerrima Romæ. 415. 421
Petitio falsa non valet. 138. & seqq.
Petrarcha natus Aretij. 253. Ejus vita ab Aretino scripta. 264
Petruccius Cardinalis. 397
S. Petrus Papa orbis & urbis. 318. Ejus navicula perire non potest. 349
Petrus S. R. E. Cancellarius. 505
Petrus de Alliaco Cardinalis. 321
Petrus de Fuxo Cardinalis. 304
Petrus Paciecus Cardinalis. 435
Petrus Episcopus Bracarensis. 182
Petrus Episcopus Lodovensis. 207
Petrus Alzarran. 209
Petrus Abbas Mansiadæ. 221
Petrus filius Marchionis de Montemajori. 457
Petrus Barbirius Capellanus Papæ. 417
Petrus Navarrus Comes. 393. & seq.

Petrus de Roma, homo intractabilis. 369
Philippus Dux Mediolani. 265. 269. 273. 283
Philippus Decius utriusque juris Doctor. 455
Physici, id est, medici. 432
Piceninus. *Vide* Iacobus.
Pictavis civitas. 43. 170. 173. 176
Pierius gesta Florentinorum primus scripsit. 260
Pignora sanctorum. 9. 11. 46
Pincerna Pipini Regis. 115
Pinna oppidum. 374
Pintiana cancellaria. 371
Pipinus filius Ludovici Pij. 133. in Cenomanica patria. 115
Pisarum urbs. 455
Pisanorum commercium. 398
Piscationes. 31
Pius II. Papa. *Vide* Æneas.
Placitum. 42. 117. 120. & *seq.* 132. 158. 160. 164
Placitum subterfugere. 124
Planosa insula. 398
Platinæ lucubrationes nonnullæ. 264
Platonis quædam Latinè versa ab Aretino. 258
Plenaria Ecclesiæ. 29. 40. 144
Plumbinum Etruriæ oppidum. 273. 398
Pluralitas resolvitur in singularitatem. 346
Pluralitas beneficiorum 445
Plutarchi opuscula quædam Latinè versa ab Aretino. 258
Pœnitentia insignis Pontij de Larazio. 209. *& seq.*
Poggij & Aretini amicitia inviolata. 249
Poggius fit scriptor literarum apostolicarum. 254. iterum secretariis Papæ. 293. civitate & censu donatus à Florentinis. 259
Pogibontium. 454
Pogio municipium. 454
Polancus Licentiatus. 371
Polectici. 144
Poledri. 89. *& seq.*
Polybius Latinè versus ab Aretino. 258
Pontius Abbas Cluniacensis. 476
Pontius Abbas Salvanensis. 206. 225
Pontius de Larazio. 205. 207. 221 223
Poppo Comes. 129
Populeti cœnobium. 465
Populonius Presbyter. 20
Porcariæ. 87
Porcarij. 25
Portella hominis. 192
Portufi portus. 395
Portus. 25
Portus marinus. 387
Portus de sant Feliu. 381
Posteriora non derogant prioribus. 138
Postiurnum. 144
Potestativè & legaliter. 33
Potio quæ dicitur alixona. 66
Potio de finiculo. 66
Potio quæ dicitur Silvia. 66
Præbenda. 3. 52
Præcepta Principum falsa si quis detulerit. 139
Præceptio. 167
Præceptum emunitatis. 127. *& seq.*
Præfectura urbis conceditur ad vitam ejus qui donat. 416

Præfectus Vrbis coronam imponit Imperatori. 416
Præguſtator eduliorum. 437
Prælati ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. 339
Prælium in pago Altiſiodorenſi. 141
Præpoſiti Canonicorum. 67. 76
Præpoſiti monaſterij. 59
Præſentaliter. 104. & ſeq. 156. & ſeq. 172. 177
Præſumptivus egreſſus. 131
Precaria. 75. 127. & ſeq. per quinquennium renovata. 159. & ſeqq.
Precariæ uno tenore conſcriptæ. 155. 162. 170
Preſbyter Cardinalis. 142. & ſeq.
Preſbyteri ordinatio quomodo fieret olim. 4
Preſbyteri civitatis & ſuburbani. 49. & ſeqq. 67. 76. 84
Primicerij officium 180
Primicerius Metenſis. 142. & ſeq. Caput torius cleri. 4
Procopius Latinè verſus ab Aretino. 258
Procuratores Eccleſiæ. 33
Prodigium Romæ. 419
Proliacenſis terminus. 18
Promiſſio monachorum. 131. 134
Proprium ſuum tradere ad monaſterium. 46
Proprium Imperatoris. 115. 118. & ſeq. 134
Proſper Columna Cardinalis. 293. 303
Proſper Columna generalis copiarum Imperatoris 438
Proſperus Columna. 395
Provinciæ civitas principalis. 383
Proviſor, id eſt, Vicarius generalis. 355. 469
Provocatio à Papa ad Concilium. 274
Pſallentium. 6. 49. 106
Pſalmodia. 57
Pſalmos omnes per ordinem memoriter retinere. 7
Pube tenus. 2
Publiciter. 120
Publicum. 22 24. & ſeq.
Puebla oppidum. 356. 361
Pulſare. 42
Pulſatio. 101. 114. 125
Pulſatus in judicio ſi adeſſe noluerit. 123
Puteus olim nullus erat in civitate Cenomanica. 6

R

RAdulphus Comes. 129
Radulphus Vaſſus dominicus. 130 171
Ragenaldus Comes. 171
Ragenarius Comes palatij. 130. 171
Ragenarius Epiſcopus Ambianenſis. 136
Rainaldus Comes. 129
Ramnulfus Comes palatij. 171
S. Raphaëlis monaſterium. 504
Rarum omne pretioſius eſt. 367
Rataldus Epiſcopus Sueſſionenſis. 129
Rationem deducere. 69. 91. reddere. 32
Ravenna accedit Romanæ Eccleſiæ. 389

Raymundus de Pireto. 209
Raymundus Petri de Aguanticó. 214
Redezilla, locus. 469
Redibitiones requirere. 95. 102
Redorta, vinculum ligneum. 210
Refectio plena & optima. 14
Refectio Canonicorum 29. 48. & seq. 54. 57. 71
Refectorium. 45. & seq. 49. 51. 54. 56. 67. & seq.
Referendariorum restrictio. 411
Reformatio Ro. Ecclesiæ fieri non potuit ab Adriano VI. 412
Regale & commune servitium. 89
Regula S. Benedicti. 135
Regulæ Cancellariæ. 368
Regum Portugalliæ cimiterium. 198
Relatio sive memoriale. 114
Reliquiæ. 8. & seqq. 66. 73. 127
Reliquiæ S. Vincentij. 18
Repetitio. 136
Reservationes revocantur ab Adriano VI. 356. 368
Residere in parrochia. 175. & seq.
Restaurationes Ecclesiarum. 26. & seq. 29. 31
Restitutio bonorum per vim occupatorum. 209
Reverentia metui æquiparatur. 337
Revestire legibus. 141
Reus judicium nocens subterfugit. 121
Rhodanus fluviolus. 58
Rhodium excidium. 417
Ribahorada. 468
Ribuaria lex. 119.
Ricardus Cardinalis Romæ. 183
Ricboto Abbas. 130
S. Rigomerus confessor. 11. Ejus cellula. 40. monasterium. 28
Rioia provincia. 362
Rivus calidus. 192
Robertus Vassus dominic. 130
Robertus Rufus. 250
Roborare. 81
Roca, pagus Cataloniæ. 463
Rodericus de Cabredo. 364
Rodericus Mendocius Episcopus Salmanticensis. 436
Rodericus de Mendoça Episcopus Salmanticensis. 372
Rodericus Tenorio Canonicus Toletanus. 372
Rodulphus Cardinalis. 397
Rogerius Rex sive Dux Siciliæ. 222
Roma vastata ab exercitu Caroli V. Imperatoris. 467
Romana lex. 123
Romanus populus jurat obedientiam Karolo M. 491
Romanus, nepos sancti Iuliani Episcopi Cenomanensis. 108
Romolus Diaconus. 20
Rorigo Comes Turonensis. 5. 117
S. Rosæ corpus ubi. 451
Rosæ, portus. 382. 461. & seq.
Rota Romana clausa. 421. aperta. 422
Rotgarius filius fratris Aldrici Episcopi Cenomanens. 88
Rotgarius Vassus dominicus. 171
Rua. 62

Ruæ. 84
Ruba. 25
Ruenga insula. 388
Ruisellon oppidum. 450
Rumaldus Comes. 130
Ruscinonensis comitatus in Catalonia. 464
Ruthenensis urbs. 216
Ruysellum comitatus. 464

S

SAccharo unicè delectabatur Capranica. 286
Sacerdotes civitatis & suburbani. 49. *& seqq.*
Sacramento verum aliquid facere. 120
Sacramentorium. 49
Sacrarium. 126
Salamã Vassus dominicus 130
Salica lex. 119
Salsæ, olim Iliberris. 465
Salvanensis monasterij exordium. 205. 222. Ejus Abbates. 225
Sanctorum memoriæ. 73
Sanctorum corpora inventa ab Aldrico Episcopo Cenomanensi. 107
Sanctuarium Dei à laicis hereditario jure non debet possideri. 192
Saonensis. civitas. 388. Ejus situs. 391
Sarraceni. 187
Sarteanum. 273
Sartha fluvius. 6. *& seqq.* 19. & alibi passim.
Sasona, locellus Cataloniæ. 462
Saturniacinsis pagus. 18
Saxonia erat olim in Frãcia. 1
Saxoniæ patriæ Marchio. 104
Scabellum Paparum. 512
Scalcus, id est, architriclinus. 437
Scapha, vulgò vergãtin. 376
Schisma vitandum sicut venenum. 336
Schisma Cardinalis de Carvajal. 390
Schismatici dantur Pontificibus pro scabello. 512
Schola Merensis. 4
S. Scholasticæ monasteriũ 28
Scudulæ. 144
Secmarij. 89. id est, asini. 90
Secretarij Papæ. 268
Secretarius pontificius. 255
Sedes episcopalis 112
Segobrigẽsis episcopatus 466
Senarum civitas. 414
Senense Concilium dissolvitur. 268
Seneschalchus Imperatricis. 117
Senex adeo nemo est quin annum speret se esse victurum 251
Senior, id est, dominus. 140
Senlitensis Episcopus. 137
Senodochia. 210
Sensaticum. 144
Sententia ultionis. 124
Servitia regalia & communia. 89. 117. 118. 129
Servitium regium impedit officium Episcopi. 174
Seuvonechus Diaconus. 20
Sfortia. *Vide* Franciscus.
Sicbaldus Abbas Anisolæ. 128
Sicoris fluvius. 464
Siebaldus Abbas sancti Carilephi. 115
Sigale. 144
Sigemundus Abbas Anisolæ. 133. 137. 140. *& seq.*

Sigismundus Abbas S. Carilephi. 114. 116
Signa ex metallo optimo. 109
Sigrannus Abbas Anisolæ. 127
Silentio favere errori. 122
Siliceus. *Vide* Ioa. Martinus.
Silva Follicionis. 65
Silvester II. factus Papa ab Ottone III Imp. 492
Silvia, potionis genus. 66
Simeon Episcopus. 129
Simon Presbyter & Abbas. 24
Sinus de Leon. 461
Sion, pater Aldrici Episcopi Cenomanensis. 1
Sociante fisco. 169
Soderinus Cardinalis. 424
Solarium. 7. 11 65
Solon portus. 380
Somnis legitima. 120
Soractis mons. 273. 298
Spetie portus. 396
Spoletanus Ducatus. 270. 273 290
Stabilitatis promissio. 131. 133. *& seq.*
Stadium quid sit. 456. 463
Stephanus Comes. 129
Stephanus Episcopus. 137
Sterlic oppidum. 462
Stolido Abbas. 130
Stramiacus supra Rhodanum. 168
Strozæ Florentini. 235
Strumenta chartarum. 33. 38
Stupæ incendendæ mos in consecratione Pontificis. 408. 444
Stupiditatis signa. 257
Suarius Menendi. 192
Suburbani Presbyteri. 49. *& seqq.* 67. 76. 84
Suessionense monasterium puellarum. 108
Sufusum. 144
Suoleveus Abbas S. Vincentij Cenomanensis. 21
Supplicationes examinatæ jussu Adriani VI. 369
Sutrium obsidetur. 508. *& seq.*
Synaxis matutina & vespertinalis. 15. 51. 148
Synodi quotannis celebrentur. 280
Synodorum frequentia quomodo utilis. 183
Synodus Episcoporum & sacerdotum. 133
Synodus Cenomanica. 147
Synodochium S. Mariæ. 28

T

TAlipiacum monasterium. 58
Tamica fluvius. 197
Tarraconensis provincia unde dicta. 464
Tarraconis descriptio. 374
Tarraga, & proverbium de ejus leuca. 464
Tegumina. 59
Tello Archidiaconus Conimbricensis. 475
Telonum. 25. 42. 95. 102
Teoto Comes. 129
Teoto Vassus dominicus. 130
Testes veri & boni. 116. 118
Testes falsos facere. 119
Tetghildus Comes. 130
Tethaldus Abbas. 130
S. Tevestina virgo. 108
Teuzo Cardinalis. 496
Tharasia Regina Portugalliæ. 185 187. 203
Theobaldus Comes Campaniæ. 222
Theodericus Episcopus Ca-

meracensis. 69. 79
Theodonis villa palatium regium. 72
Theodoricus Rex. 128. 169
Theodoricus Comes. 130
Theodoricus Episcopus Cameracensis. 136
Theodoricus Secretarius & Datarius Adriani VI. 369. 433.
Theodulphus Diaconus Parisiensis. 21
Theoto Cancellarius Ludovici Pij. 23. 26. 32
Thuribius Episcopus Cenomanensis. 108
Tibianis colina. 198
Tidensis Episcopus, idem Archiepiscopus Avinionensis. 388
Tinellum Romanum. 399. 438.
Tirasonensis episcopatus. 466
Tituli. *Vide* Dipticia.
Tituli Clericorum. 110
Toletani Primatus initia. 477. Iactatus. 484. *& seq.*
Toleti laus. 470
Tolosa. 180
Tota matrona. 189
Tranco o passada. 454
Translationes Episcoporum pertinent ad Romanum Pontificem. 476
Tricio villa. 155. *& seq.*
Triumphus Callisti II. de Burdino. 510
Troandus Comes. 130
Tudela, civitas Navarræ. 365. 468
Tugurium, quod & ciborium nominatur. 44
Tuitio emunitatis. 128
Tulpiacus foreſtis. 25
Turca capit Rhodum. 419
Turcæ devastant Vngariam. 413. 428.
Turibius Episcopus Cenomanensis. 128
Turonicus pagus. 85
Turonis metropolis civitas. 9.
Tuscorum laus. 229
Tusturiacense Monasterium. 504

V

VAccaritia dominicata. 31
Vvalafridus Diaconus. 137
Valentia rebellat adversùs Cæsarem. 370
Vvalfredus Comes. 117
Vvanti furto sublati. 8
Vvaringarius Abbas. 130
Vvarinus Comes. 129
Vvarnarius Episcopus. 69. 79
Vassalli dominici. 26
Vassi dominici. 64
Velilla oppidum. 467
Venatio non decet Episcopum. 184
Verbum Pipini. 158. Karoli. 160. 163.
Vergantin. 376. 387. 397.
Veritas se ipsam facilè demonstrat. 448. Exagitata magis splendescit. 122. 472
Vesperorum solennia. 378. hora. 381
Vestigarium Ecclesiæ. 33
Vestitura legitima. 118. 166. plena & legalis. 125. *& seq.* 141
Vexillifer, supremus Florentiæ magistratus. 256
Vexillum Romanæ urbis. 492
Viaticum dominici corporis

& sanguinis. 214
Vicaria Diablentica. 161. Gabronensis. 162
Vicini, id est, cives. 451. 462
Victoria civitas. 355. & seq. 358
S. Victurij Episcopi Cenomanensis tumulus. 28. ejus limina. 20
Vicus Canonicus. 49
Vvido Comes & Missus dominicus. 22. 167
Vvido tyrannus. 146
Vidua fluviolus. 86
Vigiliæ festivitatum. 67
Vviladus Episcopus. 129
Vvilricus Episcopus. 129
Villafranca de Montesdoca. 469
Villafranca de Niça. 385
Villena in Parisiaco. 89
Vilorado municipium. 469.
Vimaranæ. 185
S. Vincentij Cenomanensis monasterium. 59. 88. 161. 168. An pertineat ad Regem vel ad Episcopum. 16. & seqq.
Vincentius, Secretarius Papæ. 268
Vinea indominicata. 48. 74
Vinum S. Martini. 420
Vvintmarus Vassus dominicus. 130
Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor. 208
Virorum illustrium vitæ scribendæ. 264
Virtutes multæ apparuerũt. 15
Vvitbaldus Vassus dominicus. 130
Viterbium civitas. 450
Vitia sæpe se ingerunt sub prætextu virtutum. 447
Vivericia. 31
Vizcayæ comitatus. 452
S. Vlfacius Confessor. 13. Ejus sepulcrum. 47. 75. cellula. 40
Vltionis sententia. 124
Vlulatus pauperum. 45
Vngaria vastatur à Turcis. 413. 428
Vngariæ Episcopus quidam ejectus. 373
Vocatus Episcopus. 143
Vrbanus II. belli sacri auctor. 474
Vrbs vetus. *Vide* Centumcellæ.
Vrgellensis Ecclesia. 465
Vrna, id est, theca reliquiarum. III.
Vrraca Regina Castellæ & Aragoniæ. 481
Vrsaria, id est, Madrid. 194
Vrsicinus Diaconus. 20
Vrsmarus Archiepiscopus Turonensis. 59. 69. 79. 83. 89
Vsare. 155. 162. 170
Vserca oppidum Lemovicum. 473
Vsercensis monasterij privilegia confirmata. 504
Vsitare. 161
Vsufructuarius ordo. 158. 160. 163.
Vvacta. 18
Vvlsena oppidulum. 453
Vvlterranus Cardinalis. *Vide* Franc Soderinus.

X

Xenophontis liber de tyranno versus Latinè ab Aretino. 258

Z

Zaccharo unicè delectabatur Capranica. 286

Zamora capta à Rege Ferdidinando. 363. Obsessa à Gallis. 364

Zamorensis Episcopus captivus. 363

ERRATA.

Pag. 20. *lin. ult. leg.* solemnitatem
Pag. 53. *lin* 1. *leg.* adimplere studearis
Pag. 59. *lin* 25. *leg.* cœtu Cenomanica
Pag. 69. *lin.* 9 *leg.* universos
Ibid. lin. 25. *& pag.* 79. *lin.* 18. *leg.* Andecau
Pag. 76. *lin.* 13. *leg.* cum psallentio
Ibid. lin. penult. leg. futuros ut præd
Pag. 82. *lin.* 11. *leg.* Hirminmarus
Pag. 87. *lin.* 28. *leg.* mansionilibus
Pag. 89. *lin.* 30. *leg.* Dodoni
Pag. 91. *lin.* 27. *leg.* anniversario
Pag. 109 *lin.* 2. *leg.* singillatim
Pag. 119. *lin.* 9. *leg.* Franconi
Pag. 125. *lin.* 28 *leg.* dimisimus
Pag. 127. *lin.* 17. *leg.* monaculis
Pag. 135. *lin.* 8. *leg.* leni
Pag. 144. *lin.* 11. *leg.* plenarij
Ibid. lin. 22. *leg.* lana, de lign
Ibid. lin. 23. *leg.* censu
Ibid. lin. 26. *leg.* de sufuso
Pag. 165. *lin.* 27. *leg.* ad nos
Pag. 181. *cap.* 1 v. *lin.* 6. *leg.* effuderunt
Pag. 184. *lin.* 16. *leg.* affectu
Pag. 192. *lin.* 5 *leg.* piuviæ
Pag 207. *c.* II *l.* 4. *leg.* perturbabat omnes
Pag 63. *lin.* 6. *leg* inventi
Ibid. lin. 7. *leg.* illustrari
Pag. 264. *lin.* 2. *leg.* Iannotius Man
Pag. 266. *lin.* 4. *leg.* Tu omnem
Ibid. lin. 12. *leg.* malevolorum
Pag. 273. *lin.* 28 *leg.* Concilium
Pag. 284. *lin.* 27. *leg.* conjunxisse
Ibid. lin. 29. *leg.* percunctaretur
Pag. 286. *cap.* XV. *li.* 1. *dele recens se*
Pag. 305. *li. ult. leg.* Capranica
Pag. 361. lin. penult. leg. *Reina*
Pag. 372. *li.* 21. *leg.* Castellæ
Pag. 374. *cap.* IX. *lin.* 7. *leg.* leucis
Pag 383. *lin.* 27. *leg.* Massiliensia
Pag. 459. *lin.* 10. *leg.* pedisequarum
Pag. 491. *lin.* 3. *leg.* reposcendum

Extrait du Privilege du Roy.

LE Roy par ses Lettres patentes données à saint Germain en Laye le 29. Avril 1679. signées LOVIS, & plus bas, *Par le Roy*, COLBERT, & seellées du grand seau de cire jaune, a permis à Estienne Baluze Prieur de Beauvais de faire imprimer un ouvrage intitulé *Miscellanea Stephani Baluzii* en un ou plusieurs volumes, & autant de fois que bon luy semblera pendant le temps & espace de trente années, à compter du jour que chacun desdits volumes sera achevé d'imprimer pour la premiere fois; avec defenses à toute sorte de personnes, autres que celuy ou ceux qui auront esté choisis par ledit Baluze, de les imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter pendant ledit temps, à peine de dix mille livres d'amende, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages, & interests; comme il est plus à plein porté par lesdites Lettres.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 19. May 1679. Sgné, COVTEROT *Syndic.*

Et ledit sieur Baluze a cedé ledit Privilege pour ce troisiéme volume à François Muguet Imprimeur & Libraire ordinaire du Roy, pour en joüir selon sa forme & teneur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BALUZII
MISCELLA
NEORUM

LIB. III.

326